LEUTHINGER, N.
Scriptorum de rebus marchiae Brandenburgensis, 1729.
Vol. 2.

SCRIPTORUM HISTORIÆ MARCHIÆ BRANDENBURGENSIS VOLUMEN.

TOPOGRAPHIÆ PRIORIS DEDICATIONES VARIÆ.

I.

Amplissimis Viris, genere, ordine, dignitate, virtute & doctrina præstantibus, *Dominis Consulibus & Senatoribus Reipublicæ Garlitiensis*, (al. edd. *Schweinicensis*, al. *Torgensis*,) patronis suis magnis,

Nicolaus Leuthingerus S.

Historiam probandam jure suo veritatem & candorem deposcere, nemo negabit, cui rempublicam in vituperationis crimen intervertendo devocare religio est. Eo animo collegi res gestas Principum Brandeburgensium, tam quæ ad ecclesiasticam, quam ad civilem administrationem, nec solum ad Marchicæ civitatis forum, sed universum etiam Germaniæ imperium accommodata pertinere videbantur. Neque mox hæ manus suffecere desiderio meo, ut, sicut concepta calamo erant, in theatrum producerem, sed pressa singulatim sub censuram gravissimorum virorum emisi, ut majore cum fructu aliquando publici juris facta suum tenerent & tuerentur apud posteritatem locum. Sicut autem naturæ ductu nequaquam livido calumniæ appetendi morsu studio occupatus sum, ita maxime in ratione historica hanc mihi normam perpetuam sequendam judicavi, ne cui molestus essem. Hinc totus in hoc fui, data opera, ne quis honore debito fraudatus per me injustus atque impie offenderetur. Nihilominus quorundam male feriatorum acerbas censuras defugere potui, quibus graviter responderem, si tantum ex conviciis voluptatis haurirem, quantum illi ex aliena oppressione gaudii percipiunt, dum assentationem vinculum putant societatis humanæ, eaque cuncta metiuntur. Sed major profecto debebatur gratia illis, qui hæc studia ex professo tractant, & tot egregie res

geſtas perditas reſtituunt, patriamque debitis præconiis celebrant. Quandoquidem autem certum eſt, V. C. de his ſtudiis præclare ſentire, iisque plurimum uti, atque animum ſuum excultum paſcere, non dubitavi hæc mea qualiacunque V. C. commendare. Res humanæ per ſe firmi nihil, nihil diuturni poſſident, ſola virtutis atque literarum laus æterna eſt, imo ne virtutis quidem absque literis. Itaque cum omnia amittuntur, hæc ſola manent reliqua ornamenta, quæ doctorum ingenia conſervarunt. Quod ſupereſt, oro ſupplex, hos meos conatus, in hac temporum atque hominum injuria, ita accipi, ſicut multorum bonorum expectatio ſibi promittit. Neque ſane ego immemor ero, quare Gratiarum templa in mediis olim foris excitabantur, meque ad eum modum, ut cariſſima patria Germania, ſed inprimis bene merentes, meam pietatem, in debita ſubmiſſione intelligant. Invoco Deum Opt. Max. ut benedictione opeque ſua reipublicæ Chriſtianæ adſit, quo nihil deſit unquam, quod humanitus vel divinitus deſiderari poſſit, felicitasque felicem conſequatur perpetuo. Witebergæ anno MDXCVIII.

II.

Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Domino JOACHIMO FRIDERICO, *Sacri Romani Imperii Electori & Archicamerario, Marchioni Brandenburgenſi, Boruſſiæ, Stettini, Pomeranorum, Caſſuborum, Slavorum, & Sileſiorum Duci, Burggravio Norimbergenſi, Principi Rugiæ*, Domino ſuo Clementiſſimo, gratiam & pacem à Deo precatur

M. Nicolaus Leuthingerus.

QUantum DEI ſit beneficium, quod inde à primo conditi mundi exordio, continua rerum geſtarum ſeries ad noſtram ætatem, eruditis probatorum auctorum ſcriptis tranſmiſſa, ne dicta factaque laudabilia ex hominum memoria cum tempore exoleſcant, non ſine quæſtuoſo publici patrimonii fœnore exſtet, admiratione pia agnoſcunt, & grato animo approbant, quos ſolers pro-

providæ virtutis ſtudium ad veram aſſequendam tuendamq; gloriam exſtimulat, ut ſocietati humanæ ornamentum, præſidium, auxiliumque opportunum, quibus à natura obſequi adminiculis datum eſt, tempeſtive afferant. Et quid aliud agunt iſti, qui hoc tantum bonum intercipere annituntur, dum feritate barbarica in contemptum monſtroſum tot honeſtos labores, in gratiam, uſum & ſalutem patriæ ſuſceptos, invidioſe devocant, & Hiſtoriam tot nominibus commendatam, tot modis neceſſariam atque perutilem, è foro eccleſiaſtico atque politico relegatam, vel turpiter vitiatam, vanitati fucatæ, vel aſſentationi maleferiatæ, impudenter proſtituunt, quam ut ſolem è mundo tollere videantur. Boni nempe iſti pietatis & Themidos præcones, quos ſimulatio ficta atque injuria, ad omnem audaciam parata, Judaico quodam Phalariſmo ſaginat, & qui lingua prædantes apud potentiores, ſaltem ut cataniidiare, faſtumque ſuum in viſum ventis plenioribus explicare poſſint, licentia nimia, qua ſemper deteriores ſumus, libidineque immoderata in innocentes graſſandi, meliores morſu canino odioque Vatiniano virulenter appetunt. Et quandoquidem præcipuum ſcriptori ſedulo incumbat neceſſario officium, ut ſicut cuncta ſunt peracta, nequaquam male aſſentantium accommodatus ingenio fideliter enarret, & omnino veritati infallibili ſacrificet, ipſi parum ſecundæ famæ & fidei conſcientiæque hoc contendunt, quo non ſolum ſacroſanctam veritatem, ſed etiam ejus teſtes in ſummum odium, adeoque diſcrimen, procaci violentia ſubactos, pertrahant, ut, unde præſidium petierant, periculum ipſis exiſtat. Prodigioſum mortalium genus, cui cum ſanctis diſciplinis nihil commune, cum vera laude nihil familiare, cum ipſa tandem religioſa pietate parum commercii eſt. Etenim dum affectu ſuo quæque metiuntur, ſummum bonum in voluptatum opumque deliciis ponentes, inverecunde in Deum, homines, atque ſemet tandem ipſos peccant, ut ſi quid lucri odorem non ſpiret præſtetve, nullius momenti iniquisſime

autument. In hoc præpostero instituto, venerandam amœnissimi hujus studii amplitudinem admiratus, illud maxime scriptionis genus mihi colendum existimavi, cujus fructum uberrimum non hæc atque illa natio, non unum aut alterum seculum, sed omnes gentes, omnes nationes, omnis consequens ætas perpetuo hauriat. Dignam scilicet Centauris rem: immo dignissimam, quæ ex puero senem efficiat, & temporum est testis, veritatis lux, memoriæ vita, vitæque magistra, vetustatis futurorum nuncia, eloquentiæ decus atque lumen, magnum & præcipuum sapientiæ humanæ absolvendæ instrumentum, & doctrinæ genus potentissimum, pictura ac veluti theatrum totius vitæ humanæ omnibus mundi ætatibus atque temporibus congruens, cujus ea vis, ut ad omnem vitæ usum & eventum nos providos & circumspectos reddat, ut, qui eam non curent, vel molli lenique brachio tentent, puerili præditi ingenio credantur, quod & præterita ignorent, præsentia non intelligant, futura non provideant; Cujus si dignitas atque majestas plenius cognita perspectaque foret, quod temporis impendunt ludicris, tribuerent lectioni Historiarum assiduæ, ex iis percepturi, quæ commodo serviunt infinito. Eas si scrutetur magistratus, apparebit, nunquam aulis defuisse ministros infideles, consilia prava, machinationes fraudulentas, insidias periculosas, perniciosam assentationem, perpetuum Regum malum, eorumque opes sæpius adulationem, quam hostes evertisse; si Regum exitus numerentur, plures à suis, quam ab hoste interceptos, nihilque tam validum, cui non sit periculum ab invalido, odia secundæ fortunæ flatu occultata, afflictis rebus, pejus in apertum erumpere: discordia intestina res maximas dissolvi: pharisaicam ambitionem in Ecclesia, superbam injuriam in foro, libidinem intra tecta, cupiditatem ubivis locorum nihil non posse in attrahendis malis: nihil autem securitate periculosius. Qualia ejus generis, & quæ huc pertinent, innumerabilia documenta vita communis subministrat,

quo-

quorum nos pœnitere necesse est, nisi consilio maturo, potentioreque ante, naturam juvante, sublevemur. Hic principem locum tuebitur Historia, eritque speculum illustre, in quo Deum ipsum, auctorem omnis boni, remuneratoremque, vindicem improborum, justorum defensorem: homines, hos virtuti, illos vitiis deditos, inter mille casus, alios cum pudore, metu & infamia, alios cum honore, gratia & præmiis ludibrio fortunæ obnoxios, nosque ipsos mox, vel paulo post, ad eadem fata prolabentes contemplemur & consideremus, dum sumus aut fuimus, vel possumus esse, quod hic est. Id quia negligitur à plerisque, DEum immortalem, quantis se labyrinthis intricant, quam procul à practica prudentia, in sectando servandoque vero, bono, utili & honesto, absunt? quam difficulter justitia aëre induta multis locis cernitur? Hinc finis virorum magnorum, quorum splendor non raro fortunæ beneficium est, sæpenumero tragicus existit, ut in ipso eventu admoniti meminerint, hujus regulæ non habuisse rationem. Olim *Constantino Magno* frequentes passim per urbes & provincias statuæ ponebantur, sed eam memoriam, quam ipsi *Eusebius* consecravit, majore commendatione illustrant scripta monumenta, quam sexcentæ statuæ aureæ, quamvis imperitos perstringat, & in oculos vanæ multitudinis incurrat externa illa magnificentia: Cui affine est, quod summi viri non tam ad caducam superbi corporis formam, quam præclara facta, nominisque immortalitatem & laudem respiciant, imaginesque pictæ, quantumcunque sumptum artemque ostentent, in uno saltem loco in pretio habeantur, scripta vero, evulgata in cœtus eruditorum longe lateque, à bonis diligantur, apud quos in gloria esse præstabilius, quam apud alios universos ducitur. Itaque cum omnia amittuntur, sola manent reliqua ornamenta, doctorum ingeniis conservata, quæ cum vigent, atque florent, certissimum præ se recte constitutæ Reipublicæ indicium ferunt, felicissimaque illa censentur tempora omnium judicio.

Hinc aulæ & archiva Principum ſuos habent Commentarios, urbes ſuos annales, familiæ præſtantes genealogias & faſtos, in quibus memoratu digna conſignantur. Hinc in multis locis ob hunc fructum aluntur docti, non ut, famulante ipſis ingenio, virtutem alienis meritis ſuffocantes, nugas atque figmenta pro hiſtorica majeſtate attollant: aut procacitate linguæ, qua vitæ ſordes nequaquam eluuntur, indulgeant, vel aliena flagitia inverecundius detegentes, gravius animos auditorum, quam eos, qui commiſerunt, offendant: Sed recte & glorioſe factis dictis ſuum, cum præconiis debitis, honorem habeant, celebrataque idonee ad omnem poſteritatem ſecuturam transmittant. Geſſerunt res maximas Turcæ in Aſia, Africa, & Europa, virtutumque exemplis longe Chriſtianorum laudes ſtupenda felicitate tranſcendunt, quod tamen arma atque claſſica in majore ſunt dignitate apud illos, quam ſanctæ diſciplinæ & literatura erudita, idoneis quoque ſcriptoribus deſtituuntur, & cum tempore conſeneſcentia facta intermoriuntur. Quanto igitur rectius ſibi conſulunt, qui, dum vita brevis eſt, ingenii adminiculo memoriam ſui quam maxime longam afficere conantur. Inſuper dubium non eſt, fragmenta humana initium corpori Hiſtorico, in æterna vita plene & integre abſolvendo, præſtare. Quod ſi in hac corruptione non alienum ſit ab honeſta converſatione, de benefactis & meritis familiaria, cum jucunda oblectatione, inſtituere colloquia? Quid moratur ſanctos, non in campo Elyſio, ſed theatro cœleſti, quo minus pie de republica Chriſtiana meritorum præconia in ore, animo & memoria teneant, cenſore Servatore noſtro, qui conditor perfectæ tandem & conſummatæ Hiſtoriæ, optime ſuorum laudes, teſtimonio infallibili & caractere indelebili deſcriptas, in cœtu angelorum & electorum, conſpectuque Almæ Trinitatis prædicabit: Cujus auctoritatem ſecuta omnis ſocietas cœlica, præmia conferenti virtuti immortalia Chriſto applaudet, ſimulque ſanctus absque invidia atq; fuco potiorem venerabitur glo-

gloria circumfuſum perenni & nullo tranſitura ævo. Neque enim facta in hac mortalitate dictaque ſolummodo exſtabunt, ſed etiam incogniti æque atque cogniti, nobis perſpecti, individua manſione cohabitabunt, longe cumulatiore gratia, forma atque gloria, quam præſens hæc fert conditio atque fides. Quæ tum ſimul ſeſe inferet in globo improborum turpitudo & anguſtia? ubi pravitati non metus, non ignominia, ſed ſupplicium erit æternum paratum. Itaque nequaquam illorum laudanda ratio, qui in rebus, nulla laude dignis, ætatem & pecuniam conſumunt, & ne minimum operæ vel auxilii adhibentes in juvandis rectis ſtudiis obdormiunt atque obtorpeſcunt: præparamentum quoddam rediture & reviviſcenti barbariei inducentes, faſtidita, tot nominibus commendata, ſacrarum diſciplinarum luce. Unde ingratitudinem pediſſequam vindice flagello pœnam, è veſtigio conſecuturam, nemo ſanus negabit. Contemplemur paulo diligentius hæc noſtra tempora, ſitq; nobis hic annus exemplum atque documentum illuſtre, in quo præcipua Dei flagella graviſſime graſſantur. Pœnis magis efferantur & obdurantur animi, eſtq; conditio noſtra ferme talis, qualis eſt in valle Martia Xenodochii, quod vocant incurabilium, in quo absque fructu deſperati curantur. Quod ſi hæc ex lectione Hiſtoriarum devocata, in comparationem cum ſuperioribus ſeculis cadant, facile de fatis imminentibus judicatu eſt. Cœterum etſi apud multos noſtri labores, omnino Herculei, parum animadverſi atq; æſtimati, in nullo iniquiſſime ponantur momento, non deſinam tamen urgere hoc negotium, quod in gratiam, emolumentum & gloriam Germaniæ ago. Huc enim longinquæ, maximam Europæ partem emenſæ, peregrinationes provocant, huc neglectæ, magis profuturæ, ſeſe conditiones referunt. Et quandoquidem bene & recte quod fit, nunquam ſero fieri putetur, ſicut boni Poëtæ extremum actum politiorem, perfectioremq; efficiunt, itidem ego, quod ſupereſt laboris, perfectiori limæ dedicabo, neque dubito, viros

ma-

magnos, & quos Deus aliis præfecit, animorumque motu excellentiori instruxit, utpote qui generosos & sapientes maxime decet, hos meos conatus propitio favore approbaturos. Qua re conscientiæ, existimationi & communi utilitati melius consulunt, quam si ad ludicra oculos obvertentes, in justam reprehensionem, Dei offensionem, hominumque indignationem, lasciva temeritate & judicio insano incurrant. Id quia de V. C. mihi indubitato, fretus suffultusque tot sincerioribus encomiis, in multa expectatione promittam, obsecro supplex, qua par est subjectione, ut V. C. hæc mea studia, inter difficultates infinitas, in vadis atque scopulis dubie hærentia, benigna affectione, auxilioque digno gratiose provehat. Sempiterna est beneficiorum gratia pietasque, & Musæ honorant bene meritos, tantoque fortioribus stimulis in laudem eorum excitantur, quanto acrius calcar subjicit benevolentia. Nunquam deerunt tales, qui sese fucata simulatæ doctrinæ opinione, sua compendia & aucupia captantes, arroganter ventilent, at quibus respublica periculose affecta atque laborans serio curæ sit, vel cum jactura rei familiaris, ne quid de vita ipsa regeram, quam voluntario saluti ejus afflictæ postponant, ubi invenias? Quo arctius complectendi videantur, qui ætatem, vires, studiumq; huc omne conferunt, ut publico bono serviant. Oro DEUM Optimum Max. ut V. C. pace atque benedictione felix, virtute & benemeritis illustris, religione tandem atque innocentia beata sit.

III.

Consulibus & Senatoribus civitatis *Wurzensis* posteriori dedicatione quoque hic liber est nuncupatus.

TOPO-

TOPOGRAPHIÆ POSTERIORIS DEDICATIONES.

I.

Inclitis, magnificis & ampliss. Proceribus Marchiæ Brandenburgensis, *Dominis Consulibus & Senatoribus*, patriæ patribus, genere, ordine, dignitate, doctrina & virtute præstantiss. patronis magnis,

M. Nicolaus Leuthingerus S.

APud Ægyptios cum Reges funere solenni tumulandi essent, potestas dabatur prius publice defunctos accusandi. Quod si, crimine facultatem negante, in theatrum prodiret nemo, occurrebat protinus, qui in eorum virtutes atque laudes diserta oratione copiose exspatiaretur. Sin vero rei accusationibus obnoxii fierent, & populus eas acclamatione sua comprobasset, privabantur sepultura & solito funerationis honore. Hic metus, ne quid consimile fatali hora oppressus experiretur, Regem successorem continebat in officio, ut meminisset, studendum iis, quæ laudi potius, quam vituperio accommodata servirent. DEum immortalem, si nostrum hoc seculum his ritibus atque moribus assuesceret, quam longe alia reip. futura esset facies. Sed nihilominus restant alia tempora, aliudque judicium, in quo de singulis reddendam rationem historiæ sacræ docent. Videmus, quibus hodie rebus homines, imperiis destinati, sint occupati, quibus studiis addicti, & quam longe degeneres aberrent à vestigiis majorum, qui sibi unum vitæ finem, DEI gloriam propositam habebant, consiliaque & actiones ad subditorum salutem non verbis, non edictis, aut potentia, sed actu ipso, opeque omni referebant. Enitebantur ejusmodi semina in sobolem transfundere, & in virtutis doctrinarumque decus accendere propositis exemplis, quibus generosam indolem extimulari, non avocari, nec terreri aut averti credebant, ut aliquando, cum ad rerum guberna-

cula perveniſſent, non aliis tantum, ſed ſibi etiam ipſis imperarent. Raro enim potiuntes rerum mali evadunt, ubi deſunt cupiditatum adminiſtri. Extat manuſcriptum *Joachimi I.* ad *Joachimum* F. in quo eum ad virtutis & ſcientiarum, linguarumque ſtudium amplexandum prolixe hortatur, inter alia, Principem indoctum ab aſino coronato parum differre, aſſerens. Nec quidem id ſurdis auribus, vel animo dormitante accepit. Ferunt, cum de utroque *Alberto* patruo atque patruele commemoraretur, ad quas dignitates perveniſſent, puerulum mirifice incenſum in amorem ſtudiorum, brevi eos progreſſus feciſſe, ut ætatis vix annos 12. explens *Barnimum*, Pomeraniæ Ducem, Vitebergam adeuntem, prolixa oratione Berlini exciperet. Quod *Barnimus*, uti id inopinato plane accidebat, ideoque aliquanto hæſitantius, quantum quidem extemporalis elocutio patiebatur, reſpondens agnovit & laudavit. Quale documentum *Chriſtianus* Brandenburgicus, divinæ indolis Princeps, non ſemel edidit. Huic etſi cum fratribus illuſtriſſimis exempla domeſtica, vivumque illud inprimis & abſolutum in potentiſſimo Domino *Johanne Georgio*, Sacri Rom. Imp. VII. viro, qui annum 73. prætergreſſus, vegeta memoria, tanto animi atque corporis vigore ſenectutis vitia eludit, ut numinis inſtar venerabilis exiſtat externis, cum in aliis non itidem ingenium vividum ſemper perpetua vitæ innocentia, ſalubre vero corpus hilaris frugalitatis præſidium tueatur, ut *Nicolai Leoniceni Vincentini* verbis utamur, ſatis ſuperque ſufficeret: Ea tamen ſolicitudine in omni ſcientiarum, quæ ad ſumma natum Principem pertinent, genere inſtituitur, ut puer ſenes poſt ſe relinquere judicetur. Intelligit enim Elector, Regi proprie competere non regi, ſed regere alios, & Ducum eſſe non duci, ſed ducere, quo probitas, benefaciendi ſtudium, & gloria vocat: Principem longe primum eſſe oportere in omnigena virtute: Talia antiquæ virtutis ſemina ſupereſſe, adeoque increſcere in aula noſtra, ſapientes mirifice afficit. Utinam vero apud ſupparis conditionis

pro-

proceres, & ſubditos etiam imitatio valeret, & felicior aliquanto eſſet reipublicæ ſtatus. Sed alio hos trahunt fatalia tempora, ut inclinatiore animo eamus in profanas ſpes magnarum opum, futilium dignitatum voluptatumque pernicioſarum, quam ut nos gloriæ immortalis, doctrinæ ſapientis, & frugalis virtutis dulcedo capiat. Quin & non obſcure ſanctæ diſciplinæ, earumque ſectatores contemnuntur. Non negamus, doctorum nomen longe lateque patere, ſed ubi ubi virum vere eruditum, publici boni magis, quam ſui compendii ſtudioſum, invenias. Et ne quid de aliis regeram, quem hiſtoriographum ex millibus unum cum *Livio*, *Saluſtio*, *Julio Cæſare*, & aliis comparabimus? Unde vero illud, an non, quod laboribus præmia non reſpondeant? Quam vero vellem mortalibus aliam à natura mentem dari, ut intelligant ſtudio hiſtoriæ ſacræ atque profanæ nihil eſſe dulcius, nihil utilius; de qua *Ariſtoteles* monet, eam viro politico & rempublicam adminiſtraturo nunquam de manu deponendam, ut quæ ſit eloquentiæ decus atque lumen, vivendi ars, & præcipuum ſapientiæ inſtrumentum, theatrum & ſpeculum totius vitæ humanæ, in quo alios, in quo nos contemplamur ipſos. Quam qui leviter æſtimant, vere infante ſunt infantiores, ut non immerito Ægyptius ille ſacerdos apud *Platonem* Græcos puerorum nomine inclamet, qui nunquam ſenes evadant, eo, quod canum diſciplinam veramque vetuſtatis rationem neſciant. Sed cum laudem mereatur, ſi quis exotica didicerit, turpe profecto erit, patriam ejusque facta, immo ſe ipſum atque majores ſuos ignorare. Hac in re operam meam publicam, gregariam illam quidem, ſed Herculei omnino laboris extare énitor, ut ſciamus, quibus adminiculis & artibus domi militiævè ſteterint Principes Brandenburgici, quæ illorum ſint merita in rempublicam Chriſtianam univerſam. Neque immerito deteſtor craſſam illorum ignorantiam, qui Marchiam rebus geſtis carere impie garriunt. Habent Græci ſuum *Achillem*, Romani ſuum *L. Sicinium Dentatum*,

Oooooo 2

tum, qui centies vicies præliatus, octies ex provocatione victor, 45. cicatricibus adverſo corpore notatus, ſpolia 34. cepit, donatus haſtis puris 22. phaleris 25. coronis civicis 13. aureis 8. muralibus 3. obſidionibus 1. fiſco æris decies, captivis 20. Imperatores 9. ipſius maxime opera triumphantes ſecutus. Habet & Marchia ſuum Teutonicum *Achillem*, nihil Græco, nihil Romano concedens: Jactant illi ſuos Duces, nos *Fridericos*, *Albertos*, *Woldemaros*, & alios: Gloriantur illi in *Themiſtocle* & *Cicerone*, hic gloria par in *Johanne*, in *Joachimis* Electoribus. Sunt & Marchiæ ſua ornamenta, quæ licet ad illam veterum magnificentiam non pertingant, attamen quæ ſylveſtribus horrida dumis erant, nunc magis magisque excoluntur. Non invidemus æſtivæ habitationi *ad S. Petrum* in capite viæ latæ, quæ ſicut olim nova, ita hæc omnium hodie pulcerrima Romæ eſt, ſuam laudem; quæ auſpiciis *Pauli II.* Pont. exædificata eſt. Cellis vinariis impoſita eſſe equilia, equiliis hortum cupreſſis proceris conſitum, & fonte limpidiſſimo rigatum, quem circumcirca conclavia exornent: Cedant noſtra templa illi *Conſtantini* in via *Oſtienſi*, *S. Petri*, *Mariæ rotundæ Romæ*, *S. Marci Venetiis*, aliis alibi. Sufficiunt Marchiæ ſua decora, neque enim ex his bonis vera pietas, virtus, & beatitudo æſtimatur, utpote, quæ non raro indignis eveniant. Unde illud natum eſt in via Salaria ad ſecundum lapidem ab urbe Roma:

Marmoreo in tumulo Licinus jacet, at Cato parvo,
Pompejus nullo, credimus eſſe Deos?

Quis vero noſſet *Achillem*, quis *Scipiones*, niſi hiſtoria, temporum atque rerum teſtis, illos conſervaſſet: Res humanæ per ſe firmi nihil, nihil diuturni poſſident, ſola virtutis atque literarum laus æterna eſt, immo ne virtutis quidem absque literis. Itaque cum omnia amittuntur, hæc ſola manent reliqua ornamenta, quæ doctorum ingenia conſervarunt. Deſiderant quidem noſtra tempora *Livium*, requirunt graves ſcriptores, ſed & nec virtus,

nec

nec literarum honos superioribus annis par, dum omnia in pejus ruunt, his tamen non usque adeo movemur. Germani olim ita contemti fuerunt, ut præter vocem & umbram hominis nihil Quinctilio Varo haberent. Vidimus *Romæ* in *Vaticano* sepulchrum *Ottonis II.* Imp. quem Itali *Sanguinarium* appellant, superioribus seculis porphyreticum, hodie ante templi fores humi positum, apertum, & mendicorum cloacam. Tanti scilicet illi faciunt Germanorum majestatem. Major igitur debetur gratia iis, qui hæc studia ex professo tractant, & tot sepultos Principes redivivos reddunt, tot egregie res gestas perditas restituunt, & patriam debitis præconiis celebrant. Quos ego latissimo me spatio præeuntes assequi elaborans, etsi ad virtutis & honoris templum ascensus sit non solum difficilis, sed etiam periculosus, nescio enim, quid mihi insusurret genius ille in Horrisono:

Qui fido admonitu, ne quis forte inscius intret,
Terrere, & ventura solet narrare pericla.

Ego tamen, fortis fortunæ eadem colens, nihil prætermisi, in qualicunque etiam fortuna, & impedimentis incredibilibus, quod ab assiduitate proficisci poterat. Est quidem cujusvis, ex aliis auctoribus hæc atque illa consarcinare, sed historiæ elegantis, puræ, rectæ atque veræ dignitas longe est augustior, difficultas major, quam ut à quovis tractetur, & multa inquisitione, usu practico experientiaque occupetur. Hinc recte *Caspar Peucerus*, cum juberetur ab *Augusto*, Elect. Sax. in carcere *Philippi Melanchtonis* chronicon continuare, respondit: Numquid putat Elector, me esse Prophetam, qui inspiratione divina ex cœlo revelationes rerum gestarum exspectat? quod sciret, præter egregiam voluntatem multa alia adjumenta ad hoc studium afferenda. Neptunum equestrem antiquitas Consum dixit, quasi consiliorum secretorumque Deum, sed in nostram fragilitatem ea felicitas non cadit. Ea de causa V. D. curiose compellare non intermisi. Hinc injuste me appetit calumnia adversariorum, quasi negligentior fuerim

in inquirendis rebus ipſis, & vos teſtes voco atque appello, quoties V.D. plus nimio moleſtiam importunius creaverim, pertinetque huc, quod denuo vos hac præfatione ſolicitandos exiſtimaverim, ut ſi quid adhuc amor patriæ in hunc uſum collegerit, ne diutius publicæ utilitati ſubtrahatur. Debemus hoc patriæ, cujus gloriam magis magisque increſcere bono civi jucundiſſimum accidit, in quo ſane meum officium deſiderari paſſus non ſum, agoque & debeo tibi, Gardelebium inclitum atque doctiſſ. Stendalia clariſſima atque ſplendida; Soltquella celebratiſſima atque humaniſſima; Brandenburgum antiquiſſimum atque excellentiſſimum; Berlinum pulcerrimum atque magnificum; Francofurtum commodiſſimum atque amœniſſimum; Prenslavia copioſiſſima atque ornatiſſima; Wuſterhuſium ſtudiis meis æquiſſimum, & vobis reliquis civitatibus, bene de patria merentibus, ſummas gratias, quod clementiore animo & favore propitio tenues Muſas reſpexeritis: Si quid mihi ingenii vel virium ex continuis cladibus, naufragiis, & tempeſtatibus infinitis, quibus oppreſſus fluctuo, velut cymba ſine remis in vaſto Oceano, relictum eſt, nunquam committam, ut ullius vos beneficii in me vel officii in patriam pœniteat, quamvis nimium impediar ab iis, qui nec me, nec meos labores noverunt, & deſtituar ab his, qui me ratione potentiæ, dignitatis, & gratiæ egregie adjuvare poterant. Sed & hæc ſuperanda fortuna ferendo eſt, fortique & præſenti animo obluctandum cunctis adverſitatibus, quas facilius diſcuteret victrix patientia, ſi mens amica, favore benigno accincta, inclinatiore animo ad ſuppetias noſtræ tenuitati conſilio opeque ferendas iret. Ego quidem offero patriæ meam operam, tum in aliis, tum in hoc gratificandi ſtudio, locum & ſpartam, numine divino aſpirante & ſecundante conatus honeſtos, ornaturus. Quod ſi calumnia evertar, pertinet id ipſum ad veſtrum dedecus, neque ſane ſpolia ampla ex mea calamitate improbi legent, dum nec inglorius vivere, nec inultus mori poſſum. Moritur Cicero in patria ſervata, ego

vi-

vivere in laudata, & poſt ingens naufragium in ſecurum tandem portum navigare mallem. Si mortem ſenis & exhauſti tot cladibus, venenis, morbis, afflictionibus, itineribus longinquis, calumniis violentis & periculoſiſſimis machinationibus expectare erubeſcit, abeamus, quo nos fata trahunt, nihil næ ego moror adverſariorum ſortem, neque cuiquam invideo fortunam, judicium melius poſteritatis erit. Hoc conqueror, tot bonas horas dieſque publico commodo impendendas, inutiliter inter inſulſas beſtias viro bono perdendas, & tantam ſtolido mundo obtundere cœcitatem, arrogantiam atque oſcitantiam. Interim oro atque obſecro omnes patriæ patres, quibus reip. chriſtianæ gloria propoſita eſt, ne deſides in promovendo conatu noſtro, animo alieniore remiſſius agant. Non ea mihi contingit felicitas, quæ olim *Virgilio*, qui liberalitate patronorum ducenta quinquaginta aureorum millia, teſte *Servio*, lucratus fuit, cum hæc noſtra ſtudia, in ſolo ſterili, ſeculo infelici, vix ſint de pane merendo. Ego quidem conſtare meam gratitudinem omnibus bonis cupio, ſed tamen inprimis, quibus hæc ſtudia curæ atque cordi fuiſſe experiar. Honorant Muſæ bene meritos, Gratiaſque ſecum comites trahunt, & ego quoque memor ero, quare olim Gratiarum templa in mediis foris condi ſolerent. Pater meus cum finiret, paulo ante agona extremum in lecto atque ſtrato apparebant infinita funeſtæ crucis ſigna, id quod ille de noſtra infinita calamitate interpretabatur, vates nequaquam falſus neque dubius. Concedamus igitur fatis, aliiſque ſimus exemplo: Quicunque me tamen caſus opprimat, parato animo, patriam hiſtoriam fideliter abſolvere libris XLV. connitar, eique adjungam omnium Ducum, Regum, Principum, Electorum, Marchionum, & virorum illuſtrium, doctrina virtuteque clarorum, ſed inprimis de patria bene meritorum vitas ad morem Italorum, nec deſinam ſingularum civitatum auſpicia, geſta atque perpeſſa ſincero ſtudio conquirere. Ad quod perficiendum auxilium divinum, benignitatem procerum,

oti-

otium honeſtum ſi petam, quis eſt, qui juſte mihi vitio maleque vertat. V. D. commendo protectioni Omnipotentis. Vitebergæ.

II.

Senatui etiam *Greifenhagenſi* præcedenti proxime dedicatione hic liber erat inſcriptus: poſt verba vero: *in noſtram fragilitatem eu felicitas non cadit*, legebantur, reliquis omiſſis, ſequentia:

Quandoquidem vero ditionis veſtræ hiſtoriæ non ſolum copioſæ & memorabiles admodum, ſed etiam utplurimum Brandenburgicam attingant, fateor libenter, me accenſum mirifice in ejus inquiſitionem deſudare, neque meum qualecunque officium in eo deſiderari paſſum, utinam vero & genio & fato, & ſorte meliore, ſtudio certe incredibili, de quo judicium melius poſteritatis erit. Ego quidem offero Germaniæ meam operam, tum in aliis, tum in hoc gratificandi inſtituto, locum & ſpartam, numine divino aſpirante & ſecundante conatus honeſtos, ornaturus. Et oro omnes patriæ patres, quibus reipublicæ Chriſtianæ gloria propoſita eſt, ne deſides in promovendo propoſito noſtro, animo alieniore, remiſſius agant. Non ea mihi contingit felicitas, quæ olim *Virgilio*, qui liberalitate patronorum ducenta quinquaginta aureorum millia, teſte *Servio*, lucratus fuit, cum hæc noſtra ſtudia, in ſolo ſterili, ſeculo infelici, vix ſint de pane merendo. Ego quidem conſtare meam gratitudinem omnibus bonis cupio, ſed tamen inprimis, quibus hæc ſtudia curæ atq; cordi fuiſſe experiar. Honorant Muſæ bene meritos, Gratiasque ſecum comites trahunt, & ego memor ero, quare olim Gratiarum templa in mediis foris condi ſolerent. Ad meum inſtitutum quod attinet, certum eſt, res & tempora nos multa docere. Unde *Simonides* tempus vocat ſapientiſſimum, veritatem temporis filiam, & quamvis hodie pyrus ſupra pyrum, ficus ſupra ficum conſeneſcat, majore odio atque periculo, quam unquam antea, attamen memor humanæ conditionis, nequaquam in propoſito remiſſius agam, ſed curſum inceptum tenens regiam viam incedam, qui-

cun-

cunque me exitus tandem consequatur. Scio meos adversarios, neque me latet, quid omnium temporum historiographis contigerit. Eorum catalogum non solum recenset *Tacitus* & alii, sed & ipse in hac palæstra non rudis tyro sum, itaque injurias ferendo eam patientiam præsto, quæ meum ordinem decet. Oro autem omnes bonos, sicubi à scopo aliquantum aberraverim, ne istud meæ protervitati imputent, vel negligentiæ: studia enim mea desiderari passus non sum, neque ad offendendos, sed colendos & laudandos bene meritos natus, alium me præstiti, quam debui: Verum in eo totius controversiæ cardo vertitur, quod aliorum judicium secutus, qui rectiora præscriberet, non invenirem, quantacunque etiam sagacitate cuncta inquirerem. Et quis unquam omnibus ex æquo placuit? ne Jupiter quidem pluens vel serenans? Itaque sibi imputent, quod oscitantia illorum honestis conatibus subtraxit. Merito autem laudo has terras, earumque incolas atque præsides, quas Deus optimus maximus singulari providentia tot & tantis ornamentis cumulatissime decoravit: ubi enim majus veræ religionis studium, quod apud multos hodie pallere, adeoque exspirare videtur? ubi pulcrior justitiæ sedes, quæ alibi nebuloso aëre induta plateas perambulat, ut nusquam conspiciatur? qui populus majore rerum gestarum gloria in Germania inclaruit? Hinc Principes, hinc civitates in magna fama atque existimatione apud omnes. Quod beneficium divinum dum agnoscimus, conatus & ego sum ostendere V. C. animum meum, non quidem omnino probatum, sed tamen fidum atque gratum, in quantum nostra humana fragilitas patitur. Apparet, studium historiæ apud multos non esse in eo pretio atque honore, quo decebat, sed apud illos, ubi nullus est virtutis solidæ respectus: si enim dignitatem ejus intelligerent, etiam inclinatiore animo irent ad suppetias ferendas contemtæ sorti. Hinc fit, ut magis magisq; vera & laudanda virtus sua decrementa sentiat, siquidem cum *Plinio* non immerito conquerimur, scriptores desiisse esse in honore, quod ho-

mines laudanda facere desierint. Attamen exerit vim suam benignitas divina, ut in vili atque tenui conditione potentiam suam stabiliat: Proponuntur exempla veterum, quibus nostrum seculum irritetur magis magisq; ad incendia præclarissimarum virtutum, habet inde adhuc apud paucos bonos vera pietas sua commoda, doctrina erudita suum fructum, publica merita suam laudem: Quam vellem unam eandemque esse omnibus mortalibus mentem in tuenda hac sanitate: Tot exstant vaticinia de his nostris temporibus, eo major malorum metus esse debebat. Sed indurata sunt corda: memoria tamen æterna erit justo, neque malum ad ipsum pertinget. Quamvis notissimum sit, adversas res illustrare virum magis, quam dehonestare. Verum in altera æterna vita illustriora erunt omnia. Vellicent sane multi multa maligne, ego certe veritatis servantissimus esse studebo; neque imitabor *M. Antonium*, quem *Augustus* Cæsar increpat, quod ea scribat, quæ mirentur potius homines, quam intelligant, & existimo, futuros non paucos, qui hoc nomine mihi gratias sint acturi. Laboret interim *Crispus* Romana primus in historia, experiaturque petulantiam malevolorum. Appellant historicum, qui multa scit, vidit, & cum multis colloquutus, rerum plurimarum usum habet, de his aliorum sit judicium. Sed concedamus polypis, qui tandem famelici sibi ipsis pedes arrodere coguntur, & quibus contingit, quod *Marco Musuro* Cretensi, de quo in S. Maria de Pace:

Musure o mansure parum properata tulisti
Præmia, namque cito tradita, rapta cito.

Ego tamen bona spe distinguor ab illis, non quidem Chilonis, sed Christiana. In qua V. C. has pagellas consecratas subjectionis ergo, pro pietate mea, quæ est in V. C. summa, offero, & oro, ne V. C. hanc meam affectionem in Germamiam, omnesque bonos, & Patres patriæ despiciat. Nunquam obliviscar, quare veteres pingerent Gratias, ut pro una semper geminæ redirent, una

daret,

daret, geminæ referrent. Invoco Deum, ut V. C. benedictione sua perpetua adsit. Valeat vincaturque *Demetrius Cabacius Rhallus*, Eques Spartanus, qui nullum unquam corporis incommodum expertus, nonagesimum ætatis annum transgressus est: In V. C. nihil unquam desit, quod humanitus vel divinitus desiderari possit, felicitasque felicem consequatur perpetuo. Vitebergæ anno MDXCVII.

III.

Alia editio hujus libri præ se ferebat dedicationem Senatui *Gardelegiensi* sequenti factam argumento:

Dignitas quanta sit historiæ, utilitas, atque necessitas, cum mecum apud animum reputo, non possum satis admirari eos, qui in ea excolenda studiosi fuerunt. Hinc etiam lector exempla faciendorum fugiendorumque capit, ex aliorum erratis suas actiones probe emendat conformatque, & ad multiplicem rerum mutationem ipse opinionibus non fluctuat, sed connititur, ut unum idemque institutum tenens in æmulandis recte laudabiliterque factis totus sit occupatus. Sic posteritati quoque optime consulitur, quæ hoc modo pulcerrime excitatur sanctissimis operibus imitandis, & decenti probataque vitæ instituendæ ratione affectanda. Hinc non immerito historiam vitæ magistram, quæ judicium & prudentiam pariat, Romanorum eloquentissimus appellat. Certe exemplo nihil vehementius, nullamque memoriam vivaciorem esse usus docet. Neque solum ingentia, sed tenuia quoque suum locum non absque fructu tuentur. Videntur autem ingenia hominum, quæ alias magis ad deteriora feruntur, inprimis in delira hac mundi senescentis segnitie his veluti lenociniis exsuscitanda. Olim *Miltiadis* trophæa *Themistoclem* dormire non patiebantur. *Alexandrum Magnum* gloria *Achillis* incendebat: *Julium Cæsarem* virtus, celeritas atque fortuna *Alexandri* exstimulabat, ut ex profligatæ famæ juvene Imperator longe clarissimus evaderet. Quæ incitamenta quantum in rebus hu-

manis valeant, utinam hoc ſeculum plenius intelligeret, & minus eſſet querelarum, & majora omnis virtutum generis incrementa haberemus. Accedit & hoc, quod hiſtoria ad fallendum tædium, ſed & ad valetudinem corporis & animi recreationem non minimum conferat. *Alphonſus*, Arragonum Rex, periculoſo morbo correptus, dum fruſtra medicorum opem expoſcit, *Q. Curtium* ſibi porrigi jubet, cujus lectione ita recreatur, ut dolorum oblitus omnino valetudinem recuperare videatur. Exclamat igitur, valeat *Galenus*, valeant *Avicenna*, *Hippocrates*, & omnes medici, vivat *Curtius*, ſanitatis meæ reſtitutor. Cui aſtipulatur teſtimonium *Philemonis*, qui vel nudam orationem ægrotantibus prodeſſe aſſerit. Hinc non inſulſe quidam literas animæ medicinam dixerunt. Habent profecto eæ omnes meo judicio, ſed inprimis rerum geſtarum ſcientiæ, cum dulciſſima animi oblectatione conjunctam, & omnino opinione majorem utilitatem: qua tamen ferme quis, ut naturæ eſt generoſioris, capitur. Ego quidem in his ſtudiis poſt ſacras literas vitæ humanæ delicias & ſolidas voluptates conſtituo. Et quamvis ingenue fateor, me natura vehementer ad ea rapi, certum tamen eſt, me plurimum etiam *Georgio Fabricio Chemnicenſi*, viro omnis antiquitatis peritiſſimo, debere, currenti autem deinde calcar addidiſſe viros alios præſtantiſſimos, qui mihi hortatores auctoresque fuere, ut patriam hiſtoriam colligerem. Initio autem me multa ſimul & terruerunt, & impediverunt in inſtituto, inprimis cum annales patriæ de paucis monerent, & propter frequentiam bellorum intercidiſſent documenta pleraque, monumenta vero reliqua cum monaſteriis direpta eſſent, nec tamen inter has difficultates à propoſito deſtiti, ſed impigre agendo magis magisque contranitens exercitii cauſa progymnaſmata quædam præmiſi, ut per hanc occaſionem cauſa mihi daretur cum viris ſapientibus inter vicinos populos conferendi, & experirer, quid ferre valerent humeri. Videmus enim, illos, qui ludicro ſeu vero decertaturi ſunt prælio,

lio, antequam Martis ſubeant diſcrimen, arma expedire, animi vigorem confirmare, & corporis robur exercere, ut cum per uſum diuturnum ac pugnæ ſimulacrum jam vires periclitati fuerint, rem ita demum aleæ recte committant. Objecta etiam fuit alia difficultas, cum enim Principum Brandenburgenſium imperandi jus late longeque ſpectet, multa impedimenta noſtris conatibus allata ſunt, ut veritati ſacrificetur. Ardua res cumprimis hæc eſt, id operam dare, minimeque ex iſtis, quæ per ſegnitiem comportantur, ſed quæ maxima indigeant cura, dum non raro mihi obvenit ferme, quod viatoribus apud Bactrianos in regione, quam ſteriles harenæ occupant. Iſthic cum venti à pontico mari ſpirant, omnia priſtini itineris veſtigia intereunt. Itaque qui campos tranſeunt, relictis veſtigiis, navigantium more noctu ſidera obſervant, ad quorum poſitum & curſum iter dirigunt. Interdum ille ipſe ventus viatores harena omnino obruit. Bonis tamen me permitto, & tanquam ad exædificandum publicum bonum meum contribuo. *Lucanus* nobis depingit hiſtoriographum, qui ſit intrepidus, incorruptus, ingenuus, liberæ linguæ, ac veritatis amicus, quique ficus ficus, ſcapham vero ſcapham nominet, non livori, non amicitiæ indulgeat, nemini parcat, nullius ducatur miſericordia, nullo corripiatur pudore, non animo flectatur, ſit judex juſtus, omnibus benevolus, usque adeo, ut ne quid alteri plus juſto tribuat, peregrinus in libris, ſine civitate ſuis vivens legibus, Rege carens, haud conſiderans, an illud vel aliud conveniat, ſed quid factum ſit, enarret. De his aliorum ſit judicium. Recte quidem hæc ſtudia noſtra comparantur navigationi contra fluminis curſum, ubi ſi leniter ceſſaverint remiges, impetus fluminis navim retro trahit. Inter has obluctationes ingentes provehere res bonas, vere heroicum eſt. Quod ſi ſecula hæc noſtra literas faſtidiunt, quid fiet aliquanto poſt, cum inſcitia barbariem & feritatem augebit. Hæc cogitare eos, qui ad gubernacula rerum ſedent, decebat, ut majore cura opem diſci-

plinis ferrent, ex quibus reliqua omnia exædificarentur. Ubi intereunt literæ, ibi efferari animos videmus. Dictum est *Aristotelis*, tyrannidem, quæ etiam, proh dolor, hodie inter literatos regnat, inimicissimam esse veritati. Itaque orandum est, ut imperiis destinati, & naturæ bonitate excellentes doctrina excolantur, quo officium suum rectius intelligant & faciant. Constat, in familiis heroicis vim naturæ præstantiorem esse, quam in reliqua multitudine. Constat & hoc, ordinum distinctionem divinitus factam esse, & præfecisse Deum præstantiores cœteris hominibus, addidisse quoque motus animorum acriores, meliores, & feliciores, quam reliquis, qui parent: Habent etiam hoc singulare magni atque præstantes viri, ut quo sint virtutum ornamentis decoratiores, eo magis hæc studia colant, studeantque quam proxime beneficentia ad Deum accedere. Inter quos cum recte V. D. numerem, volui me, meaque qualiacunque studia inscriptione hac dedicatoria commendare, & V. D. judicio atque censuræ subjicere, non solum, quod scirem, V. D. lectione historiarum multum pro more excellentium virorum delectari, literas magnifacere, doctos colere, & vere esse publicum bonum, communicativum sui, cujus fructus ad plurimos redundent: sed etiam horum Principum, per quos Germania imperiumque Romanum consiliis salutaribus rebusque gestis perpulcra incrementa cepit, virtutes tanquam donum Dei singulare agnoscere: & quidem exstant quædam vaticinia satis vetusta de Aquila Brandenburgensi, ipsam regium diadema adhuc accepturam, vidique ipse in monasterio tales rhythmos literis germanicis corrupte scriptos:

Das weisse Pferdt leidet grofs Drangk,
Behält doch endlich die Uberhand.
Das Rautenkräntzlein wird wieder blühen,
Und sich in Ehren sehr frewen.
Der rothe Adeler wird gar hoch schweben,
Und sich viel über ander erheben.

Neque

Neque ſane negari poteſt, Principum Brandeburgenſium ſapienter acta, glorioſe geſta, laudabiliter facta, meritaque in univerſum imperium pace atque bello, in rebus civilibus & eccleſiaſticis, plurimum eminere. Et hodie noſtra tempora omnino ſunt talia, ut ſalutaribus Principibus indigere videamur, qui non ſolum ſapientia atque eloquentia, ſed etiam potentia, auctoritate atque felicitate ſint inſtructi. Vidimus intra anni ſpatium Principes in Germania decem nobis per mortem inopinatam ereptos: Vidimus mutationes in regnis atque rebuspublicis, & imminet fatalis periodus Germaniæ, ſed & Marchiæ Brandenburgenſi, quæ ab *Henrico Aucupe* Imp. mediocriter annos 663. floruit, & interim ſepties inſignem mutationem eſt perpeſſa & ſeptimo quoque ferme Principe: Certum autem eſt, Principum familias circumſcribi quadam periodo, qua excurſa exactaque vel dignitatem amittant, vel intercidant, vel ad auguſtius faſtigium aſcendant. Itaque ardentius orandus eſt Deus, ut ſalutares Principes non ſolum nobis largiatur, ſed etiam benigne conſervet, detque hanc illis mentem, ut pax & concordia, religio atque juſtitia, ſtudia atque literæ, adeoque tota reſpublica Chriſtiana ipſis cordi ſit atque curæ. Oro etiam atque obſecro V. D. ut hos meos qualescunque conatus, qui herculeis ferme nituntur laboribus, benigno vultu accipiat, placidoque favore approbet atque reſpiciat, inprimis in hac extrema mundi ætate, ubi ſtudia ejusmodi non in eo ſunt pretio, in quo alias reperiuntur ea, quæ magis ſunt de pane lucrando. Affectionem ſuam benignam hactenus erga literatos declaravit V. D. multis modis, quo nomine etiam V. D. me multum debere, libenter gratoque animo profiteor, daboque operam, ut V. D. intelligat, benevolentiam illam bono viro eſſe præſtitam: Hac de cauſa volui hanc partem meorum commentariorum V. D. inſcribere, petoque, ut eam benevolentiam erga me & omnia recta ſtudia ſarctam tectamq; ſemper conſervet: Laborioſiſſimi omnino fuerunt hi noſtri conatus, in quibus cum laborarent *Sabinus*,

binus, *Willichius*, *Schofferus*, *Wolfgangus Juſtus*, *Reineccius*, *Colerus* & alii, viri ſane præſtantiſſimi; quia tamen non reſponderent omnia inſtituto, difficultatemque experirentur majorem, quam prima fronte promittebant res & verba, ſpartam, quam egregie ornare poterant, deſeruerunt: Quod ad me attinet, hunc campum ingreſſus, primum nequaquam exiſtimabam, tam eſſe amplum, erantque, qui affirmabant, me rem periculoſam tentare, ſed quia nullibi poſt ſacras literas tantam voluptatem mox à primis adoleſcentiæ annis ceperam, quam ex hiſtoriarum ſtudiis, & jam in confirmata ætate, vexataque multipliciter, uſuque rerum non exiguo plurimum probata, dum multa diſcere cuperem, maximam enim Europæ partem magna diligentia non otioſus, ſed laborioſus, cognoſcendi cupidus multa perluſtravi, cognitionem qualemcunque acquirere ſtuderem, præter alia non pauca commentarios Brandenburgicos libris XLV. collegi, in eum finem, ut conteſtarer meam reverentiam erga meos Principes, amorem erga patriam, meumque de omnibus bonis bene merendi ſtudium: & cum meorum Principum acta, geſta, factaque per univerſum imperium longe lateque exſtent, non dubito, omnibus bonis hanc hiſtoriam gratam futuram: mea quidem qualiacunque ſtudia offero ſingulis & univerſis. V. D. ſolicitis precibus Deo Opt. Max. commendo. Vitebergæ anno ſal. MDXCII.

LIBRI PRIMI, SECUNDI ET TERTII DEDICATIONES.

I.

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Principi ac Domino,

Domino JOACHIMO FRIDERICO, *Marchioni Brandenburgenſi, Archiepiſcopatus Magdeburgenſis Adminiſtratori, Germaniæ Primati, Boruſſiæ, Stetinenſium, Pomeranorum, Caſſubiorum, Sclavorum, & Croſnæ in Sileſia Duci, Principi Rugiæ, & Norici caſtri Burggravio, &c.*
Domino & Principi ſuo clementiſſimo, S.

Octa-

OCtavus jam annus eſt, Illuſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime, cum *librum tertium carminum meorum*, epitomen quaſi rerum ab Electoribus Brandenburgicis geſtarum, & ſimul orationem de læto & magnificentiæ nomine celebratiſſimo in urbem Magdeburgenſem ingreſſu gratulatoriam, C. T. qua poteram ſubjectione, nuncuparem. Memini, me tunc Marchiæ commentarios C. T. promittere, qui poſtea utcunque à me confecti ſunt, ſed invita manus illum nobis fœtum immature ſurreptum fraudulenter enecavit. Cum autem hisce diebus retexere ea, vel potius novo partu gignere cœpiſſem, prodire in lucem vix ſuſtinui, quod, ſiquidem hodie ſcitum, cauſam conferre in tempus, cum meliora afferre ſi cupiamus, non poſſimus, omnia uno tempore ſuſcepta recte fieri minime putarem. Sic ſcriptorum omnium monumenta, quæ lucem & diuturnitatem ferunt, teſtantur, quod victurus ſpatium debet habere liber. Et quæ cito fiant, citius quoque perire, tritum apud nos eſt. Neque enim ingenio id poſſum, quod *Starchaterus Suecus* pugil pedibus, qui una die tantum itineris confecit, quantum alii diebus duodecim continuo gradientes vix potuerunt: aut curſor *Alexandri Magni*, qui 33. milliaria germanica, ſecundum *Procopii* computationem ex *Solino*, ſingulis diebus eundo complexus eſt. Singulari tamen conſilio, & crebris multorum adhortationibus adductus hanc operis partem, difficili quidem partu & fortaſſis abortivo, utinam ſidere felici & fauſto, in publicum edidi, cui propitia fortuna & favente Celſitudinis T. gratia reliquas ſuo loco ſubmittere conſtitui. Equidem majoris ſemper pietatis eſſe exiſtimavi, ingenii vires in bonorum Principum & virorum bene de nobis & republ. meritorum virtutibus, & egregie factis extollendis, quam cum *Svetonio*, *Petro Candido Decembri*, & multis aliis inverecundius & contumelioſius in conquirendis hominum vitiis, iisque cupide & maligne detegendis & exagitandis, periclitandas dare. Abhorret etiam mens mea ab omni vanitate & Sophiſtica, iisque arti-

bus, quæ non perinde magno uſui ſunt, aut emolumento reipublicæ, ſtuduique plurimum laboris & operæ in res neceſſarias conferre, & quæ hominum vitæ ſunt ornamento & dignitati. Quamobrem captus admiratione antiquitatis per otium, vacante à ſtudiis meis animo, illis crebre indulgere ſoleo. Et cum externa ſolicite dicta & facta perquirerem, turpe mihi duxi in rebus patriis eſſe cæcutientem, in aliis lynceum: nec dubium eſt, quod, quo quis eſt naturæ præſtantioris, eo magis cogitatione hac & inveſtigatione afficiatur. Etſi autem in creberrimis iſtis obviis viciſſitudinum exemplis rerum omnium & vanitatum vanitas vana, nihilque perpetuum, nihil durabile, conſtans, firmumve occurrat, hoc tamen inde commodi aſſiduus lector capiet, ut ſapientiam in eo & prudentiam præparet, adjuvet, & confirmet illa antiquitatis inqviſitio & cognitio, & exemplis virtutum, inprimis domeſticis mirifice ad honeſtatem & gloriam igne quaſi naturali accenſus invitetur, ſeque ipſum conſiderando rectius gerat & regat, nec viciſſitudinibus admodum frangatur, qui alias infante infantior, & inepto ineptior erit: intelligit enim, novum non eſſe, mutationes ſubire, & fortunam, cum maxime ſplendet, everti. Quantum, Deum immortalem, rerum inconſtantiæ exemplum una Roma, de qua *Livius* ad amicum, eam videre cupientem, ſcribit, non urbem, ſed quandam cœli quaſi partem viſurum, exhibet, ubi nunc forum eſt, olim errabant armenta: ubi olim arx Tarpeia eminebat, nunc furum ſupplicium improbos terret: ubi tot orbis miracula erant, nunc fœtida rudera reſtant. In Marchia vix hodie viculos conſpicias, ubi florentes olim urbes fuerunt. Hæc cogitantes afficimur rerum noſtrarum fragilitate. Quid? ſi nihil tale in monumenta relatum eſſet, nos & Ciceronæi illi, qui nihil ſciunt, quid factum, antequam naſcerentur, quid differremus? ne de noſtris quidem rebus explicate rationem reddere poſſemus. Itaque Heroës illi multum ſunt ſuſpiciendi, qui egregie rempubl. adjuverunt: ſed aliquam etiam laudem merentur, qui eorum me-

memoriam monumentis insertam ad nos usque conservarunt. Absque his si fuissent, nec Principes, nec res illorum satis nossemus. Vicit atavus tuus *Albertus*, Princeps inclite, rerum gestarum laude, numero & magnitudine omnes sui seculi Principes; attamen si absque *Ænea Sylvio* & aliis viris doctis, qui earum memoriam ad nos scriptis suis propagarunt, fuisset, ignotæ nobis istæ quantæcunque etiam permansissent, sicut & nunc multa obscura sunt, plurima vero desiderantur. Quemadmodum autem Principes illi, qui se natos in excidium aliorum putant, qualis fuit *Caligula*, qui exoptavit, imperium Romanum esse caput unum, cujus ipse cervicem violenta securi elideret: qualis *Nero*, qui omnia ædificia & monumenta antiqua, maxima & splendidissima, quæ *Asinius Pollio*, *Agrippa*, *Cornelius Balbus*, *Plautius*, tot Coss. tot Imperatores ingentibus operibus exornaverant, ut *Augustus* marmoream se relinquere urbem, quam lateritiam accepisset, gloriaretur, improbissimo incendio evertit, ejusque spectator ex turre Mæcenatis, re quasi bene gesta, ovabundus fuit: qualis tandem *Martinus II.* Pontifex Rom. qui in votis habuit perpetuis, ut Germania una esset piscina, in qua natio hæc submersa periret, Principes non sunt, sed portenta Principum, & merito pro monstrosis partubus censentur: Sic scriptores illi *Coriolano* non sunt meliores, qui patriam & Principes suos convitiis oppugnant, aut plurimum mendacii in deformandis illustribus viris reponunt, vel in gratiam aliorum aliis melioribus detrahentes sui compendii causa falso adulationis genere palpando bonos dehonestant. Qualis fuit *Paulus Jovius* Novocomensis, qui de avo tuo *Joachimo II.* Principe Electore fortissimo, sapientissimo & eloquentissimo, iniquissime judicavit & scripsit: sed istum refutat veritas, deinde testimonia probatorum virorum. Ad sempiternam etiam memoriam testatum reliquit *Gorræus* Parisiensis, Amadisi fabulas non minus veras ac probabiles esse, quam Jovii scripta. *Johannes* autem *Bodinus* Gallus judicat, ferendum esse, si pro salute reipubl.

mentiretur, id quod magiſtratibus *Xenophon* & *Plato* permiſerint, ſed aſſentationis cauſa mentiri, cum omnibus turpe, tum vero hiſtorico turpiſſimum. Qui tandem iſti ſint, eorum nobis exempla imitanda non putamus. Recte autem facerent Principes, ſi in hanc curam intenti eſſent, ut præclare reſponderent conatibus beneficia. Laudantur Hetruſci, & apud eos Vetulonii, quod tubam primum invenerint, nec id vituperamus. Admirantur alii ματαιοτεχνίας & artifices ineptos, qualis ille fuit Lipſenſis, qui centum imagines in nucleo ceraſi exſculpere potuit. Sed quid inde publico commodo utilitatis importatur? Reſpiciendum potius erat ad eos, qui vivas imagines ſculpunt, & mortuos pulvereque obductos in vitam revocant & lucem, quorum opera non modo, ſed & perpetuo utilis & jucunda eſt, talem honor alit artem, & talia beneficiis moventur ingenia & incitantur. Quibus omnino modis ſuam *Aventinus* hiſtoriam & alii contexuerunt. Tuæ quidem Celſitudinis avus & proavus eam tum in omnes, tum in doctos exercuit liberalitatem, ut Marchia ab illo tempore, quæ antea margaritas gignere credebatur, ingeniis floruerit fœcundiſſima. Ne de parente T. C. potentiſſimo Principe *Johanne Georgio*, Sacri Rom Imperii Electore, quid dicam. Clariores itaque eſtis Principes, factaque veſtra ſunt illuſtriora, quam illorum, qui literas & ſtudia faſtidiunt, quorum cum corpore ſimul nomen & memoria putreſcit, intercidit & interit. *Tamberlanes* cuivis Regum conferri potuit, fortunam enim adverſam nunquam expertus eſt, quia tamen in tanta felicitate, in tot maximis victoriis & virtutibus ſcriptorum luce caruit, pauci ſunt, quibus tantum nomen cognitum eſt. Quis vero *Matthiam Hunniadem* neſcit, qui tantam gloriam, vel ipſis adverſariis atteſtantibus, hominibus doctis acceptum tulit, quos ad ſe magnis præmiis pellexit. Scilicet intelligebat magnanimus Rex dignitatem & neceſſitatem ſtudiorum, ope horum immortalitatem arceri, vitam reſtitui defunctis, conſervarique florentes, quorum alias nomina,

na, dicta, factaque pulveri, & vix pulveri inscriberentur. Utinam in me quoque tale quid esset: Certe cum Principes meos, me & patriam amarem, hoc argumentum tractandum suscepi, quod me gravitate sua initio pene oppresserat. Quamvis autem nequaquam cum *Antonio Nebrissensi* sim comparandus, qui amore literarum spontaneam elegit paupertatem, & totius Italiæ gymnasia collustravit, infinitasque difficultates sustinuit, & tandem Neapoli de literis non minus, quam *Ferdinandus* Rex de Mauris, & capta Granata triumphavit: nec quidem ad me amplissimam istam gloriæ segetem pertinere puto, attamen quæ viderim, perlustraverim, pertulerim domi & foris, in Germania & extra Germaniam, non in uno regno, optime mihi conscius sum, & tempora resque docebunt. In præsentiarum autem, etsi gravioribus sum studiis occupatus, paratæ voluntatis meæ declarandæ gratia in patriam, ac gratitudinis in T. C. aliquid potius, quam nihil præstare volui, & hanc meæ historiæ, quæ libris XX. descripta est, partem clarissimo Celsitudinis Tuæ nomini consecrare volui. In eo si, Princeps inclite, T. C. conatum meum probare possem, eo majore cum studio reliqua pertexerem. Interim proavi & avi dicta factaque cognoscere non grave erit, quorum memoriam T. C. gratissimam esse, dubium nemini esse debet. Apud nos subditos tuos illa semper conservata gloriose recolitur. *Commodum* Imperatorem & Principem suum Roma, velut generis humani hostem, convitiis multis & edicto exsecreta est, neque enim aliter meritus erat, *Ælio Lampridio* teste: Hosti patriæ honores detrahantur, parricidæ honores detrahantur, hostis patriæ, hostis Deorum, carnifex Senatus, parricida Senatus unco trahatur, qui innocentes occidit, unco trahatur, sævior *Domitiano*, impurior *Nerone*, sic fecit, sic patiatur: Qui omnes occidit, qui vivos spoliavit, qui utrumque sexum occidit, unco trahatur, qui templa spoliavit, quia pretia vitæ exegit & fidem non servavit, unco trahatur, qui ad perniciem civium & dedecus suum vixit, ideoque

ſtatuæ & nomen ejus ab omnibus publicis & privatis locis abolendæ & eradendæ, &c. Noſtros autem quibus laudibus extollamus, quibus præconiis ornemus, quam ipſis gratiam propter innumerabilia in patriam merita & virtutes referamus, cum tenuitatem noſtram longe ſuperent, non inveniri poſſe aperte fatemur. Quis enim ſatis tuum proavum laudaverit? quis illius ſapientiam, quis eloquentiam, quis doctrinam & ſtudium bene merendi de literis & literatis, adeoque univerſa republ. ſatis prædicare poterit? quis avum tuum ſatis extollet? quis illius prudentiam, facundiam, rerumque bellicarum uſum & ſcientiam ſuperavit? *Alfonſus* Neapolitanus bellum illaturus Florentinis oratori illorum, minas jactanti, reſpondit:

- - - *Melior mihi dextera linguæ,*
Dummodo pugnando ſuperem, tu vince loquendo.

At in hoc noſtro Principe

- - - *Par dextera linguæ,*
Pugnandoque ſimul ſuperat, vincitque loquendo.

Bis ille in Turcam publici imperii nomine profectus eſt. Oraculum ille erat, quod ſenatus ille Imp. ſummus conſuleret. *Æneas* ille Trojanus erat, à quo Evandrini diſcerent; ille, cum multis uſu veniat plerumque, ut optima quoque cogitata peſſime cadant, in conſiliis & actionibus felice felicior erat. Huic Marchia Evangelii puritatem ſecundum Deum acceptum refert. Ille plus voluptatis ex datione, quam accipientes ex munere ſentirent, hauriebat. Plus ille conſilio potuit, quam reliqui omnes armis. Sic Cæſarem placavit: ſic Marchiam belli expertem fecit: ſic Principatum *Croſnenſem* à Bohemiæ Rege *Ferdinando*: ſic Ducatum *Boruſſiæ* à Poloniæ Rege *Sigismundo Auguſto* acquiſivit: ſic Principatum *Magdeburgicum* ſuis quinta ſucceſſione de conſenſu Imperatorum *Caroli V. Ferdinandi, Maximiliani II.* & *Rudolphi II.* ſic dominatus *Beſicovium, Storcovienſem*, & *Zoſſanum* obtinuit. Patriam ingentibus operibus exornavit, propugnaculis munivit, le-

legibus excoluit, virtute illuſtravit, religione tandem beatam fecit. Denique adeo multa hic ſimul concurrunt, ut literarum cancellis includi non poſſint. In quo tamen feci, quod potui. Quem conatum C. T. ut ſereno vultu accipiat & approbet, qua debeo ſubjectione, oro. *Pindarus* ait, virtutem creſcere prædicatione eorum, qui res geſtas ſcribunt, ut arbores verno tempore. Utinam tale quid aſſecutus eſſem. Illos enim, qui ſibi tantam licentiam in aliorum defunctorum ſcriptis flagellandis, judiciumque ἀνόητοι ſumunt, & interim alienos labores pro ſuis venditant, nihil moror. Sed tamen hunc mei ingenii fœtum, velut palladium quoddam ab omnibus adorari, ſicut in Lapponia iſtud, quod mane primum occurrit, pro numine habetur, nequaquam volo, ſed æqui lectoris cenſoriæ ferulæ libenter ſubmitto. Quod reliquum eſt, C. V. Deo Opt. Max. commendo. Vitebergæ 5. Calend Maji, die, quo academia Francofordiana à *Joachimo I.* Brandenburgico & *Alberto* fratre Electoribus ante annos 81. ſolenniter introducta fuit. Anno Chriſti MDLXXXVII.

Illuſtriſſ. Celſitudinis Tuæ

Subjectiſſ.
M. Nicolaus Leuthingerus.

II.

Ampliſſimis & prudentiſſimis Viris, virtute, doctrina, genere & dignitate præſtantiſſimis, *Dnn. Conſulibus & Senatoribus reipublicæ Bunzelienſis*, (aliæ horum librorum editiones habent dedicationem factam argumento eodem Conſulibus *Berolinenſibus*, aliæ Senatui *Neuſtadenſi*, *Wrizenſi* & *Münchebergenſi*, aliæ Senatui *Prenſlavienſi*, *Angermundenſi* & *Templinenſi*,) Dominis ſuis colendiſſimis.

SEmper ita, Patres conſcripti, Virique præſtantiſſimi, à ſapientibus eſt judicatum, nullum auctorum genus præclarius de rebus humanis mereri, quam quod vel maximorum Principum, vel excellentium populorum, vel illuſtrium virorum geſta hiſtori-

riarum monumentis commendat. Graviſſimarum enim rerum conſilia, actiones & exitus, religionis initia, progreſſus & metas, heroumque actus cum temporum & locorum ordine atque deſcriptione, vivam quaſi picturam, ante oculos exponit: deinde variarum rerum exemplis cum optimos quosque ob laudis nominisque immortalitatem ad præclara quæque accendit, tum vero improbos ac pravos perpetuæ infamiæ metu à vitiis deterret: inprimis autem hoc ſingulare habet, quod debitis excellentem virtutem præmiis ornat. Si enim *Ciceroni* credimus, nullam illa aliam ſuorum laborum periculorumque mercedem deſiderat, præter eam, quæ eſt laudis & gloriæ, in aliis quoque mirificum recte agendi & bene merendi ſtudium inflammat. Ideoque apud Heroas divinitus excitatos in pretio ſemper fuit & aliquo numero, quin & tunc demum ſe felices exiſtimarunt, ſi ejusmodi virtutis præcones tempora præſentia tuliſſent, iisque familiariter innotuiſſent, quorum etiam amicitias maximis ſæpe muneribus redemerunt, quamvis vel tenuis & abjectæ eſſent fortunæ. Ita enim ferme ſolet mundi inſolentiam Deus confundere, ut quod ipſa exoſculetur, hic faſtidiat, & præteritis gratioſis & elatis infirmitatem & paupertatem in maximis exerceat negotiis. *Alexander Magnus Achillem* beatum prædicat, qui laudum ſuarum buccinatorem *Homerum* habuiſſet: ſic ſui temporis hiſtoricos *Ariſtobulum* & alios ingentibus præmiis ornavit: *Scipio Polybium* amanter adeo complexus eſt, ut ſine eo vitam ſibi acerbam putaret. Noſtro tempore *Carolus V. Paulum Jovium* Novocomenſem in ſingulari habuit honore, qui tamen ſubinde in leges hiſtoriæ peccat, dum falſa dicere non erubeſcit, quodque verum eſt mendaciis involvit, & nunc in aſſentationis, nunc in ſimultatis ſuſpicionem incurrit. Sicut idem de Germanis, & de illuſtriſſimo Principe Electore noſtro, felicis memoriæ, Domino *Joachimo II.* impudentiſſime mentitur. Et ne quis me amore Principis & patriæ nimium moveri arbitretur, equidem *Johannem Bodinum* Gallum audiamus, cujus hæc ſunt verba:

Jo-

Jovius rogatus, cur simularet falsa, vera dissimularet, amicorum gratia id à se factum, respondit. *Attamen si superstites intelligeret suis scriptis fidem derogaturos, ea tamen intelligebat infinitæ posteritati credibilia fore, quæ sibi suisque popularibus laudem essent allatura. Illud certe ad sempiternam memoriam testatum reliquit Gorræus Parisiensis, qui quas finxit Amadisi fabulas, non minus veras ac probabiles, quam Jovii scripta fore confidit. Ferendum quidem esset, si pro salute reip. mentiretur, sed assentationis causa mentiri, cum omnibus turpe, tum vero historicis turpissimum.* Immo ipsi suas aliquando Principes viri & egregii historias describere, amore virtutis adducti, aggressi sunt, ex quorum numero fuit *Xenophon*, *Julius Cæsar*, *Maximilianus* I. *Bartholomæus Licianus*, qui à Gallis captus in carcere scabræ vilique papyro, cum aliter per custodes non posset, res gestas diligenter & ordine commendavit, solatiumque fortunæ inde petiit. Contra autem ubi hæc cura fuit neglecta, ibi nec virtutis adeo rationem magnam habitam fuisse, eaque ruente reliqua quoque paulatim bona corruisse, constat. Hinc *Plinius* testatur, scriptores sui temporis non fuisse in admiratione, quia homines desiissent laudanda facere. Merito igitur Deo gratias agimus, quod hoc seculo literarum lucem instauravit, & simul cum illis Heroas, quibus & literæ, earumque sectatores curæ sunt & honori, excitavit, gratulamurque patriæ nostræ, quam olim Lestrygones, barbaries & *Martialis* ferocia oppresserat, quod Principum nostrorum beneficentia, pietate & humanitate ad eum sit statum provecta, ut pietas erudita, virtus pia, & literæ scientiæque absolutissimæ pulcrius in ea atque in ulla alia Germaniæ provincia floreant, & quod illorum exemplum secuti reliqui, nobilitas & civitates huc operam suam certatim conferant. Vere hæc cura Palladium Trojanum superat. Nam quam diu hæc inviolata stabit, tam diu res Marchicæ feliciter florebunt. Certius hoc nobis sit augurium, quam Romanis illud ex hasta, quæ ex Aventino monte à *Romulo* projecta,

 solo-

ſoloque infixa, repente floreſcere cœpit, & ſtatum imperii Romani ſignificavit, quod, teſte *Plutarcho*, in flore permanſit, quoad arbor ſuum florem retinuit. Etſi autem paſſim ſunt crabrones ex equo quaſi patre fracto enati, qui à virtutibus priorum diſcedentes optima quæque graviſſime inſectantur, literis, earumque cultoribus moleſtiam creant, altoque ſupercilio vel τὰ ἱστορικώτατα contemnunt, & τῷ ἐπιθυμητικῷ intenti, neque τὰ θυμικὰ, neque λογιστικὰ, nec judicia ſaniora admodum curant: quidam, ne omnino ἄμουσοι vel ἔξαρετοι videantur, pro Timæis τοὺς ἐπιτιμαίους eligunt, pro Homeris Cherylos: attamen multum reficior, cum vos, Viri præſtantiſſimi, intueor, quod præ multis aliis propoſitum ornandi doctrinas laudabile conſtanter teneatis. De quo ſuo loco prolixe à me dicetur. Hoc ſaltem jam petere non deſino, ut feliciter pergatis. Quod enim merebitur bravium, qui cum reliquis in eodem ſtudio ad meram acriter currens & vincens jam vicinus metæ ſubſiſtat? Nihil æque immortalitatem vobis conciliabit, nihil cum majore reipubl. commodo conjunctum erit, ut taceam, quam late hoc exemplum patebit, & ad quam multos pertinebit, qui veſtra ſecuti veſtigia publicam rem egregie juvabunt. Tandem oro, qua decet obſervantia, ut me meumque hoc inſtitutum, quod ad univerſam patriam noſtram ſpectat, commendatum habeatis, & hanc hiſtoriæ, libr. XX. abſolutæ, partem, V. P. bono conſilio, & ut ſpero, judicio vero inſcriptam, ſereno vultu accipiatis, meque, quantum poteſtis, in conatu juvetis. V.P. Deo ſolicitis precibus commendo. Vitebergæ 6. Cal. Maji, ao. Chr. MDLXXXVII.

V. A. Prudent. *Addictiſſ.*

M. Nicolaus Leuthingerus.

III.

Ampliſſimis & prudentiſſimis Viris, ſapientia, dignitate, doctrina & virtute præſtantibus, *Dominis Conſulibus & Senatoribus civitatum Piritii, Garzi, & Greifenhagii,*

Dominis ſuis colendis,

M. Nicolaus Leuthingerus S.

Nar-

NArrat *Benzo Mediolanensis* lib. 1. Americæ suæ cap. 5. *Columbum* Hispanum à quibusdam in eadem gente interpellatum esse, quod nisi ipse Americam reperisset, potuisse istud pari successu ab aliis præstantibus viris, quorum magnam patria copiam suppeditaret, fieri, nec adeo gravem, ut sibi persuaderet, causam subesse, quare tantopere gloriaretur. Ipsum vero nihil aliud respondisse, quam ovum allatum mensæ imponi jussisse, & petiisse, efficerent, ut nullo subnixum adminiculo erectum in pedem suopte nutu staret. Quod frustra tentatum cum non possent, illum altero ejus fastigio mensæ illiso ac leviter quassato rectum firmumque non sine ipsorum verecundia constituisse. Quo vir sapientissimus homines imperitos monuit, quod à se omnium primum periculose tentatum & feliciter confectum esset, ipsis jam omni superata difficultate facile videri, cum tamen antea proprio motu ne cogitare quidem tale quid ausi essent. Itidem hodie profecto nobiscum agitur, primo enim conatu rem tentari impossibilem odiose occinunt, ubi vero successum instituto respondere vident, adducti invidia, vulgaria esse magna levitate & inconstantia, in alienis sibi laboribus judicium stoliditate refertum sumentes, garriunt. His non aliud respondendum puto, quam quod olim *Lazaro Bonamico* ab *Erasmo Roterodamo* factum fuit. Cum enim ille in hujus scriptis per literas multa desideraret, & leviter de illis judicaret, *Erasmus* rescribens literis ex more bene compositis splendidam præfixit inscriptionem, his saltem post salutationem vulgarem in iis verbis notatis: *Lazare, veni foras.* Quibus ipsum ad simile quid perficiendum hortabatur. Taceo, quam periculosum sit, historiam, quæ veritati sit ubique consentanea, scribere, quod expertus est *Johannes Sleidanus*, qui Cæsarem & alios Principes offendit. Amara enim est veritas, & cum laudabilia semper non faciamus, laudari tamen in omnibus expetimus. Experimur etiam, quam non ubique sit grata & accepta, ac laboribus merita non respondeant, vel patronos probos

inveniat, inprimis hoc ſeculo, ubi ſtudia præclara faſtidiuntur. Sed iſta ſunt ferenda, cum mutari nequeant. Teſtatur *Jovius* de *Theodoro Gaza*, quod ſcripta quædam accurata *Xyſto*, Pontifici Romano, obtulerit: cum autem honorarium, vel ipſius librarii præmio non dignum redderetur, indignatum ſubagreſte judicium, dixiſſe, effugere hinc libet, poſtquam optimæ ſegetes in olfactu præpinguibus aſinis ſordeſcunt, & ita in *Brutios* contendiſſe. O quoties noſtra ætate ſimiles querelæ viris excellentibus extorquentur, & multorum egregii conatus remorantur. Hæc dum nobis excidunt, non propterea noſtra, velut palladium quoddam, ſicut in *Lapponia* iſtud, quod primum occurrit, pro numine habetur, adorari volumus, ſed cenſoriæ ferulæ lectoris æqui libenter ſubmittimus. Sed de meo inſtituto quædam aſpergamus. *Bartholum* I. C. memorant, conſpectum hominum, popularem ſubiens invidiam, vitaſſe, & in arcanum ruris otium commodum evolvendis libris ſe addidiſſe, in eaque intentione progreſſum, æquales ſuos facile ſuperaſſe. Quorſum autem hæc? Non ego me cum *Bartholo* comparo, nec quidem illius ampliſſimæ gloriæ ſegetem ad me pertinere puto, hoc ſaltem monere volo, ſimili occaſione me flagrare cupiditate, cognoſcendi eruditam antiquitatem, cœpiſſe. Cum enim à patre meo *Nicolao* τῷ ἐν ἁγίοις, bene de me & multis merito, in ludum illuſtrem Miſnenſem ad *Georgium Fabricium*, quem omnis eruditæ antiquitatis peritiſſimum fuiſſe publice & privatim conſtat, deductus eſſem, ob inſperatum hoc Dei Optimi Maximi & illuſtriſſimi Electoris Saxoniæ, *Augusti*, beneficium in magnam incurri peregrinus invidiam: multis etiam modis ab æqualibus meis exagitatus ſum. Horum igitur deſerta converſatione familiari, cum alias appetendo locum meo inſtituto oportunum incredibili alacritate ad rerum bonarum cognitionem ferrer, pulcrumque videretur inter συμφοιτυτὰς αἰεὶ ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων, per biennium eas horas, quas reliqui in jactandis pilis conceſſisq; corporis, animi gratia & con-

fer-

ſervandæ valetudinis cauſa, exercitiis quotidie inſumerent, ego lectioni probatiſſimorum auctorum Græcorum & latinorum, qui res geſtas maximorum virorum continebant, quorum ibi magnus erat numerus, impendebam, quo profectu, meum non eſt dicere. Quamvis nec iſtud nego, mihi à præceptoribus perſuaſum, ut, quo quis naturæ ſit præſtantioris, eo magis hac cogitatione afficiatur. Exinde huic ſtudio valde ſum delectatus, cujus me nunquam pœnitebit. Tandem cum ante annos aliquot in Academiam *Vitebergenſem* reverſus eſſem, ut ſtudia mea abſolverem, & ſi per fata liceret, gradum Doctoratus aſſumerem, in inſtituto ita curſum tenui, ut inter conatus meos honeſtos antiquitatis inveſtigationem minime poſtremam eſſe paterer, fuitque mihi voluptati ſingulari, ſi homines præſtantes de ea differentes audirem. Cum autem eam ex libris mediocriter, peregrinationibus ſolicitis multum juvari opinarer, & ſicut ferrum ferro acuitur, ita viri congreſſum cum viro hominem inſtruere, idque apud peregrinos fructuoſius fieri arbitrarer, per otium Academias Germaniæ, plerasque aulas, multa collegia & monumenta laborioſe inſpexi, captata undique cum viris excellentibus colloquendi occaſione: Denique extera etiam regna & peregrina cognoſcere libuit, & *Italiæ* partem, *Angliam*, *Daniam*, *Sueciam*, *Pruſſiam* & *Poloniam* diverſis temporibus cupide ea quidem cum alacritate perluſtravi, ut laborum, tædiorum, frequentis nauſeæ marinæ periculorum, & aliarum difficultatum, ne de ſumptibus dicam, obliviſcerer. Mature autem *Vitebergam* reverſus ſum, non quod deſideria expleviſſem, ſed quod ad alia me vitæ inſtitutum vocabat. Interim cum res patriæ apud exteros in obſcuro admodum latere, imo à noſtris ignorari intelligerem, ad eas ex profundo eruendas & illuſtrandas totum me ab inde converti. Quid enim indignius eſt homine inprimis polito, complecti animo, quid alibi ſit actum, de quo *Strabo*, τῶ πόῤῥω, inquit, δυσέλεγκτον, & domeſtica neſcire. In hac cogitatione non ſatis eſſe credebam, mihi

& Musis, ut ajunt, solis canere, sed & hoc agere cœpi, quomodo fructum meorum laborum ad publicam utilitatem, (quanta mea est conditio,) referrem. Ita tamen est, ne aliorum conatibus quidquam derogando prærriperem. Itaque rem tantam propitio numine & naturæ stimulo impellente aggredientem, in prima fronte summa difficultas pene oppresserat. Etsi enim Marchia pietati semper addicta fuit, bonarum tamen literarum cultura non adeo præstitit, nec illa, quæ pie, bene & fortiter gessit pace belloque, pari studio ad posteritatem transmisit. Postea sub repurgationem doctrinæ cœlestis, si quid in monasteriis & collegiis repositum erat, quorundam injuriis periit: olim quoque respublicæ egregiæ mutationes subierunt, civitates incendiis tentatæ, urbes & oppida violentiæ exposita fuerunt, ut hodie annalium in Marchia parum inveniatur. Vestram autem cum diligentius regionem inspexissem, non tantum puritatem verbi divini, Scholarum dignitatem, civium honestatem, patrum præstantiam, obstupescens admiratus sum, sed etiam animadverti, quædam ibi recondita, quæ meum conatum multum adjuvarent. Itaque cum patria vestra Marchiæ sit vicina & aliis nominibus cum illa conjuncta, ejusque res gestæ sine vestris referri non queant, confido, V. P. in hoc mihi conatu non defuturam. Impulit me etiam V. P. insignis virtus, prudentia & humanitas, quam ipse vidi. Estis vere illi, de quibus *Plato* dicit, felices esse respublicas, si aut docti, aut doctorum cultores ad gubernacula sederint: Taceo quorundam adhortationes, à quibus in hanc excitatus fui spem, V. P. non minus hanc meæ historiæ, libris XX. descriptæ, partem gratam futuram, quam reliquæ patriæ meæ fuerunt. Quod ut fiat, V.P. obnixe rogo. Quod igitur V. P. felix & faustum sit, hoc meum munusculum cartaceum animo accipite benigno, & me meumque institutum favorabiliter juvate: id vobis erit & patriæ vestræ gloriosum. V.P. Deo commendo. Vitebergæ 4. Non. Julii, anno MDLXXXVII.

IV.

IV.

Ampliſſimis Viris, ſapientia, dignitate, virtute & doctrina ornatiſſimis, *Dnn. Conſulibus & Senatoribus civitatum Wiſtochii, Oſterburgi, Varini, Senhuſii & Wilſenaci,*
Dominis ſuis colendis,
M. Nicolaus Leuthingerus S.

IN quantum ſim, Viri prudentiſſimi, ingreſſus palæſtram, cum mecum reputo, difficile eſt dictu, quanta me ex omni parte ſolicitudo capiat. Nam meo me modulo metiens, quam imparatus omnino deſcenderim, cum pudore experior, dum nihil tale, quod Thucydideam redoleat σύνεσιν πολιτικὴν, aut δύναμιν ἑρμηνευτικὴν, in me cadat. Præterea ſi mihi veritatis inquiſitio ſit tuenda, intelligo, quantis calumniis, quantoque periculo objiciar, quod laudabilia ſemper cum non faciamus, ab omnibus tamen laudari expetamus. Dubium quidem mihi, intrepide pro patriæ ſalute, ſi ita res & tempora ferrent, occumbere, nunquam foret, ut inde patrimonium gloriæ in meos transferrem; at hic ubi ingratitudinem forte propoſitam habeo, & perpetuo periclitandum eſt, cum alias metus etiam in virum fortem, quod ajunt, recidat, taicte non omnia vel ſecundis impellentibus ventis vereri non poſſum, inprimis cum ea rerum ſit humanarum fragilitas, ne male accipiar, vel oneri ſuccumbam, curſumque inſtitutum ex voto non teneam. Huic meo juſto timori alii, qui me noverunt, veniam dabunt, ego autem, qui me omnium optime noverim, illum quoque neceſſarium puto, mihique ſuccenſeo admodum, quod humeros tantæ moli impare plane apparatu ſubmiſerim, quam ab inſtructioribus fruſtra tentatam ſui copiam plenam incredibiliter reluctando non feciſſe apparet. Contra vero ſi amorem patriæ ad animum revocem, ſi amicorum petitiones perpendam, omnem mihi recuſationem, & difficultatis vel impoſſibilitatis excuſationem aſſiduis eorum vocibus coacto ereptam video. Itaque cum nullus tergiverſandi locus noſtræ imbecillitati relictus ſit, quod mihi

hi

hi patriæque felix faustumque sit, vela explicans Deo me, spei & fortunæ committo, quandoquidem in virtute propitia parum præsidii repono, neque dubito, voluntati meæ paratissimæ facultatem aliquo modo responsuram. Ad Deum quidem optimum maximum quod attinet, omnino in ea confirmatus sum sententia, eum hoc studiorum genus curæ habere singulari, & historiam ejusdem esse donum peculiare, sicut & divina excitat ingenia, qui his laboribus delectari præclaram in iis operam navant, & divina humanaque ἐν τῷ σωματοποιεῖν posteritati communicant. Certe dicta & facta sua per Moysen, & alios conscribi voluit. Ejusdem providentiæ debemus integrum inde ab initio mundi historiæ corpus, licet Diabolus nihil intentatum reliquerit, ut eo bono privatam exueret posteritatem: sicut optima quæque fabulis dulcissimis implicandi occasiones ubique captavit. Biblia hic primas partes tenent, quæ seriem mundi usque ad *Hieremiam* continuant, postea succedunt *Herodotus*, quem *Cicero* historiæ parentem nominat, *Thucydides*, & alii usque ad hæc tempora, in quibus scriptorum lumina in hac cognitionis parte cum aliquo numero nata sunt, quæ quod superioribus temporibus defuit, abunde recompensarunt. Nec quidem universa Germania hoc nomine commendatur, singulæ provinciæ suos habent scriptores. In nostra *Marchia*, quæ ante margaritas gignere credebatur, postquam *Joachimus I.* El. Musis hospitium dedit, & egregiam in literaturæ cultioris homines liberalitatem præstitit, ingenia clarissima eluxerunt, quæ res Principum gestas magnifice decaptarunt, quibus facem prætulit *Georgius Sabinus*, quem ex ordine sequuntur *Jodocus Willichius*, *Wolffgangus Justus*, *Reinerus Reineccius Steinhemius*, *Christophorus Enzelius*, *Johannes Schofferus*, *Carion* & alii, & obvii sunt hodie, qui patriam ament, inter quos libenter me esse profiteor, licet illi parum opis afferre queam, promptissime tamen voluntatis declarandæ causa aliquid potius, quam nihil, præstare volui. Dedi autem operam, ne quid falsi dicerem, vel quid veri dissimularem, vel gratiam captarem, ne videli-

delicet, quæ facta essent in religione & pro imperio, ex hominum memoria obliterarentur, aut sua gloria fraudarentur, & ut virtutum sequenda & vitiorum fugienda exempla ob oculos ponerentur. Nam si *Pindaro* credimus, omnis virtus prædicatione eorum, qui res gestas scribunt, ut arbores verno tempore, crescit, sed domesticas & patrias laudes fortius incitare, nemo inficiabitur. Postremo cum tota hæc exædificatio in rebus & verbis posita sit, studui, ut non tantum singulorum Principum facta & virtutes, reipublicæ mutationem, formam, & incrementa, comitiorum rationes, consilia & actiones libr. XX. explicarem, & temporum seriem, quo causæ & eventus rerum liquido constarent, observarem, sed & orationis genus fusum atque tractum sine sententiarum forensium aculeis persequerer. Spero autem, hos meos qualescunque conatus bonis non ingratos futuros. Quo nomine, Patres Conscripti, V. P. hos *duos commentariorum meorum libros* dedicatos inscripsi. Etsi enim de vestra in doctos omnes facilitate meam nunquam dubitatio mentem perculit, illud tamen judicium constans hominum præstantium asseveratio plurimum confirmavit. At cum quædam in vestra civitate diligentius perlustrarem, non solum illa mihi abunde, quæ prædicabantur, probata sunt, ita, ut vel hodie eorum recordatione reficiar, sed eo etiam me P. V. suis adegit meritis publicis, ut facere non possem, quin hac occasione opinionem meam de vobis hac contestatione ostenderem, & simul reipublicæ literariæ de vestro favore in eam singulari gratularer. Vere competit vobis, quod *Plato* dicit, illas respublicas esse felices, quibus aut docti aut doctorum admiratores præsint. Sed nolo assentatorie hic persequi, quæ à me alibi plene recensentur. Deinde cum mihi esset persuasum, vestram habere paratos annales curiam, à negotio nostro non alienos, & ad eos mihi nullus pateret aditus, hac illum mihi ratione aperire visum fuit, in quo, si non à vero aberravi, est, quod gaudeam, & quod ad vos quoque pertineat. Itaque hunc mei ingenii fœtum, V. P. consecratum, accipite, me-

que de rebus in vestra civitate gestis amice admonete. Id quod à V. P. qua par est, pietate peto, non hercle melius de patria merendi occasio pulcrior erit. Quidquid feceritis, ad Dei gloriam, virtutis incrementum, patriæ ornamentum, & vestram laudem spectat. Quod reliquum est, V. P. Deo optimo maximo commendo. Vitebergæ 6. Id. Martii die, anno salutis nostræ MDLXXXVII.

LIBRI QUARTI, QUINTI ET SEXTI DEDICATIONES.

I.

Illustrissimi & incliti Principis ac Domini, Domini JOACHIMI FRIDERICI, *Marchionis Brandenburgensis, Archiepiscopatus Magdeburgensis Administratoris, & Germaniæ Primatis, &c.*

Filio,

Illustri & generosissimo Principi, Domino JOHANNI SIGISMUNDO, *Marchioni Brandeburgensi, Prussiæ, Stetinensium, Pomeranorum, Cassubiorum, Sclavorum, Crosnæ in Silesia &c. Duci, Principi Rugiæ, & Norici castri Burggravio*, Domino suo clementi, S. D.

M. Nicolaus Leuthinger.

USu semper, Princeps generosissime, receptum fuit apud Heroas & Monarchas, ut non solum aurum, aliaque pretiosa, quæ ad splendorem facerent & magnificentiam, sed etiam rerum gestarum commentarios in thesauris suis reponerent: Hos, cum otium esset à publicis curis, aut ægritudine laborarent, sæpe inspiciebant, tum ut inde recreationem aliquam peterent, tum ut considerata rerum vicissitudine veram sapientiam haurirent. Hinc in honore & pretio habebantur ii, qui ejusmodi monumenta, ad gentes, urbes, familias, ecclesiam, patriam, Deumque ipsum pertinentia, studiose comportarent & conservarent. Immo ipsi

Prin-

Principes viri, amore virtutis adducti, eum laborem aggressi sunt, ex quorum numero fuerunt *Xenophon*, *Cicero*, *Julius Cæsar*, *Maximilianus I.* Imp. *Bartholomæus Livianus* Venetus à Gallis captus, qui in carcere scabræ vilique papyro, cum aliter per custodes non posset, res suas gestas diligenter & ordine commendavit, solatiumque fortunæ inde petiit. Qui autem gravioribus negotiis oppressi forent, id muneris commendabant aliis, qui oneri ferundo pares essent, & tunc demum felices se existimarunt, si ejusmodi virtutum præcones tempora præsentia tulissent, eorumque studia frequentibus muneribus redemerunt. *Alexander Magnus Achillem* beatum prædicat, quod laudum suarum buccinatorem habuisset: Sic sui temporis historicum *Aristobulum* ingentibus præmiis ornavit: *Scipio Polybium* amanter adeo complexus est, ut sine eo vitam sibi acerbam putaret. Superioribus annis *Fridericus* sapiens Dux, Elector Saxoniæ, *Aventino* sua sæpe manu de suis rebus scribere solebat. *Carolus V.* Imperator *Paulum Jovium* Novocomensem in singulari habuit honore. Et vere ita semper à sapientibus est judicatum, nullum auctorum genus præclarius de rebus humanis mereri. Gravissimarum enim rerum consilia, actiones & exitus, religionis initia, progressiones & metas, heroumque actus cum temporum & locorum ordine atque descriptione sub viva quasi pictura ante oculos exponit: Præterea virtutum exemplis cum optimos quosque ob laudis nominisque immortalitatem ad præclara quæque accendit: tum vero improbos ac pravos perpetuæ infamiæ metu à vitiis deterret. Inprimis hoc singulare habet, quod debitis excellentia facta præmiis ornat. Si enim *Ciceroni* credimus, nulla illa aliam suorum laborum periculorumque mercedem desiderant, præter eam, quæ est laudis & gloriæ: in aliis quoque mirificum recte agendi & bene merendi studium inflammat. Ubi autem hæc cura fuit neglecta, ibi nec virtutis rationem magnam habitam fuisse, eaque ruente reliqua quoque paulatim bona corruisse, constat. Hinc

Plinius teſtatur, ſcriptores ſui temporis non fuiſſe in admiratione, quia homines deſiiſſent laudanda facere. Ita in noſtra Marchia, poſtquam *Joachimus I.* Elector muſis hoſpitium dedit,& egregiam in literaturæ cultioris homines liberalitatem præſtitit, ingenia præclara eluxerunt, quæ res Principum geſtas magnifice decantarunt, quibus facem prætulit *Georgius Sabinus*, quem ex ordine ſequuntur, *Carion, Jodocus Willichius, Wolfgangus Juſtus, Reinerus Reineccius Steinhemius, Chriſtoferus Enzelius, Johannes Schofferus* Æmilianus, & obvii ſunt hodie, qui patriam ament, inter quos me libenter eſſe profiteor, licet illi parum opis afferre queam, promptiſſimæ tamen voluntatis declarandæ cauſa aliquid potius, quam nihil præſtare volui. Interim difficile eſt dictu, quanta me ex omni parte ſolicitudo capiat. Nam meo me modulo metiens, quam imparatus omnino deſcenderim, cum pudore experior, dum nihil tale, quod Thucydideam redoleat σύνεσιν πολιτικὴν aut δύναμιν ἑρμηνευτικὴν, in me cadat. Præterea ſi mihi veritatis inquiſitio ſit tuenda, intelligo, quantis calumniis periculisque objiciar, ſicut Sleidano & aliis accidit, eo quod etſi laudabilia ſemper non faciamus, ab omnibus tamen contra leges hiſtoriæ laudari expetamus. Taceo, quam multis modis hoc inſtitutum ab invidis impediatur: Narrat *Benzo* Mediolanenſis libr. 1. Americæ ſuæ cap. 5. *Columbum* Hiſpanum à quibusdam interpellatum eſſe, quod niſi ipſe Americam reperiſſet, potuiſſe iſtud pari ſucceſſu ab aliis præſtantibus viris, quorum magnam patria copiam ſuppeditaret, fieri, nec adeo gravem, ut ſibi perſuaderet, cauſam ſubeſſe, quare tantopere gloriaretur. Ipſum vero nihil aliud reſpondiſſe, quam ovum allatum menſæ imponi juſſiſſe, & petiiſſe, efficerent, ut nullo ſubnixum adminiculo erectum in pedem ſuopte nutu ſtaret. Quod fruſtra tentatum cum non poſſent, illum altero ejus faſtigio menſæ illiſo ac leviter quaſſato rectum firmumque non ſine ipſorum verecundia conſtituiſſe. Quo vir ſapientiſſimus homines imperitos monuit, quod à ſe primum periculo-

lose tentatum & feliciter confectum esset, ipsis jam omni superata difficultate facile videri, cum tamen antea proprio motu ne cogitare quidem tale quid ausi fuissent. Itidem profecto hodie nobiscum agitur. Primo enim conatu rem tentari impossibilem odiose occinunt: ubi vero successum instituto respondere vident, adducti malevolentia, vulgaria esse magna levitate & inconstantia, in alienis sibi laboribus judicium stoliditate refertum sumentes, garriunt: His aliud respondendum non puto, quam quod olim *Lazaro Bonamico* ab *Erasmo Roterodamo.* Cum enim ille in hujus scriptis per literas multa desideraret, & leviter de illis judicaret, *Erasmus* rescribens literis ex more bene compositis splendidam præfixit inscriptionem, his saltem post salutationem vulgarem in iis notatis verbis: *Lazare, veni foras.* Quibus ipsum ad simile quid perficiendum hortabatur. Ita enim ferme comparatum est, ut, qui sibi in aliena industria flagellanda, plerumque malevolentiæ stimulis agitati, insolentem Aristarchi auctoritatem impudenter arrogant, nimium intelligendo nihil intelligant, vel sint tales, de quibus *Plato* dicit: λέγουσι κακῶς, ἐπεὶ καλῶς οὐκ ἔμαθον: cum enim meliora afferre non possint, bonis detrahunt, ne quid de iis regeram, qui alienos labores & plumas pro suis malitiose venditant. Qualis fuit *Petrus Alcyonius*, qui luculentum opus de intoleranda exilii fortuna scripsit, & in eo ita eruditionis & eloquentiæ famam sustentavit, ut ex libro *Ciceronis* de gloria multorum judicio confectum crederetur. Ne quid de aliis difficultatibus dicam, quæ cum mutari nequeant, ferendæ sunt. Fateor autem ingenue, me semper hoc studio valde delectatum, nec inter conatus meos honestos antiquitatis investigationem postremam esse voluisse, quam ex libris mediocriter petitam peregrinationibus solicitis juvare volui, cum certum sit, sicut ferrum ferro acuitur, ita viri congressum cum viro hominem instruere. Ita Germaniæ Academias & aulas plerasque, multa collegia & monumenta laboriose perlustravi, captata undique cum viris bonis

& doctrinæ nomine claris colloquendi occasione. Regna quoque externa & peregrina cognoscere libuit, quorum aliquot ea cum alacritate pervestigavi, ut laborum, tædiorum, frequentis nauseæ marinæ, periculorum & aliarum difficultatum oblivíscerer. Sed ad mea citius reversus sum, non quod desideria explevissem, sed quod ad alia me vitæ institutum vocabat. Memineram quidem, *Diodorum Siculum* olim 30. annos in peragrando orbe consumere, atque ex iis, quæ didicisset, historiam contexere: & nostro tempore plures hac cura torqueri, inter quos *Andreas Thevetus* orbem terrarum peragravit. Sed istos mihi sequendos non putavi, quin potius nostratia probe cognoscere magis necessarium & honestius judicavi. Inprimis cum res patrias apud exteros in obscuro admodum latere, imo à nostris ignorari intelligerem, ad quas ex profundo eruendas & illustrandas totum me ab inde converti. Quid enim indignius est homine polito, complecti animo, quid alibi sit factum, de quo *Strabo* τῶ πόῤῥω, inquit, δυσέλεγκτεν, & domestica nescire. In hac cogitatione non satis esse credebam mihi & musis, ut ajunt, solis canere, sed hoc agere cœpi, quomodo fructum meorum laborum ad publicam utilitatem referrem: ita tamen, ne aliorum conatibus quidquam derogando præriperem. Abundat autem Marchia rerum gestarum exemplis, ut, si idoneum nacta fuerit scriptorem, eum potius obruant, quam destituant & deficiant. Et recte facerent boni Principes, si ejusmodi conatibus beneficia responderent. Apud Danos *Hiarnus Fronthoni* Regi epitaphium tale scripsit:

Fronthonem Dani, quem longum vivere vellent,
Per sua defunctum rura tulere diu.
Principis hoc summi tumulatum cespite corpus
Æthere sub liquido nuda recondit hiems.

Propter hoc qualecunque carmen Dani eum diademate remunerati sunt. Credo *Saxonem Grammaticum* hoc exemplo incitatum, ut tam splendide de suis Danis scripserit. Gratulor autem Marchi-

chiæ, quod beneficii Dei Opt. Max. tales habeat Principes, quibus literæ, earumque cultores curæ & honori ſunt, quorum liberalitate & humanitate ad eum provehitur ſtatum, ut pietas erudita, virtus pia, & literæ ſcientiæque abſolutiſſimæ pulchrius in ea atque in ulla alia Germaniæ provincia floreant. Vere hæc cura palladium Trojanum ſuperat. Nam quam diu hæc inviolata ſtabit, tam diu res Marchiæ feliciter florebunt. Certius hoc nobis ſit augurium, quam Romanis illud ex haſta, quæ ex Aventino monte à Romulo projecta ſoloque infixa repente floreſcere cœpit, & ſtatum imperii Romani ſignificavit. Quod, teſte *Plutarcho*, in flore permanſit, quoad arbor ſuum florem retinuit. Tuæ autem Celſitudini, Princeps Generoſiſſime, hanc partem mei operis inſcribere volui, cum mihi non dubium ſit, te hujusmodi ſtudia magnifacere. Facit idem potentiſſimus Princeps *Johannes Georgius*, S. Rom. Imp. Elector, avus T. C. à cujus hodie judicio pendent imperii ordines. Præſtat idem Illuſtriſſimus Princeps *Joachimus Fridericus*, pater T. C. in quos omnium oculi fixi, omnium animi erecti ſunt: O fortunati Principes, qui intelligitis, quæ paci aureæ bona inſint! credite mihi, multum vobis respubl. Chriſtiana debet: & quamvis hodie vix agnoſcat, tamen veſtrum beneficium poſt funera illuſtrius erit. Quam vereor autem, ne veſtrum nimis cito deſideremus conſilium? Certum eſt, impendere graviſſimas mutationes propter multiplicia peccata, quibus Germania inundatur: Creſcunt onera cum querelis, ſcelus additur ſceleri, ventum eſt ad ea tempora, quæ nec vitia ſua, nec remedia ferre poſſunt, voluptatesque deſiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere. Religio minitatur ruinam, & hic utinam falſus teſtis eſſem, exiguus honor artibus ſcientiisque reſtat: Multa hodie contra auſpicia fiunt, quibus non minus acclamari videtur, quod *C. Hoſtilio Mancino* accidit: *Mancine mane, mane.* Sed quod hucusque respubl. nondum cladem ingentem acceperit, merito veſtræ ſecundum Deum pietati, virtuti & prudentiæ acceptum referi-

ferimus. Vive diu, Elector potentissime, & patriam juva atque orna: Te Imperator in publicis negotiis neminem magis consulit, aut in majore dignatione habet, cum nullo sæpius secretiora consilia agitat. Ut quisque est potentissimus, bellicosissimus, sapientissimus, ita conjunctionem tuam, amicitiamque sibi honorificam & utilem ducit. Scilicet hæc sunt egregiæ virtutis & sapientiæ testimonia. Apud adversarios quoque, si qui tamen sunt, ea semper tui nominis reverentia fuit, ut non minus, quam Locrenses olim *Scipionem*, amicum sibi, quam inimicum maluerint. Et si pro mea tenuitate omnia examinem, ego quoque, sicut olim *Cicero*, cum à tribuno plebis dicere, quæ volebat, prohiberetur, urbem sua unius opera esse salvam jurabat, religiose, si sine assentationis suspicione fiat, affirmare ausim, Germaniam tuis auspiciis esse integram, florere incolumem, stare inviolatam: Hac in parte, ut in omnibus, adjuvatus egregie ab illustrissimo filio *Joachimo Friderico.* Nulla profecto res pretiosior, quam religio vera, pax firma, & justitiæ laus æstimatur. Hæc vestra est virtus, hæc vestra est gloria. Pulcrum videbatur *Menippo* tueri regnum Regis sui contra Romanos: *Nos*, inquit, *nec volumus, nec possumus quidquam pacisci, quo regnum Antiochi minuatur.* Sed verba hæc erant. Quæ vero vos, Principes Incliti, præstiteritis, ut Servatori nostro Jesu Christo Ecclesia sua doctrinaque Evangelii incorrupta perstaret, respublica Christiana una contestatur mente, loquuntur infinita monumenta, & tot bonorum exclamationes. Multitudo quidem inepta bene sperare jubet, cum hostes dira imprecantur, & Germaniam armis equisque completuros minantur; sed si vestra paterna destituti fuissemus solicitudine, in periculum jam dudum præsentissimum devoluti essemus. Deus vos, Principes optimi, hanc mentem perpetuam velit. Vos Sacramentariis bellum ἄσπονδον indixistis, & quos etiam promittant fumos, non minus suspectos, quam nautæ sinum Euboicum, quem cœla appellant, habetis. Hic vos Hemerodromos vigilantissimos exhibetis, ne quid divinam majesta-

jesta-

jestatem offensam teneat, ne Meneides in vespertiliones vertantur. Unde nihil reliquum fecistis, donec concordia restituta hydram illam multicipitem confecistis. Vestra hinc inde exstant beneficia in ministros verbi vereque literatos. In Commentariis Helvetiorum de *Rudolpho* Habspurgio recensetur, quod sacerdoti initio imperii sui cum venerabili eucharistia obvio equum muneri dederit, socio quoque itineris, ut idem faceret, coacto. Inde ab Abbate religioso responsum accepisse, omnia per annos triginta prospere ipsi eventura. Habet, habet, Principes clementissimi, affectio illa benigna in literatos & Ecclesiam præmia sua, quæ bono magno percipiunt, quotquot ex animo fronte serena eam amant: *Ludovicus Sfortia*, *Deus terrenus* dictus inter homines, omniumque Italorum facile sapientissimus & potentissimus, dum religionem amaret & beneficentiam, successum rerum suarum felicem habuit. Ac ubi ad avaritiam animum inclinaret, Dii quasi omnes hominesque hunc sibi infestum oderunt, unde tandem miserabiliter vitam finiit. At quid de vestris meritis singularibus in rempublicam, doctos, & studia dicam? id illa ipsa testantur, & hominum excellentium monumenta, immortalitati consecrata, semper testabuntur. Reliquarum quoque virtutum tantus in vobis cumulus est, ut si unam priori commemorem loco, altera se postponi ægre passura sit, & cum *M. Antonio* mirari vos facilius est, quam laudare. Pergite, Serenissimi Principes, sicut facitis, opinionem jam confirmatam implere. Talia enim de vobis exstant encomia, aut vestro præsidio, aut nullo alio rempubl. conservari posse: In aliis glorientur alii, hæc vestra laus erit: Interior vita est plenissima optimis exemplis. Quis attentius monumenta sacra voluit? *Alexander Magnus* Iliada circumferebat, ut ad virtutem & gloriam magis accenderetur. Hic Biblia, hic Lutheri monumenta, nunquam satis laudata, locum habent: Huc omnes actiones & consilia referuntur. Preces hic fiunt ardentissimæ pro republica, nihil est otiosum. Matutinum tempus datur studiis divinis & sacris, aliud

certis lectionibus historiarum, aliud publicis consiliis, aliud subditorum querelis. Disciplina aulica est publica schola & officina omnis generis virtutum. Taceo liberorum educationem: inter hos cum Tu, Princeps generosissime, maximus sis, de ea contestari potes: *Avidius Cassius* in vita *Severi* Imperatoris non minus falso, quam impudenter affirmat, neminem magnorum bonum & utilem filium reliquisse, ut generi humano fuisset melius, non esse natos. Hunc Pater Tuus Illustrissimus, hunc T. C. turpi arguit mendacio. Sed de virtutibus T. C. Patris illustrissimi à me in commentariis prolixè agitur, cujus Tu ita vestigiis jam in illa ætate inhæres felicissime, ut de Te spes sit longe maxima. Mihi quidem certum est, cum ingenium cœleste suis velocius annis surgat, Tibi ea re servari, quæ ne quidem speras: Conjecturæ enim haud dubiæ sunt, Te Principem maximum futurum: id in votis quotidianis habet Marchia universa, Prussia, Francia, Voitlandia, Pomerania, ditio Magdeburgensis, adeoque respublica universa imperii. Id ego assiduis precibus à Deo peto. T. Celsitudo me quoque inter suos Clientes recipere fideles, memor mei apud illustrissimum parentem, & hos meos labores qualescunque benigno & clementi animo accipere dignetur. Offero T. C. me totum, & sicubi studia mea, obsequia, ministeria, omniaque mea opportuna esse quiverint, tam paratus atque omnium paratissimus ero: Deus omnipotens T. C. ætatem atque indolem gubernet, atque cum illustrissimo Patre, fratribusque inclitis in summa felicitate reipubl. conservet. Vitebergæ 10. Cal. Martii, die, qui est natalis proavo T. C. *Joachimo I.* S. Romani Imp. Electori, anno MDLXXXVIII.

II.

Prudentissimis Viris, virtute, dignitate atque genere præstantibus, *Dnn. Consulibus & Senatoribus civitatis Ratenoviensis*, Dominis suis colendissimis, Salutem

Nicolaus Leuthinger. M.

Quan-

QUando hos, Viri prudentiſſimi, commentarios primum ſcribere cœpiſſem, difficile eſt dictu, quanta me undique ſolicitudo, in diverſas partes mentem animumque meum diſtractum rapiens, circumſtabat. Cum enim meo me pede metiens infantiam meam agnoſcerem, viderem que, in multis δύναμιν ἀυτοσχεδιαςικὴν excellenter dominari, pudore quodam ingenuo ſuffuſus locum illis dare volebam, qui & uſu rerum & ſapientia, virtute, doctrina & antiquitatum monumentis inſtructi ſunt. Poſteaquam vero illi vel hominum ingratitudine, vel rei gravitate, vel negotiorum multitudine moti impeditique aliud potius agerent, quam ut hoc ſuſciperent onus, ego autem ſcirem, Deum in infirmis efficacem eſſe, & per eos ſæpe maxima confeciſſe, quod in una parte deerat, in altera δυνάμει ἐπεξεργαςικῇ reſarciendum putavi. Quanquam autem me vix illam confirmatam & abſolutam agendi patiendive ſcientiam, quam ἕξιν appellant, aſſequi poſſe exiſtimem, in διαθέσει tamen faciam, propitio numine divino, ut mihi nec ſtudium, nec voluntatem bene de patria merendi defuiſſe boni omnes intelligant. Quod igitur patriæ veſtræ fauſtum & felix ſit, bonisque omnibus ſalutare, commodum & utile, vela explicavi, ventisque commiſi, ea exſpectatione, Deum optimum maximum portum mihi tandem tranquillum, lætum & exoptatum in gloriam ſui nominis largiturum. Certum eſt, impendere gravisſimas mutationes, tam in eccleſia, quam republica: proſtant ea tempora, de quibus etiam ante plurimos annos boni ſoliciti fuerunt. Et quid jam hinc inde fiat, animus meminiſſe horret. Itaque vehementer miror iſtorum hominum improbitatem, qui publicis quoque ſcriptis hæc omnia elevare audent, eaque nobis promittunt, quæ ne aureum quidem ſeculum habuit. Ego quidem metuo omnia, putoque id mihi cum iis, qui patriam amant, commune. Quo enim quis naturæ eſt generoſioris, eo magis hac cura affici, ſapientes judicant. Deſpectum admodum eſt imperium hodie apud vicinas gentes Germanicum, diſſidia ſunt in-

 gen-

gentia, quæ procul dubio in periculosissima bella aliquando erumpent, crescunt onera & expilationes in rebus publicis cum querelis, omnino istud seculum est τὸ ἐπιθυμητικὸν, scelus additur sceleri, & ad ea tempora perventum est, ubi nec vitia nostra, nec remedia ferre possumus, voluptatesque desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere. Religio minitatur ruinam, & hic utinam falsus testis essem, nullus honor debitus artibus scientiisque restat, vere docti iniquissime premuntur, vis & injuria regnat: Musæ cum sacris transeunt mare, nobis quasi valedicentes, labores egregii sua præmia non assequuntur, paupertas sapientiam nacta est, eaque per se afflictissimæ remunerationis ergo anxie premitur. Testatur *Jovius* de *Theodoro Gaza*, quod scripta quædam accurata *Xysto*, Pontifici Romano, obtulerit, cum autem honorarium, vel ipsius librarii præmio non dignum redderetur, indignatum subagreste judicium, dixisse, effugere hinc libet, postquam optimæ segetes in olfactu præpinquibus asinis sordescunt: ita in *Brutios* contendisse. Sed quo hodie fugeret tantus vir? Exstat dictum *Aristotelis*: Amicus *Plato*, sed magis amica veritas. Sed qualis hodie est veritas? Amara est illa, & cum laudabilia non faciamus, laudari tamen in omnibus expetimus. Turpe autem est mentiri, at historico turpissimum. De me in præsentia nihil dicam, neque de meo conatu aut labore. Vos credo, Patres conscripti, intelligere, quid velim. Cum enim difficile admodum sit bonum esse, id tamen in Principibus multo difficilius est, eo quod plura vitiorum irritamenta illos ab exercitio virtutum subducant. Hinc *Suetonius* inverecundius detexit eorum Cæsarum vitia, quorum propter virtutes egregias singularis laus est: Ita *Petrus Candidus December* in vita *Philippi Vicecomitis* recenset, quæ tamen satius fuisset tacere. Istud nec laudo, nec vitupero. *Valerium* autem *Maximum*, adulatorum scriptorumque adulantissimum, quia sæpe aperte mentitur, reprehensione omnino dignum judico. Quidquid enim contra veritatem

fecit,

fecit, in gratiam *Tiberii* Imperatoris feciſſe, dubium nulli eſt. Tales fuerunt ſæpe Principum adulatores, qui in parvula virtutis ſcintilla maximum incendium excitaverunt, ideoque merito ſuo à bonis culpantur. Noſtri vero Principes cum eſſent omni laude digniſſimi, quosnam habuerunt ſuæ virtutis rerumque pace & bello geſtarum idoneos præcones & ſcriptores, quorum tamen facta longe majora ſunt, quam ut literarum cancellis includantur? Verum quidem eſt, illos ſuos quoque habuiſſe nævos, ſed ii nequaquam nobis tanti videntur, ut propter eos tantæ virtutis cœca caligine perfundantur. Natura omnes ſumus fragiles, qui facillime in vitia labimur, ſed inprimis ii, qui ad gubernacula rerum ſedent, huc propendent: Quid enim licentia non deſignet? quid rerum copia non extorqueat? quid amici improbi non perficiant? quid ſatellites iniquitatis non auſint? Etſi igitur nihil difficilius ſit, quam bene imperare, *Diocletiano* Imperatore teſte, & exempla Principum frequenter oſtendant, plures reprehenſione, quam laude digniores; recte tamen in noſtris lætamur, eosque nequaquam meritis laudibus fraudamus, quod factis illi reliquos, ſicut Heſperus ſtellas, præcellunt, tum rerum bellicarum gloria, tum virtutis & ſapientiæ, ſed inprimis eloquentiæ, non opinione, ut ferme fit, ſed ſolida laude; Nec ullum mihi ex iis dare potes, qui non ornamenta ſingularia ad familiam attulerit, cujusque merita præclara non in provinciam modo Marchicam, ſed omnem prope Germaniam exſtent, quibus Regum exterorum quoque egregia, honorifica & immortalia virtutum teſtimonia promeruerunt. Hæc ego immortalitati conſecrare, ſi per fata licet, omnino decrevi. Et hic non *Suetonium*, aut *Petrum Candidum*, aut *Valerium*, vel alios culpandos imitabor, ſed recta incedens via, ſicut nulli detraho, ita nihil de meo addam, id ſpectans, ut planum fiat, quanta Deus optimus maximus per hæc ſua organa ſalutaria reipublicæ Chriſtianæ beneficia contulerit, & exiſtimo, pro iis mecum omnes bonos Deo & his Principibus pia recordatione fidelique imitatione

 gra-

gratos esse. Quamvis autem ad alia studia jam dudum animum adjeci, graduumq; Doctoris assumere σὺν θεῷ constitui; attamen de magnorum virorum adhortatione huic quoque studio aliquid dare volui. Ita præmissis reliquis libris hanc partem submitto. Utinam vero proceres cogitent, quid laboris & sumptuum hæc conditio requirat, & impensius conatus laudabiles juvarent. Quia autem de vobis dubitatio nulla fuit, P. C. hanc V. P. partem tanquam Diis tutelaribus consecro, debita reverentia obsecrans, ut hunc meum conatum benigne approbatum hilari vultu accipiat, meque & mea studia sibi commendata habeat. Semper ita in rebuspublicis bene constitutis pro more recepto usitatum fuit, ut una cum aliis rebus necessariis rerum quoque gestarum libros & monumenta reponerent, & ob id gloria & gratia non caruerunt; Sicut econtra Neroniana tempora culpantur, quod tum humanitas liberalitasque ita defecerant, ut pariter ex animis hominum & monumentis literarum honesta meritorum & virtutis memoria deleretur. Talem qui navant operam reipublicæ in conservandis necessariis monumentis, cum V. P. quoque esse credam, hanc quasi occasionem arripiens, officiose peto, ut si tale quid sit obvium, quod ad institutum meum faciat, istud mecum communicetis, ea spe, multum inde gloriam Dei & reipublicæ commoda, ne quid de vestræ civitatis laude dicam, juvari posse. Polliceor, me bona fide suo loco id his commentariis inserturum, daturumque operam, ut beneficium hoc in virum gratum esse collocatum intelligatis. Et quid honestius est, quam tales labores juvare? Mihi certe calcar addetis ea præstandi, quæ in Marchia ante me nemo præstitit. Recte valeat V. P. Deo commendata. Vitebergæ, anno redemtionis nostræ MDLXXXVII. 7. Calend. Decembris die, quo Turcæ, Russiam rapinis, cæde & igne crudeliter vastantes, cladem ingentem acceperunt, & ita frigore, nive & fame afflicti sunt, ut de sexaginta millibus vix viginti in Wallachiam redierint, qui & ibi ad internecionem usque deleti sunt.

III.

III.

Prudentiſſimis Viris, ſapientia, doctrina, virtute & generis dignitate clariſſ. *Dnn. Conſulibus & Senatoribus civitat. Eilenburgenſis*, *Grimmenſis*, & *Wurtzenſis*, (aliæ editt. *Numburgenſis*,) &c. Dominis ſuis obſervandis,

M. Nicolaus Leuthingerus S.

MIrum fortaſſis vobis, Viri præſtantiſſimi, accidit, quod hiſtoriam Marchicam ſub veſtro nomine in publicum emittam: ſed mirari tum deſinatis, cum conſilii mei ſingularis rationes graves acceperitis. Nihil hic aſpergam de utilitate hiſtoriæ, quæ per ſe alias univerſos & ſingulos bonos delectat & inſtruit, quamvis hæc quoque cauſa eſſe poſſet. Cum enim certum ſit, quo quisque eſt naturæ præſtantioris, ut eo magis hac cogitatione afficiatur, vobis, qui facile alios præcellitis donorum ingenii & animi ornamentis, & de hoc meo conatu recte judicare poteſtis, hoc meum inſtitutum ingratum futurum, nequaquam exiſtimo. Et quis ſane liberalioris ingenii reſpueret id, quod beneficium, officium & voluptatem non ſine recreatione præſtaret. Impoſſibile eſt, omnes oculis omnia perluſtrare, vel factis reque ipſa experiri, vel tandem memoria animoque tenere, quæ in hiſtoriarum ſpeculo proponuntur: & tamen ea ſcire pulcrum eſt, & utile, & jucundum. Debetur igitur gratia illis, qui hæc monumentis commendant, plurimosque labore immenſo, ſumptu, moleſtia & periculo ſublevant, ἐν παρόψει quaſi exhibentes, quod multorum annorum tempus requirebat. Paucis hic horis ampliſſimos Principatus, maxima regna percurrere licet, & inquirere, quid hic, quid illic agatur: Imo, quo alias nequaquam aditus pateret, ea ſponte ſe aperiunt, & ſecreta intimaque demonſtrant, quæ alias obvia non fuiſſent. Inde rerum gerendarum documenta optima petuntur, ut lector non ſolum alterius rationes, conſilia & machinas percipiat, ſed etiam, quid gratiam, opem & beneficium parere, quid quemque adverſus nos movere, quid ad mi-

misericordiam, indignationem, justitiam & æquitatem impellere possit, probe discat. Quæ omnia & publice & privatim plurimum in vita mortalium momenti habent. Ego quidem, etsi *Italiæ*, *Galliæ* partem, *Angliam*, *Sueciam*, *Prussiam*, & universam pene Germaniam, præcipuas aulas & Academias, collegiaque cum aliquo numero diligenter & laboriose, non pererrandi, sed indagandi studio, perlustraverim: Historiographis veteribus & recentioribus maximam gratiam habeo, & fateor libenter, me egregie ab illis adjutum in recte & honeste vivendi norma, mihique nihil perinde jucundum, nihil æque volupe esse, quam secundum Bibliorum lectionem, in istorum pagellis nocte dieque hærere: petant alii ex collectis aureis suas voluptates, hæ meæ sint deliciæ. Hoc naturæ impetu patriam describere aggressus sum, quam libris XX. absolvere constitui. Ex his quosdam jam editos quibusdam Marchiæ civitatibus nuncupavi: Quibus cum alii submittendi essent in lucem, eos nemini rectius, quam V. P. deberi judicavi. Quæ enim *Misniæ* cum *Marchia* hodie sit conjunctio, cui est obscurum? Et sane, quam diu hæ inter se conglutinatæ fuerint amicitiæ vinculo regiones, non solum pax his terris, sed universæ Germaniæ effulgebit. Pertinet huc jus illud hæreditarium inter *Saxoniam*, *Brandeburgicam* & *Hassiacam* familias anno Christi MCCCCLVII. consensu *Friderici III.* Imp. cum *Alberto Brandeburgico*, quem Germanicum vocant *Achillem*, sancitum, quod anno LV. per illustrissimum Principem *Augustum*, Sax. Electorem, sanctissimæ memoriæ, & per-illustriss. Principem *Christianum* Electorem, qui hodie rerum in Misnia potitur, superiore anno *Numburgi* in solenni conventu renovatum: In quo cavetur lege inviolabili, & sub juramenti formula, ut pax perpetua inter has alatur familias: Tempore belli mutua in hostem, excepta Cæsaris Majestate, auxilia subministrent: Quod si Saxo, iique omnes, ad quos jus successionis in Saxonia pertinet, sine prole mascula decedant, ad Landgravios Hassiæ jure hæreditario Saxonia, conjun-

junctæq; provinciæ devolvantur: His quoque deficientibus, ut tunc familia Brandeburgica, hujus nempe, cujus modo est stirpis, legitime succedat. Unde facile apparet, quanta sit Misniæ cum Marchia conjunctio: ut non dubitem, eo quoque nomine hanc vobis historiam jucundam futuram. Propter eam conjunctionem, non solum, quia sanguine ac jure hæreditatis atque fraternitatis sibi invicem hæ ditiones devinctæ sunt, sed etiam, quod vicinæ finibusque & limitibus inter se attingunt, toties Misnense & Saxonum nomen, propter matrimonia inita, communicationem animorum & consiliorum, ob res controversas, aliaque multa, in singulis pagellis occurrit, ubi vestra decora, facta, ornamentaque diligenter recensentur. Quæ ubi legeritis, facile me vobis, quamvis iratis, modo æquis, conciliabunt, efficientque, ut hi conatus vestrum favorem mereantur. Agnosco etiam, me gratitudinem debere terræ Misnensi. Quidquid enim in antiquitatis cognitione, cujus fundamenta *Misenæ* in ludo illustri jeci, profeci, id me illi debere libenter agnosco. Nam cum annorum 14. puer à patre meo, per illustriss. Principes Brandeburgicos commendatus illustriss. Sax. Electori, Domino *Augusto*, &c. sanctissimæ memoriæ, essem in istum ludum deductus, sub *Georgio Fabricio* Magistro, omnis antiquitatis peritissimo, cupiditate hujus studii flagrare cœpi, ut valetudinem bonam propemodum omnem in discrimen extremum vocassem. Et ne nunc quidem, nisi cum voluptate, illorum temporum meminisse possum. Tradebantur ibi exacte Philosophia artesque cum tribus linguis, incitamenta quoque ad virtutem erant mediocria. Summum otium, summa securitas, ut nec sciret juventus aliud, quam literas, quam bene agendum, de reliquis aut parum, aut nihil solicita. Victus erat hara consueta, amictus singulis annis paratus, si quid deesset, de eo recte & oportune prospiciebatur, ægrotantibus mature succurrebatur, singulis sua erant conclavia cum necessariis. Discipulorum inter se officia mutua, amor mutuus, perpetua er-

ga Professores reverentia, ut nesciam, an aliquid ad felicitatem illam, quam sibi φιλομαθὴς optare debeat, accessionis fieri possit. Post sexennium ad Academias, dato in aliquot annos stipendio, mittebantur: Quid dicam de doctissimorum virorum corona, quibus præerat *Georgius Fabricius* Rector, morum & doctrinarum, veriusque ingeniorum *Faber*, quam ille *Stapulensis* in Gallia, qui in omni doctrinarum genere ad docendum creditus est aptissimus. Summum profecto ingenium, indefessum studium, eruditionemque incomparabilem ostendunt monumenta partim edita, partim nondum absoluta, & quæ reservantur in Bibliotheca antiquitatis, elegantiæ & doctrinæ eruditiss. nomine clarissima, cui præpositus est *Petrus Albinus*, Historiographus Saxoniæ. Fateor, pro hoc beneficio me universæ Misniæ gratum debere animum, quem equidem, quoad vixero, fideliter præstabo, cujus documenta in his etiam commentariis satis perspicua videre licet. Vobis autem P. C. præ omnibus aliis hæc mea studia offero, quandoquidem vestram humanitatem ita probatam habeam ab eo tempore, quo civitatem vestram vidi, ut vel hodie ejus recordatione reficiar. Quam vellem ubique sic omnia atque apud vos administrari, quam optandum esset, studia apud omnes in eodem honore & pari pretio esse. Pergite, ut soletis, Viri laudatissimi, vera gloria non ex pecuniis collectis, sed ex virtute provenit. Ea humanitas non mortalibus solum est admirabilis, sed & apud Deum immortalem præmia habet paratissima. Neque dubito, V. P. in hac quoque mihi parte, ut cœpit, benigne affuturam, ut, cum Marchia annales idoneos nullos habeat, vel si habuit, temporum injuria perierint, interim autem apud vos quædam diligentius annotata intelligam, quandoquidem nullum in me studium desiderari, & his commentariis ad vestrum Archivum mihi aditum parare voluerim, hoc meam operam approbetis, vestroque favore, consilio & auxilio juveris. Novum non est, ab exteris patriæ petere monumenta, in eaque laude præstatis nostrates.

tes. Confido etiam, me, ſicut poteſtis, graviter propter ingenii excellentiam, judicii acrimoniam, & rerum uſum non ſolum de republ. ſed veſtra etiam civitate prolixe monituros. Quæ omnia hac dedicatione, qua debeo reverentia, peto, ſpero, & exſpecto. Accipite itaque hilari & favente animo, Viri præſtantiſſimi, hanc meorum commentariorum partem. Ego quidem patronos meliores me inventurum dubitabam. Is, in cujus manu ſunt omnia, faxit, ne mea me opinio fefellerit. Polliceor vobis, me bona fide humanitatem veſtram virtutemque prædicaturum, daturumq; operam, ut intelligatis, beneficium veſtrum qualecunque in virum bonum fuiſſe collatum. Et cum Miſnia ſuos habeat alias admiratores & laudatores, veſtrarum ego laudum præco ero ſtudioſiſſimus. Sic enim vos cognovi, ſic hactenus prædicavi veſtram rempublicam, illam tandem felicem eſſe, quæ tales habeat gubernatores, qui vel ipſi ſint docti, aut doctos honorent atque ament. Quidquid feceritis, pertinet ad gloriam Dei, quæ per hos meos conatus non parum illuſtratur: virtutis incrementum, quæ hac prædicatione creſcit, non aliter, atque ſolent hoc tempore arbores: patriæ ornamentum, quæ, quamvis ſatis ſit laudata, admiratores tamen ſuos per omnem poſteritatem habebit; & veſtram tandem laudem, cui unusquisque conſulere rectius debet, quam fortunis ſuis. Et quid honeſtius eſt, quam tales conatus juvare. Quod reliquum eſt, V. P. Deo Opt. Max. commendo. Vitebergæ 9. Martii, quo die *Phocion*, de Athenienſibus optime meritus, in gratiam *Caſſandri* injuſte damnatur & veneno necatur, anno Chriſti MD LXXXVIII.

IV.

Prudentiſſimis Viris, virtute, dignitate, doctrina atque genere præſtantibus, *Dominis Conſulibus atque Senatoribus civitatis Torgenſis*, patronis ſuis colendiſſimis, Salutem *M. Nicolaus Leuthinger.*

AUGUSTUS Cæſar ludum Romæ ingreſſus, nepotem videt legentem officia Ciceronis. Puer ſibi propterea timens, abdere librum parat. Sed Princeps optimus eum bono animo eſſe jubet, neque timere, quin & arrepto libro ipſe pagellas aliquot avide percurrit, & tandem ea cum exhortatione reddit: *lege diligenter, fuit enim vir bonus & amans patriæ.* Quid ab hoſte potuit dici laudabilius? Summus Imperator, quem antea proſcriptum necari crudeliter paſſus fuerat, hunc juſta tamen laude defraudare noluit. Hoc fatum commune ferme habuerunt boni viri cum *Cicerone*, qui licet in hac vita plerumque pejore ſunt loco; attamen poſt mortem ſemper deſiderantur, nec gloria carent. Hos ego cum intueor, ex animo deteſtor improbitatem noſtrorum hominum, qui ſe boni quidem viri nomine venditant, & tamen imitantur *Theophilum* illum *Alexandrinum*, hominem vehementem ſupra omnem moderationem, implacabilis iræ, odii tenaciſſimi, ambitioſum, alienarum virtutum obtrectatorem, invidum & hoſtem, inconſtantem, & interdum temerarie mendacem, aſſentatorem aſtutum, contentioſum, turbis atque ſeditionibus gaudentem, audacem, avarum & pecuniis cumulandis nimium intentum, quos ſicut vero odio odi, ita illos antiquæ virtutis viros amplector, & multa cum voluptate dicta atque facta illorum lego, conformisque ipſis eſſe ſtudeo. Hac occaſione, ſicut meos Principes amo atque veneror, ita eorum hiſtoriam colligere incepi, in qua multa exempla excellentium virtutum in oculos incurrunt, & mentem perſtringunt, & dum illos admiror, bonus & ipſe eſſe cupio. Delectatus etiam ſum inde à pueritia præſtantium virorum bene rebus geſtis, quem meum animum propitius DEus Opt. Max. ſolita clementia multum auxit. Patrem enim nactus φιλόμουσον, liberaliter educatus, bonarum artium & pietatis ſtudiis totus traditus fui, ut meo loco reipublicæ aliquando Chriſtianæ recte prodeſſem. Id cum ſine præceptoribus fieri non poſſet, præclaros & illos divina mihi clementia conceſſit. *Martinum* puto

Ciceronis laus.

Virorum bonorum fortuna.

Socrates lib. 6. c. 7.

Educatio.

Præceptores.

to

to *Göritzium*, *Nicolaum Mœnonem*, *Andream Cælichium*, *Georgium Fabricium*, & alios, quorum opera me profeciſſe, meamque ipſis qualemcunque eruditionem acceptam referre, ingenue fateor. Anno ætatis quarto decimo commendatus ſum ab illuſtriſſimo Principe, Domino JOHANNE GEORGIO, Marchione Brandenburgico, &c. potentiſſimo Principi, Domino AUGUSTO, Duci Saxoniæ Electori, ut ipſius gratia in ludum illuſtrem, qui eſt *Miſenæ Hermundurorum*, reciperer. Etſi autem novum erat & inauditum, peregrinum, inprimis ejus conditionis, qualis ego ſum, in eum ordinem illius loci cooptari, attamen benignitate divina affulgente, miram *Saxonis* indulgentiam, præter multorum opinionem, cognovi. Aſſcriptus igitur, ex mandato, alumnorum illius ſcholæ numero, cum rigida admodum eſſet illius theatri diſciplina, & ἐν τῷ ἀσκητηρίῳ Anachoreta fierem, ſemper exinde taciturnior atque ſubtriſtior fui, naturam ipſam conſuetudine multum juvante. Erant ex civitatibus Miſniæ adoleſcentes in hoc conventu provectioris ætatis atque doctrinæ, quos æquo pede aſſequi annitens, anno 17. ætatis primum locum inter diſcentes cum aliqua laude obtinui, tutatusque ſum, & præfectus aliis gubernandis atque docendis. Hic mihi occaſio oblata eſt hiſtoricos Græcos atque latinos cognoſcendi, quorum cum aliquem guſtum percepiſſem, illico tanta me cœpit hujus ſtudii cupiditas, ut, quod reliqui in ludo & aliis corporis exercitiis collocarent temporis, ego huc omne verterem, nec raro eam ob cauſam nervos nimium intendens morbis obnoxius fierem. Miſſus deinde ad Academiam *Witebergenſem*, utpote in qua ſtudia Philoſophiæ ſemper majore diligentia & facilitate tractantur, quam in ulla alia, attulit Muſis meis grave impedimentum factio iſta Calviniana, quæ aliquanto poſt infelici abortu in lucem producta, diſſipationem deplorandam Academiæ clariſſimæ concitavit. *Francofurtum* igitur anno ætatis 19. traductus, eo ipſo, poſt Chriſtum natum MDLXXIII. de voluntate Univerſitatis invitus Philoſophiæ Magiſter publice re-

Commendatio.

Ludus illuſtris Miſniæ.

Conventus ſcholaſt.

Exercitia ſcholaſt. Miſniæ.

Academia Wittebergenſis.

Philoſophiæ Candidatus.

renunciatus sum Decano *Matthæo Hosto*, viro nunquam satis ob excellentem doctrinam laudato. Perveni simul in familiaritatem clarissimi viri *Johannis Schofferi*, Oratoris elegantissimi atque Poëtæ coronati, cujus opera, adjuvante me plurimum in omnibus excellentissimo viro, Doctore *Christofero Albino*, incepi Barones, nobiles & alios ingenuos adolescentes erudire & instituere. Tunc primum auctore *Matthæo Hosto* Herodotum scrutatus sum profundius, quem Witebergæ etiam nobis prælegebat *Henricus Mullerus* Hamburgensis. Alebat eodem tempore pater & fratrem meum *Balthasarum* in eadem Academia magnis sumptibus, quibus cum par tandem futurus non videretur, ego ad scholam *Crosnensem* gubernandam amandatus sum. Felicia huc usque decurrerunt mihi tempora, in hac vita mihi nunquam reditura. Exinde cura & solicitudo infesta est. Sesquiannum huic palæstræ præfui, consiliis reverendi Viri, *Ulrici Meisneri* Superintendentis, patrocinio vero *Melchioris Schleri* Consulis, Viri amplissimi, usus. Cum autem tempus illud omne, quod à laboribus scholasticis vacabat, in historiarum lectione impenderem, cujus copiam mihi faciebat locupletem bibliotheca ejus Ecclesiæ, *Olaum Magnum* Suecum & *Saxonem Grammaticum* Danum, tanquam cœlo delapsos mihique nuncupatos, venerabar unice. Tædebat scholæ, incredibili cupiditate incensus hæc & alia regna videndi. Itaque reclamante senatu ac tribunis plebis, *Crosnæ* valedixi. Sed quia vitabam charybdim, incidebam in scyllam, cum mihi contra voluntatem patris optime meriti quidquam statuere turpe esset, frustra reclamans, ad gubernationem scholæ *Spandoviensis* retractus sum. Sesquiannum & hic militavi, ita, ut facile appareret, corpore me quidem præsentem, sed animo absentem, sæpeque deploravi fortunam meam, quod annos florentioris ætatis non liceret in gloriam majore cum fœnore assurgentem collocare, quod vires in pulvere obscuro frangerem, quæ in theatro claro laudem mereri possent. Stationem igitur relinquens, *Witebergam* me de-

Johannes Schofferus. *Christophorus Albinus.* *Matthæus Hostius.* *Schola Crosnensis.* *Ulricus Meisnerus.* *Melchior Schlerus.* *Schola Spandoviensis.*

denuo recepi, & paulo poſt *Germaniam* ſuperiorem, partem *Italiæ* & *Inſubriam* perluſtravi. Reverſus feliciter ibidem quinque Carminum libros edidi. In his pertexui breviter res geſtas Principum Electorum Brandenburgenſium ex familia Burggraviorum Noribergenſium, ſpemque feci copioſioris frugis. Ad Oceanum fretumque tentandum tandem animi tantum ſubibat, quantum in viro eſſe poteſt, & cum jam in procinctu forem, amitto patrem, patrem proh dolor! ut cariſſimum inter mortales omnes, ita morte immatura mihi ereptum, & ſimul omnis ſpes mea cecidit. Conjicior præterea in tales difficultates, ex quibus vix unquam ulla mihi eripiendi facultas relicta eſt. Luxi defunctum deſideranter, tumulavi honeſte, publice laudavi, editis de vita ipſius monumentis, idque pietatis ac gratitudinis ergo. Sicut autem nulla calamitas eſt ſola, objecit me eodem tempore aula certamini periculoſo, bono quidem conſilio, ſed multo meo negotio, præfecitque rebus, quibus cum neque delectarer, neque animi ſatis eſſet, unica cura erat redire ad matrem Academiarum *Witebergam*. Recte autem Deo gratias ago, quod me ex lacu iſto infernali, ſentina omnis diſſenſionis & calumniæ infinitæ, eripuerit, veramque vivendi normam monſtraverit, qui alias dudum forſan in fata conceſſiſſem, ſcilicet, ut per omnia tentatus probatusque majore fide atque robore ſervirem, neque cum Phariſaico hominum genere iſto, quod ſibi omnia arrogat, aliis detrahit, nihil minus faciens, quam quod pietatem redolet, damnarer. Hic mihi data eſt denuo facultas perluſtrandi Germaniam univerſam, partem *Italiæ*, *Galliæ*, *Angliæ* & *Norwegiæ*, *Daniam*, *Sueciam*, *Boruſſiam*, *Livoniam*, *Poloniam* & alia, non ſicut vulgus hominum vagatur, ſed ut multum proficerem. Laurea etiam donatus à FRIDERICO III. Rege Daniæ, *Fridericiburgi*. Incepi hic aliquo modo reviviſcere, vitæque hujus dulcedinem deguſtare, quodque aliis ſumma moleſtia videbatur, id mihi non tam ingratum, quam volupe erat. In hac peregrinatione veni in notitiam præſtantium viro-

rum,

Quinque Carminum libri.

Fortuna nusquam correſpondet.

Non quod debui, ſed quod potui.

Nulla calamitas ſola.

Minor ſum cunctis miſerationibus.

Plaga ſacerdotalis.

Peregrinatio.

rum, nec mihi defuerunt vocationes honestæ atque copiosæ. Et cum in colloquiis Marchiæ nomen intelligerem esse obscurius, sæpeque Marchicos pro Marchitis censeri, cœpi mihi ipsi indignari, qui aliena curiosius scrutarer, & patriam ipse nescirem. Exinde in hanc unicam curam digressus, quomodo patriæ res gestas mihi & aliis notiores redderem. Et quia magna annalium esset inopia, major hominum iniquitas, maxima temporum difficultas, diligentius *Marchiam*, *Pomeraniam*, *Borussiam*, *Silesiam*, *Franconiam* & alia, quæ ad imperium Marchionum Brandenburgensium spectant, intuens, simul primitias in publicum emisi, quas cum bonis probari intelligerem, urgere negotium non cessavi. In quo etsi mihi quotidie cum horrendis monstris crassæ ignorantiæ & cœcæ invidiæ luctandum fuerit, ita me tamen animo præsentiori, plerumque ea aspernans, quæ mundus fanaticus captat, gessi, ut mihi aut vincendum, aut moriundum omnino existimarem. Expertus quidem sum, à plurimis hæc studia fastidiri, & in levi momento poni, sed tamen multa multis has Musas debere, ipsæmet suo loco libenter atque ingenue fatebuntur. Inter quos V. P. eminere certum est, ideoque messem uberiorem gloriæ nunquam intermoriturae in lætissima hac segete exspectabit. Felicem vero rempublicam, quæ tales habet patres patriæ. O rem amabilem, necessariam, suspiciendam, atque exosculandam in hac misera mundi senecta, ubi virtus in exiguo est pretio, ars in honore minimo, nummi prævalent, vis regnat, & ὕβρις ista abominanda cum pomo ἔριδος extremam nobis, sicut magnetes ferrum, perniciem attrahit. Merito igitur patriæ de hoc publico gratulor bono, me vero miserum, qui inserviendo aliis paulatim consumor. Equidem poteram ipse quoque majore cum fructu rerum atque fortunarum mearum operam locare rebus humanis, sed quia viri boni proprium est, publicum potius, quam suum commodum quærere, eorum me potius numero aggregare volui, quos posteritas grata dignis præconiis veneratur, quam quos terra simul corpore & memoria ab-

Marchitæ.

Homine imperito nihil injustius.

Musæ honorant ben. meritos.

Mores nostri seculi.

Vir bonus.

Vulgus hominum.

abſorbet atque diſperdit. Qui, in hac caduca vita omnem gloriam in ſolas divitias ponentes, nihil tamen proprium tenent, ut quibus nec uti per avaritiam licet, nec per ſtoliditatem poſſunt, & tandem relinquere aliis, ingratis omnino, coguntur, vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras, ut Poëta canit. Quandoquidem autem magnos ſumptus facio, atque labores ſuſtineo incredibiles, æquum eſt, me juvari ab illis, qui recte poſſunt & merito debent. Sæpe mihi venit in mentem præſtantiſſimi Domini Conſulis Landsbergenſis, prudentis illius *Schedii* dictum, ſe quidem olim tentaſſe colligere hiſtoriam patriæ ſuæ, ſed incidiſſe in labyrinthos inextricabiles, præterquam quod labor eſſet omnino tædioſiſſimus. O me vero miſerrimum, quid non eſt, quod hac in parte conquerar. Gratias tamen ago Deo Opt. Max. quod viros atque Heroës excellentes hinc inde excitat, quibus hæc mea ſtudia curæ ſunt. In quorum numero V. P. recte recenſeo, quibus me pia reverentia officioſe commendo, & oro, ut hos meos qualescunque conatus ope atque conſilio benigne, ut quidem hactenus egregie fecerunt, adjuvent. Præterquam quod publico commodo ſerviunt Muſæ noſtræ, gratæ quoque privatim erunt. Deus Opt. Max. fons omnis ſapientiæ, in cujus manu ſunt omnia, qui videt atque judicat omnia, & reddit unicuique ſecundum beneplacitum atque juxta meritum, adſit nobis gratia atque Spiritu ſuo, ut ſimus organa ſalutaria reipublicæ Chriſtianæ. Vitebergæ, anno ſalutis humanæ MDLXXXVIII.

Quod non capit Chriſtus, rapit fiſcus.

Conſul Landsbergenſis.

V.

Senatui *Hildesheimenſi* quoque dedicati erant iisdem verbis, quibus tres priores libri inſcripti erant Senatui *Witſtochienſi*, *Oſterburgenſi*, aliisque.

LIBRI SEPTIMI, OCTAVI ET NONI DEDICATIONES.

I.

Prudentiſſimis Viris, ſapientia, genere, dignitate & virtute præſtantiſſimis, *Dominis Conſulibus & Senatoribus reipublicæ Nauenſis*, (al. edd. *Sebuſianæ*,) &c. patronis ſuis benigniſſimis, S.

Nicolaus Leuthinger. M.

INter alia cum hos commentarios primum ſcribere cœpiſſem, difficile eſt dictu, quanta me undique ſolicitudo, in diverſas partes mentem animumque meum diſtractum rapiens, circumſtabat. Cum enim meo me pede metiens infantiam meam agnoſcerem, pudore quodam ingenuo ſuffuſus locum illis dare volebam, qui & uſu rerum & ſapientia, virtute, doctrina & antiquitatum monumentis inſtructi ſunt. Poſteaquam vero illi, vel hominum ingratitudine, vel rei gravitate, vel negotiorum multitudine moti impeditique, aliud potius agerent, quam ut hoc ſuſciperent onus, ego autem ſcirem, Deum in infirmis efficacem eſſe, & per eos ſæpe maxima confeciſſe, defectum labore reſarciendum putavi. Quanquam autem me vix illam confirmatam & abſolutam agendi patiendive ſcientiam aſſequi poſſe exiſtimem, in propitio tamen numine divino efficiam, ut mihi nec ſtudium, nec voluntatem bene de patria merendi defuiſſe, boni omnes intelligant. Quod igitur patriæ fauſtum & felix ſit, bonisque omnibus gratum, commodum & utile, vela explicavi, ventisque commiſi, ea exſpectatione, Deum Optimum Maximum portum mihi tandem tranquillum, lætum & exoptatum in gloriam ſui nominis largiturum. Certum eſt, impendere graviſſimas mutationes, tam in eccleſia, quam republica. Proſtant ea tempora, de quibus etiam ante plurimos annos boni ſoliciti fuerunt. Et quid jam hinc inde fiat, animus meminiſſe horret. Itaque vehementer mi-

ror

ror istorum hominum improbitatem, qui publicis quoque scriptis hæc omnia elevare audent, eaque nobis promittunt, quæ ne aureum quidem seculum habuit. Ego quidem metuo omnia, putoque id mihi cum iis, qui patriam amant, commune. Quo enim quis naturæ est generosioris, eo magis hac cura affici, sapientes judicant. Despectum admodum est imperium hodie apud vicinas gentes germanicum, diffidia sunt ingentia, quæ procul dubio in periculosissima bella aliquando erumpent, crescunt onera & expilationes in rebuspublicis cum querelis, scelus additur sceleri, & ad ea tempora perventum est, ubi nec vitia nostra, nec remedia ferre possumus, voluptatesque desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere. Religio minitatur ruinam, & hic utinam falsus testis essem, nullus honor debitus artibus scientiisque restat, vere docti iniquissime premuntur, vis & injuria regnat: Musæ cum sacris transeunt mare, nobis quasi valedicentes, labores egregii sua præmia non assequuntur, paupertas sapientiam nacta est, eaque per se afflictissima remunerationis ergo anxie premitur. Testatur *Jovius* de *Theodoro Gaza*, quod scripta quædam accurata *Xysto*, Pontifici Romano, obtulerit, cum autem honorarium, vel ipsius librarii præmio non dignum redderetur, indignatum subagreste judicium, dixisse, effugere hinc libet, postquam optimæ segetes in olfactu præpinguibus asinis sordescunt. Ita in *Brutios* contendisse. Sed quo hodie fugeret tantus vir? Exstat dictum *Aristotelis:* Amicus *Plato*, sed magis amica veritas. Sed qualis hodie est veritas? Amara est illa, & cum laudabilia non faciamus, laudari tamen in omnibus expetimus. Turpe autem est mentiri, at historico turpissimum. De me in præsentia nihil dicam, neque de meo conatu aut labore. Difficile admodum est bonum esse, id tamen in Principibus multo difficilius est, eo, quod plura vitiorum irritamenta illos ab exercitio virtutum subducant. Hinc *Suetonius* inverecundius detexit eorum Cæsarum vitia, quorum propter virtutes egregias sin-

gularis laus eſt: Ita *Petrus Candidus December* in vita *Philippi* Vicecomitis recenſet, quæ tamen ſatius fuiſſet tacere. Iſtud nec laudo, nec vitupero. *Valerium* autem *Maximum*, adulatorum ſcriptorumque adulantiſſimum, quia ſæpe aperte mentitur, reprehenſione omnino dignum judico. Quidquid enim contra veritatem fecit, in gratiam *Tiberii* Imperatoris feciſſe, dubium nulli eſt. Tales fuerunt ſæpe Principum adulatores, qui in parvula virtutis ſcintillula maximum incendium excitaverunt, ideoque merito ſuo à bonis culpantur. Noſtri vero Principes, cum eſſent omni laude digniſſimi, quosnam habuerunt ſuæ virtutis rerumq; pace & bello geſtarum idoneos præcones & ſcriptores, quorum tamen facta longe majora ſunt, quam ut literarum cancellis includantur? Verum quidem eſt, illos ſuos quoque habuiſſe nævos, ſed ii nequaquam nobis tanti videntur, ut propter eos tantæ virtutes cœca caligine perfundantur. Natura ſumus fragiles, & facillime in vitia labimur, ſed inprimis ii, qui ad gubernacula rerum ſedent, huc propendent: Quid enim licentia non deſignet? quid rerum copia non extorqueat? quid amici improbi non perficiant? quid ſatellites iniquitatis non auſint? Etſi igitur nihil difficilius ſit, quam bene imperare, *Diocletiano* Imperatore teſte, & exempla Principum frequenter oſtendant, plures reprehenſione, quam laude digniores, recte tamen nequaquam meritis laudibus fraudabimur, quos factis reliquos, ſicut Heſperus ſtellas, præcellere, tum rerum bellicarum gloria, tum virtutis & ſapientiæ, ſed inprimis eloquentiæ, non opinione, ut ferme fit, ſed ſolida laude voluit: Nec ullum mihi ex his dare poteris, qui non ornamenta ſingularia ad familiam attulerit, cujusque merita præclara non in provinciam modo Marchicam, ſed omnem prope Germaniam non exſtent. Quibus Regum exterorum quoque egregia, honorifica & immortalia virtutum teſtimonia promeruerunt. Hæc ego immortalitati conſecrare, ſi per fata licet, omnino decrevi. Et hic non *Suetonium*, aut *Petrum Candidum*, aut *Valerium*, vel ali-

lios culpandos imitabor, sed recta incedens via, sicut nulli detraho, ita nihil de meo addam, id spectans, ut planum fiat, quanta Deus Optimus Maximus per hæc sua organa salutaria reipublicæ Christianæ beneficia contulerit, & existimo, pro iis mecum omnes bonos Deo & his Principibus pia recordatione fidelique imitatione gratos esse. Quamvis autem ad alia studia jam dudum animum adjeci, attamen de magnorum virorum adhortatione huic quoque aliquid dare temporis volui. Utinam vero proceres cogitarent, quid laboris & sumptuum hæc conditio requireret, & impensius conatus laudabiles juvarent. Quia vero hic dubitatio nulla esset, hanc V. M. partem, tanquam Diis tutelaribus, consecrare volui, debita reverentia obsecrans, ut hunc meum conatum benigne approbatum hilari vultu accipiat, meque & mea studia sibi commendata habeat. Semper ita apud honoratos usitatum fuit, ut una cum aliis necessariis rerum quoque gestarum libros & monumenta reponerent, & ob id gloria & gratia non caruerunt: Sicut econtra Neroniana tempora culpantur, quod tum humanitas liberalitasque ita defierant, ut pariter ex animis hominum & monumentis literarum honesta meritorum & virtutis memoria deleretur. Ex his talem, qui navant operam reipublicæ in conservandis necessariis monumentis, cum V. M. quoque esse credam, hanc quasi occasionem arripiens, studiosissime peto, ut, si tale quid sit obvium, quod ad institutum meum faciat, istud mecum communicetur, ea spe, multum inde gloriam Dei, & reipublicæ commoda, juvari posse. Polliceor, me bona fide suo loco id his commentariis inserturum, daturumque operam, ut beneficium hoc in virum gratum esse collocatum intelligatur. Et quid honestius est, quam tales labores juvare? Mihi certe calcar addetur ea præstandi, quæ in Marchia ante me nemo præstitit. In eum enim finem per aliquot annos Academias ferme omnes & collegia in Germania diligenter & studiose perlustravi, adhibita diligenti investigatione earum rerum, quæ ad institutum meum

 per-

pertinent: Nihil hic dicam, cùm labor ſcribendi commentarios ejusmodi non ſit hominis vulgaris, ſed exercitati, quos labores ſubierim, adeoq; devoraverim, in ſuſcipiendis periculoſiſſimis peregrinationibus terra mariq;, ut conferrem cum hominibus doctis & prudentibus in *Italia*, *Galliis*, *Britannia*, *Dania*, *Boruſſia*, & aliis regnis. Utinam vero illorum ſpei, adeoque expectationi ſatisfacere poſſim. Sed tamen, propitio Dei Optimi Maximi & bonorum virorum favore, nihil in me deſiderari patiar. Eamque mentem meam exiſtimo cognoviſſe jam antea viros cordatos, quos, ut pro parte virili & cujusque conditionis ratione me ſedulo adjuvent, amanter oro. In quibus viciſſim opella mea publice & privatim iis obſequi opportunaque eſſe poterit, vel ſummæ neceſſitudinis officia ſemper conſtabunt, ſintque memores illius dicti *Pindarici*, virtutem prædicatione eorum, qui res geſtas ſcribunt, creſcere, ſicut arbores verno tempore: ego quidem ſtudebo, ut integra hiſtoria inde à concilio Conſtantienſi, in quo Calendis Maji primus Elector Brandeburgicus ex Burggraviorum Norinbergenſium familia, *Fridericus I.* ſolenniter conſuetis ceremoniis per inaugurationem in poſſeſſionem ditionis Marchicæ à *Sigismundo* Imperatore immiſſus eſt, usque ad præſentia tempora exſtet, commemoraboque fideliter cum politicis actionibus decrementa & incrementa religionis, ne quid lector deſiderare poſſit. Quod reliquum eſt, nos omnes Deo Optimo Maximo commendo. Die 2. natalis Chriſti, quem, ut Halcyonia det ſtudiis, oro, anno MDXC.

II.

Magnifico atque ampliſſimo Viro, nobilitate generis, ſapientia & doctrina clariſſimo, Domino *Chriſtiano Dieſtelmeyero*, *Lamperti* F. illuſtriſſimi & potentiſſimi Pr. JOHANNIS GEORGII, Electoris Brand. Cancellario, Domino & patrono ſuo obſervando, S.

De-

DEcimus jam annus eſt, ampliſſime Patrone, cum quintum meorum carminum librum, ſub clariſſimi tui nominis auſpiciis, in publicum ederem, & ea occaſione tibi primum innoteſcerem. Ab eo tempore, quæ mihi à patre tuo, felicis memoriæ, magno illo *Lamperto*, ſummo ſtudiorum Mæcenate, cujus maxima & plurima in rempublicam Marchicam merita nulla extinguet ætas, nulla obliterabunt ſecula, præſtita ſint beneficia, grato agnoſco animo. Utinam vero diutius ille rebus humanis ſuperfuiſſet. Quamvis autem maximam ejus morte jacturam fecimus, & nemo ſanus ſit, qui non incredibili ejus deſiderio, propter ſingularem ipſius pietatem, ſapientiam, eloquentiam, gravitatem cum humanitate temperatam, dexteritatem, integritatem, moderationem, gratiam & auctoritatem (quis enim in iis cum illo, vel ſapientiſſimo Electore noſtro teſte, comparari poterat?) feratur, ſit tamen hodie, ut, cum te filium ſuum in eodem loco, quo ipſe per tot annos in tantis difficultatibus ad vitæ uſque exitum ſumma cum laude & immortali gloria perſtitiſſet, pari gratia, honore, laude & dignitate iiſdem virtutibus præfulgentem nobis reliquerit, revixiſſe ille, & ad nos rediiſſe videatur. Eſt certe, quod Deo optimo maximo acceptum referamus, eſt, quod nobis gratulemur ſinguli & univerſi. Ad me quod attinet, tum mei, tum patriæ cauſa ſummopere lætatus fui, poſtquam hoc ampliſſimum munus, tanquam patrimonium, juſta hæreditate ad te perveniſſe audivimus. Eras profecto unus illo digniſſimus, jam tum præcipuus tanti Principis conſiliarius, omnium tanti patris conſiliorum conſcius, cunctarum actionum & virtutum ejus ſpectator individuus. Et quæ non natura, adeoque, ut veterum more loquar, Dii Deæque omnes in te contulerunt, ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ bona ſpectemus? Proh! Deum immortalem, quanta ſemper inde à primis annis de te expectatio? quantum tibi honorem in Academiis *Vitebergæ* & *Francofurti*, & poſtea in aula ab excellentiſſimis & nobiliſſimis Viris exhiberi vidimus? Quot

ego

ego ſapientiſſimorum Virorum judicia honeſtiſſima referre poſſem apud exteros in *Italia*, *Anglia*, *Dania*, *Polonia*, *Boruſſia*, & alibi prolata? Jam quo reponemus illa maximorum Principum &c. Domini *Johannis Georgii*, Electoris Brandeburgici, & *Joachimi Friderici*, Principis Magdeburgenſis, &c. teſtimonia, cum invitus, ter ſuppliciter deprecatus, ad hoc faſtigium pertrahereris? Decet nos hæc mente pia, tanquam dona Dei ſingularia, in his extremis temporibus agnoſcere. Sed de his tuis & patris clar. virtutibus, ornamentis & meritis alibi à me copioſe dicitur. His ſaltem literis meæ erga te obſervantiæ gratique animi ſignificationem edere volui, & per hunc commentarium, quem, Patrone optime, benigno vultu accipere digneris, tibi me meaque ſtudia commendare, ut, cum apud maximum Principem ſis in ſummo loco poſitus, & multorum commodis egregie proſpicere poſſis, me vel ultimum inter tuos eſſe patiaris. Recte valeat T. Magn. Calend. Decembr. anno MDLXXXIX.

Magnificentiæ T.

Addictus

M. Nicolaus Leuthinger.

LIBRI DECIMI, UNDECIMI ET DUODECIMI DEDICATIONES.

I.

Ampliſſimis Viris, virtute, prudentia, genere, dignitate, doctrina, rerumque uſu præſtantibus, *Dominis Conſulibus atque Senatoribus reipublicæ Prenslavienſis*, (al. edd. *Naumburgenſis*,) patronis ſuis colendis,

M. Nicolaus Leuthinger. S.

QUanta ſit hiſtoriæ dignitas, utilitas atque neceſſitas, cum mecum apud animum reputo, non poſſum ſatis admirari eos, qui in ea excolenda ſtudioſi fuerunt. Hinc enim lector exempla

pla faciendorum fugiendorumque capit, ex aliorum erratis suas actiones probe emendat conformatque, & ad multiplicem rerum mutationem ipse opinionibus non fluctuat, sed connititur, ut unum idemque institutum tenens in æmulandis recte laudabiliterque factis totus sit occupatus. Sic posteritati quoque optime consulitur, quæ hoc modo pulcerrime excitatur sanctissimis operibus imitandis, & decenti probataque vitæ instituendæ ratione affectanda. Hinc non immerito historiam vitæ magistram, quæ judicium & prudentiam pariat, Romanorum eloquentissimus appellat. Certe exemplo nihil vehementius, nullamque memoriam vivaciorem esse, usus docet. Neque solum ingentia, sed tenuia quoque suum locum non absque fructu tuentur. Videntur autem ingenia, quæ alias magis ad deteriora feruntur, inprimis in delira hac mundi senescentis segnitie, his veluti lenociniis exsuscitanda. Olim *Miltiadis* trophæa *Themistoclem* dormire non pastiebantur. *Alexandrum Magnum* gloria *Achillis* incendebat: *Julium Cæsarem* virtus, celeritas atque fortuna *Alexandri* exstimulabat, ut ex profligatæ famæ juvene Imperator longe clarissimus evaderet. Quæ incitamenta quantum in rebus humanis valeant, utinam hoc seculum plenius intelligeret, & minus esset querelarum, & majora omnis virtutum generis incrementa haberemus. Accedit & hoc, quod historia ad fallendum tædium, sed & ad valetudinem corporis & animi recreationem non minimum conferat. *Alphonsus*, Arragonum Rex, periculoso morbo correptus, dum frustra medicorum opem exposcit, *Q. Curtium* sibi porrigi jubet, cujus lectione ita recreatur, ut dolorum oblitus, omnino valetudinem recuperare videatur. Exclamat igitur, valeat *Galenus*, valeant *Avicenna*, *Hippocrates*, & omnes medici, vivat *Curtius*, sanitatis meæ restitutor. Cui astipulatur testimonium *Philemonis*, qui vel nudam orationem ægrotantibus prodesse asserit. Hinc non insulse quidam literas animæ medicinam dixerunt. Habent profecto eæ omnes, meo judicio, sed inprimis rerum gesta-

 rum

rum ſcientiæ, cum dulciſſima animi oblectatione conjunctam, & omnium opinione majorem utilitatem: qua tamen ferme quis, ut naturæ eſt generoſioris, capitur. Ego quidem in his ſtudiis poſt ſacras literas vitæ humanæ delitias & ſolidas voluptates conſtituo. Et quamvis ingenue fateor, me natura vehementer ad ea rapi, certum tamen eſt, me plurimum etiam *Georgio Fabricio*, viro omnis antiquitatis periti ſſimo, debere, currenti autem deinde calcar addidiſſe viros alios præſtantiſſimos. Hi mihi hortatores auctoresque fuere, ut patriam hiſtoriam colligerem. Initio autem me multa ſimul & terruerunt & impediverunt in inſtituto, inprimis cum annales patriæ de paucis monerent, & propter frequentiam bellorum intercidiſſent documenta pleraque, monumenta vero reliqua cum monaſteriis direpta eſſent; nec tamen inter has difficultates à propoſito deſtiti, ſed impigre agendo magis magisque contra nitens exercitii cauſa progymnaſmata quædam præmiſi, ut per hanc occaſionem cauſa mihi daretur cum viris ſapientibus inter vicinos populos conferendi, & experirer, quid ferre valerent humeri. Videmus enim illos, qui ludicro ſeu vero decertaturi ſunt prælio, antequam Martis ſubeant diſcrimen, arma expedire, animi vigorem confirmare, & corporis robur exercere, ut, cum per uſum diuturnum ac pugnæ ſimulacrum jam vires periclitati fuerint, rem ita demum aleæ recte committant. In hoc autem enitendo non ſolum tabulas, annales, faſtos, & ſcripta earum regionum, quæ ſpectant ad jurisdictionem Brandeburgicam, conſului, ſed ipſe, cum maximam Europæ partem emenſus eſſem, diligenter *Marchiam*, *Boruſſiam*, *Franconiam*, *Voitlandiam*, Epiſcopatum *Magdeburgenſem*, *Pomeraniam*, *Luſatiam* atque *Sileſiam* perluſtravi, audita que & viſa refero, voluique fabuloſa à certis & exploratis diſcernere, & omnino veritati ſacrificare, quæ omnia in poſtrema editione melius, plenius, & copioſius longe patebunt. Ardua res cumprimis hæc eſt, id operam dare, minimeque ex iſtis, quæ per ſegnitiem comportantur, ſed quæ maxi-

xima indigeant cura, dum non raro mihi obvenit ferme, quod viatoribus apud *Bactrianos* in regione, quam ſteriles harenæ occupant. Iſthic cum venti à Pontico mari ſpirant, omnia priſtini itineris veſtigia intereunt. Itaque qui campos tranſeunt, relictis veſtigiis, navigantium more noctu ſidera obſervant, ad quorum poſitum & curſum iter dirigunt. Interdum ille ipſe ventus viatores harena omnino obruit. Pari ratione, dum vix umbram rerum aſſequimur, ne erremus, ex aliis regionibus ignota petere cogimur, quæ nativum ſolum denegavit. Utinam vero exſpectationi omnium ſatisfaciam. Bonis tamen me permitto, & tanquam ad exædificandum publicum bonum meum contribuo. Miſeros vero illos, qui ita vivant, dummodo morem animo gerant ſuo. *Lucanus* nobis depingit hiſtoriographum, qui ſit intrepidus, incorruptus, ingenuus, liberæ linguæ, ac veritatis amicus, quique ficus ficus, ſcapham vero ſcapham nominet, non livori, non amicitiæ indulgeat, nemini parcat, nullius ducatur miſericordia, nullo corripiatur pudore, non animo flectatur, ſit judex juſtus, omnibus benevolus, usque adeo, ut ne quid alteri plus juſto tribuat, peregrinus in libris, ſine civitate, ſuis vivens legibus, Rege carens, haud conſiderans, an illud vel aliud conveniat, ſed quid ſit, enarret. De his aliorum ſit judicium. Recte quidem hæc ſtudia noſtra comparantur navigationi contra fluminis curſum, ubi ſi leniter ceſſaverint remiges, impetus fluminis navim retro trahit. Inter has obluctationes ingentes provehere res bonas, vere heroicum eſt. Hoc admonendum putavi, lectorem hiſtoriam Marchiæ inde à concilio Conſtantienſi usque ad præſentes annos habiturum libris XL. longe emendatiorem, pleniorem atque perfectiorem, quam hæc progymnaſmata præ ſe ferant. Neque dubito, bonos hanc meam operam approbare. Quod ſi ſecula hæc noſtra literas faſtidiunt, quid fiet aliquanto poſt, cum inſcitia barbariem & feritatem augebit. Hæc cogitare eos, qui ad gubernacula rerum ſedent, decebat, ut majore cura opem diſciplinis ferrent, ex quibus reliqua

omnia exædificarentur. Ubi intereunt literæ, ibi efferari animos videmus. Dictum est *Aristotelis: Tyrannidem*, quæ etiam, proh dolor! hodie inter literatos regnat, *inimicissimam esse veritati.* Itaque orandum est, ut imperiis destinati, & naturæ bonitate excellentes, doctrina excolantur, quo officium suum rectius intelligant & faciant. Constat, in familiis heroicis vim naturæ præstantiorem esse, quam in reliqua multitudine. Constat & hoc, ordinum distinctionem divinitus factam esse, & præfecisse Deum præstantiores cæteris hominibus, addidisse quoque motus animorum acriores, meliores, & feliciores, quam reliquis, qui parent: Habent etiam hoc singulare magni atque præstantes viri, ut quo sint virtutum ornamentis decoratiores, eo magis hæc studia colant, studeantque quam proxime beneficentia ad Deum accedere. Quibus ego motus impulsivis nihil non mihi de V. D. promitto. Dono itaque hos qualescunque meos conatus V. D. neque dubito, V. D. lectione historiarum multum pro more excellentium virorum delectari. Quod reliquum est, qua par est reverentia, peto, ut V. D. levidense hoc munusculum sereno vultu accipiat, & hæc mea studia communicatione annalium, consilio, opeque sua liberaliter juvet atque promoveat. Mea quidem officia V. D. animo gratissimo semper constabunt. V. D. recte valere precor. Vitebergæ anno Christi nati MDXCII.

II.

Prudentissimis Viris, ordine, genere, dignitate, virtute, doctrina atque humanitate præstantibus, *Dominis Consulibus atque Senatoribus reipublicæ Halberstadiensis*, (al. edd. *Halensis,*) Patronis suis observandis, Salut.

M. Nicolaus Leuthinger.

QUanta sit Historiæ dignitas, utilitas atque necessitas, cum mecum reputo, non possum satis admirari eos, qui in ea excolenda studiosi fuerunt. Non enim ultimus prudentiæ atque scien-

entiæ finis eſt ille in homine, qui verſatur circa periodos rerum atque hominum, cujus ſi quis inveſtigatione probe atque diligenter occupatus fuerit, ſi nihil inde aliud emolumenti feret, id unum profecto multorum inſtar aſſequetur, ut, quandoquidem nulli æque rei mortales obnoxii ſint, quam fortunæ per crebras vices, inſtabilitati atque varietati, bonam vel malam æquiore animo excipiat atque ſuſtineat. Ubi enim ſuos caſus aliorum exemplis conformes eſſe conſpexerit, alieno malo cautior atque prudentior, alieno vero bono ſapientior atque præſentior evadet. Neque enim temere judicatur ille felix, quem faciunt aliena pericula cautum: Quis vero neſcit, cuivis contingere poſſe, quod cui contigit. Neque abſonum fidei eſt, hanc tandem veram eſſe illam atque ſanam ſapientiam, quæ practicis exemplis inſiſtit. Hinc non immerito Hiſtoriam vitæ magiſtram, quæ judicium & prudentiam pariat, Romanorum eloquentiſſimus appellat. Certe exemplo nihil vehementius, nullamque memoriam vivaciorem eſſe, uſus docet; proponit enim in quibusdam Deus excellentiam, ut habeamus, quod jure imitemur. Videntur autem ingenia hominum, quæ alias magis ad deteriora feruntur, inprimis in delira hac mundi ſeneſcentis ſegnitie, his veluti lenociniis exſuſcitanda. *Miltiadis* trophæa *Themiſtoclem* dormire non patiebantur. *Alexandrum* gloria *Achillis* incendebat: *Julium Cæſarem* virtus, celeritas atque fortuna *Alexandri* exſtimulabat, ut ex profligatæ famæ juvene Imperator longe clariſſimus evaderet. Accedit & hoc, quod hiſtoriæ ad fallendum tædium, ſed & valetudinem corporis & animi recreationem non minimum conferant. *Alphonſus* periculoſo morbo correptus, dum fruſtra Medicorum opem expoſcit, *Q. Curtium* ſibi porrigi jubet, ejus lectione ita delectatur, ut dolorum oblitus, omnino valetudinem recuperaret. Exclamat igitur, valeat *Galenus*, valeant *Avicenna*, *Hippocrates*, & omnes medici, vivat *Curtius*, ſanitatis meæ reſtitutor. Cui aſtipulatur teſtimonium *Philemonis*, qui vel nudam orationem ægro-

 tan-

tantibus prodeſſe aſſerit. Hinc non inſulſe quidam literas animæ medicinam dixerunt. Habent profecto eæ omnes, ſed inprimis rerum geſtarum ſcientiæ, cum dulciſſima animi oblectatione conjunctam & omnium opinione majorem utilitatem: qua tamen ferme quis, ut naturæ eſt generoſioris, capitur. Ego quidem, qualiscunque ſum, multum ea utor atque delector. Etſi autem plurima me initio & terruerunt & impediverunt in inſtituto, inprimis cum annales patriæ de paucis monerent, & propter frequentiam bellorum intercidiſſent documenta pleraque, monumenta vero reliqua cum monaſteriis direpta eſſent; non tamen à propoſito deſtiti, ſed impigre agendo magis magisque contra nitens, exercitii cauſa progymnaſmata quædam præmiſi, ut per hanc occaſionem cauſa mihi daretur cum viris ſapientibus conferendi, & experirer, quid ferre valerent humeri. Videmus enim illos, qui ludicro ſeu vero decertaturi ſunt prælio, antequam Martis ſubeant diſcrimen, arma expedire, animi vigorem confirmare, & corporis robur exercere, ut, cum per uſum diuturnum ac pugnæ ſimulacrum vires periclitati fuerint, rem ita demum aleæ recte committant. Verum objecta etiam alia fuit difficultas, cum enim Principum Brandeburgenſium imperandi jus late longeque ſpectet, multa impedimenta noſtris conatibus allata ſunt, ut veritati ſacrificetur. Ardua res cumprimis hæc eſt, id operam dare, minimeque ex iſtis, quæ per ſegnitiem comportantur, ſed quæ maxima indigeant cura, dum non raro obvenit, quod viatoribus apud *Bactrianos* in regione, quam ſteriles harenæ occupant. Iſthic cum venti à Pontico mari ſpirant, omnia priſtini itineris veſtigia intereunt: Itaque qui campos tranſeunt, relictis veſtigiis, navigantium more noctu ſidera obſervant, ad quorum poſitum & curſum iter dirigunt. Interdum ille ipſe ventus viatores harena omnino obruit. Bonis tamen me permitto, & tanquam ad exædificandum publicum bonum meum contribuo. Recte quidem hæc ſtudia comparantur navigationi contra fluminis curſum, ubi

ſi le-

ſi leniter ceſſaverint remiges, impetus fluminis navim retro trahit. Inter has obluctationes ingentes provehere res bonas, vere heroicum eſt. Quod ſi ſecula hæc noſtra literas faſtidiunt, quid fiet aliquanto poſt, cum inſcitia barbariem & feritatem augebit. Hæc cogitare eos, qui ad gubernacula rerum ſedent, decebat, ut majori cura opem diſciplinis ferrent, ex quibus reliqua omnia ædificarentur. Ubi intereunt literæ, ibi efferari animos videmus. Dictum eſt *Ariſtotelis: Tyrannidem*, quæ etiam, proh dolor! hodie inter literatos regnat, *inimiciſſimam eſſe veritati.* Itaque orandum eſt, ut imperiis deſtinati, & naturæ bonitate excellentes doctrina excolantur, quo officium ſuum rectius intelligant & faciant. Conſtat, in familiis heroicis vim naturæ præſtantiorem eſſe, quam in reliqua multitudine. Conſtat & hoc, ordinum diſtinctionem divinitus factam eſſe, & præfeciſſe Deum præſtantiores cœteris hominibus, addidiſſe quoque motus animorum acriores, meliores & feliciores, quam reliquis, qui parent: Habent etiam hoc ſingulare magni atque præſtantes viri, ut quo ſint virtutum ornamentis decoratiores, eo magis hæc ſtudia colant, ſtudeantque quam proxime beneficentia ad Deum accedere. Inter quos cum recte V. D. numerem, volui me V. D. meaque ſtudia inſcriptione hac dedicatoria commendare, & V. D. judicio atque cenſuræ ſubjicere, non ſolum, quod ſcirem, V. D. lectione hiſtoriarum multum delectari, literas magnifacere, doctos colere, & vere eſſe publicum bonum, communicativum ſui, cujus fructus ad plurimos redundent: ſed etiam magnorum virtute Principum res geſtas, tanquam donum Dei ſingulare, agnoſcere: Et quidem exſtant vaticinia ſatis vetuſta de *Aquila Brandenburgenſi*, ipſam Regium diadema adhuc accepturam. Vidimus his annis enormes mutationes in regnis & familiis Principum. Utique enim Deus eſt, qui ſtabilit & transfert regna, & neſcio, quid non ſit metuendum. Sed tamen ille, in cujus manu ſunt omnia, conſervabit pietatis, honeſtatis atque literarum ſtudia: ſemper enim divi-

divinitus Heroës excitari, dubium non est, & tum præcipue, cum imperia fatiscunt atque in pejus ruunt, ut velut Semidei spiritu singulari armati paci atque disciplinis opem ferant. Neque sane negari potest, Principum Brandenburgensium sapienter acta, gloriose gesta, laudabiliter facta, meritaque in universum imperium, vicinaque regna, plurimum eminere, quibus propterea gratitudo debetur. V. D. rogo, ut hos meos qualescunque conatus, qui Herculeis ferme nituntur laboribus, benigno vultu, ut alias solet, accipiat, placidoque favore approbet atque respiciat, inprimis in hac extrema mundi senectute, ubi studia ejusmodi non sunt in eo pretio, in quo alias reperiuntur ea, quæ magis sunt de pane lucrando. Ego sane præter alia non pauca hos commentarios, libris XLV. collectos, utilitati publicæ propono judicandos, emendandos atque fruendos. Mea in illis pro loco studia offero animo studiosissimo, reque gratissima, singulis & universis. V. D. solicitis precibus Deo Opt. Max. commendo. Vitebergæ, anno salutis humanæ MDXCII.

III.

Senatui *Gardelegiensi* horum librorum dedicatio iisdem verbis, quibus liber septimus cum sequentibus *Nauensi*, est facta.

LIBRI DECIMI TERTII, QUARTI ET QUINTI DEDICATIONES.

I.

Dedicati sunt hi libri iisdem verbis Senatui *Parchimensi*, (in al. ed. *Sebusiensi*,) quibus præcedentes inscripti Senatui *Halberstadiensi*.

II.

Reverendis & nobilissimis Viris, genere, virtute, authoritate atque donorum excellentia præstantissimis, *Decano & collegio Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Havelbergensis*, (al. edd. *Brandenburgensis*,) Dominis & patronis suis observandissimis,

M. Nicolaus Leuthingerus S.

De-

DEmiratus sæpenumero sum hominum in hac ultima deliri mundi senecta præposterum, nescio quod institutum, quod iis rebus, quæ non perinde magno sunt usui atque emolumento reipublicæ, plurimum operæ ponunt, eas vero, quæ multo plus utilitatis habent, aut fastidiunt, aut tractant oscitanter, aut denique omnino negligunt; Constat autem inter doctos, historiam tum utilitate, tum splendore, reliquas homine ingenuo dignas commentationes multum antecedere: Quod etsi cunctis persuadere haud facile, imo impossibile sit, eo quod quisque hoc sibi maxime colendum putat, cujus fructum se inprimis percepturum credit, studium autem hoc neque sit de pane lucrando, neque de loco splendido acquirendo, trahatque secum ferme invidiam atque calumniam, metum periculaque, & demum omnium vel levissimorum censuræ se submittere, eorum judicio stare, in humillimi arbitrium venire cogatur. Ne quid de eo regeram, quas difficultates à fronte, à tergo ostendat atque inferat, quæ non raro sectatorem suum enecant, statione dejiciunt, ad ultimos casus protrudunt: attamen citra controversiam verum est, ejus utilitates, usumque fructum, cum voluptate incredibili conjunctum, non ad hanc solummodo vel illam nationem, non ad unum aut alterum seculum, sed omnes gentes, omnes nationes, omnem consequentem ætatem fœcundo fœnore recidere. *Homerus*, eruditæ antiquitatis parens, cui plurimum Græcia debebat, cujus scripta vivum sunt exemplum omnium illarum virtutum, quæ in laudatum Principem cadere possunt, *Smirnæ*, quæ sedes fuit veterum *Jonum*, neglectus omnino vitam extremam per omnia duxit: *Livius* necessariis eguit: ne quid de aliis dicam: Nostro hoc seculo *Johannes Sleidanus* optime de republica Christiana meritus est, sed qui CAROLUM V. Cæsarem experiri acrem & minitabundum censorem: ALBERTUM *Brandenburgicum* cum vitæ periculo metuere: & tandem *Surii* convitiatoris Coloniensis acerbas calumnias perferre coactus fuit, ita, ut non multo post me-

 mo-

moriæ uſum omnem amitteret. Vidimus noſtro tempore, quosdam his rebus addictos intentosque de exiſtimatione nominis fortunisque periclitari: quosdam paupertate adductos, ad alia animum adjeciſſe, locumque ſuum deſeruiſſe. Addo & hoc, quod *Baſilius* refert, cum in virum evaſiſſet, peregrinationibus ſæpe uſum, in moleſtias incidiſſe, & in aliis quidem artibus & ſcientiis multum concordiæ deprehendiſſe, in ſola vero Eccleſiæ doctrina maximum diſſidium: de hoc quoque ſtudio non inepte dici: quandoquidem enim vana ambitio, ſtultaque arrogantia hodie inter mortales late regnat, alter in alterius perniciem conſpirat, quos ſimilitudo ſtudiorum conjungere debebat, hos oppreſſos ſublatosque eſſe enititur. Et qui animis diſſentiunt, ſcriptis quoque raro concordant, unde fieri neceſſe eſt, ſuam hiſtoriæ decedere autoritatem, ut non immerito Itali, qui ferme Germanorum gloriæ inſidiantur, atque male cupiunt, hoc judicium de noſtratibus ferant, Germanos quidem multas ſcribere hiſtorias, ſed ex his omnibus nullam cum aliis conſentire. In hac ſcriptorum turba etſi mea fama in obſcuro eſt, meque libenter ex illorum numero, qui cum laude hæc ſtudia tractant, meo me modulo metiens, eximam: ſciamque, quam hæc res ſit immenſi operis atque laboris; attamen cum cernerem, illos, qui præclare poterant de patria mereri, faſtidita hæc defugere, luctatus cum horrendis monſtris, cœpi negotium tentare atque tractare difficile illud atque arduum. Quoniam vero Marchia per ſe ſatis ampla ſit, pluraque bella geſſerit, plures mutationes experta ſit, quam ulla alia Germaniæ provincia, Principes etiam ſemper habuerit, quorum virtus, ſapientia, eloquentia, meritaque non ſolum in patriam, & univerſum Germanorum imperium, ſed etiam vicina regna, apud *Ungaros*, *Polonos*, *Suecos*, *Danos*, *Gallos*, & *Italos* plurimum emicuerunt, in ampliſſimum rerum geſtarum pace atque bello exſpatiatus, ſæpe dolui, tantis factis atque virtutibus idoneos ſcriptores atque præcones defuiſſe. Saltem attingamus iſtud ſeculum, quo *Burggravii Norinbergenſes* rerum in Mar-

Marchia inde ab anno Christi nati MCCCCXV. potiti sunt. FRIDERICUS I. in *Ungaria* & *Bohemia* maximas res gessit atque gubernavit, *Marchiam* sibi atque suis virtute acquisivit, armis vindicavit à seditiosis, prædationibus infestam consilia in ordinem redegit; Crucigeris in *Borussia* suppetias tulit contra rebelles subditos, *Cassubiæ* partem & *Marchiam novam* Polonis, *Ucariam* profligatis in oppido *Angermundo* insigni strage Pomeranis eripuit, fuitque tantus pugnandi ardor, ut novem equites, genere SCHULENBURGII, cum multis aliis occubuerint: Silesios repulit: Megelburgios recuperato *Prignitio* fugavit: Ducem ipsorum in prælio cepit: Hussitas cunctis formidabiles ad oppidum *Bernoam* contrivit: In rebelles cives & subditos, memorabili clade superatos, nescias, an clementior aut severior fuerit: Aulæ curiam *Spandoam*, & inde *Coloniam* ad *Suevum* transtulit. FRIDERICUS II. vitam sine armis acerbam judicabat, quocunque aciem verteret, fudit hostes, omnibus terribilis, Pomeranis inprimis gravis, quos bello multorum annorum multum vexavit, assumpto *Ducis Pomeraniæ* titulo. *Prenslaviam* fraude interceptam à Pomeranis recuperavit, cum exercitu in intimam profectus Pomeraniam *Ucarimundum* obsedit. Quis vero nescit ALBERTUM, *Teutonicum* ACHILLEM, non tam armis, quam facundia præstantem. Ejus victorias senserunt Belgæ Rhenani, Burgundi, Norici, Suevi, Bavari, Pomerani, Poloni, Silesii, Palatinatus, Borussi. BOGUSLAUM Ducem in oppido *Pyritio* obsedit, *Banum*, *Bernsteinum*, *Lebusium*, *Thaborum*, *Satzum* cepit: Duces fidem sibi dare coëgit, arctissimo societatis & fraternitatis vinculo *Saxoniam*, *Misniam*, *Thuringiam*, *Marchiam* atque *Hassiam* conjunxit. Octies Norimbergenses profligavit. HENRICUM, *Ducem Saganensem*, vicit, & ditione exuit. WERNERUM SCHULENBURGIUM plurimum amavit, eique propter virtutem atque sapientiam territorium *Lokenitium* donavit, & aulæ suum præfectum esse voluit, ejus consilio crebro usus. Cœteri etsi toga clariores, patriam tamen consiliis

 plus

plus ferme, quam illi bello adjuverunt. JOHANNES Marchiæ Ducatum *Crosnensem*, & in confinio Poloniæ oppida quædam adjecit: ALBERTO filio præsulatum *Magdeburgensem*, *Halberstadensem* & *Moguntinensem* comparavit. Moriturus auctor fuit filiis fundandæ Academiæ. Orationem latinam in castris ad urbem *Wratislaviam*, in præsentia Regum Ungariæ, Poloniæ atque Bohemiæ, & maximorum exercituum, per tres continuas horas cum omnium astantium doctorum admiratione habuit. Cum ERNESTO Saxone 6000. Equitum conscripsit, & ad *Wratislaviam* adduxit, & inducias inter Reges fecit. JOACHIMUS I. *Borussiam* familiæ suæ & Episcopatum *Magdeburgensem* quæsivit: Marchiam inter & Pomeraniam pacem firmam stabilivit. Telonia & portoria passim nova constituit, addictus studiis Mathematices & magiæ, quam à pastore Landsbergensi didicit. Academiam *Francofordianam* regiis impensis cum ALBERTO fratre constituit: Imperii Orator: Græcæ & Latinæ linguæ peritissimus, Regis Galliæ FRANCISCI amicus intimus. JOACHIMUS II. *Bescoviensem*, *Storcoviensem*, & *Zossanum* dominatus, & quæ hodie possident Marchiones ad sylvam Hercyniam in Comitatu *Stolbergensi* & *Regensteinensi*, addidit, amissam *Franconiæ* & *Voitlandiæ* partem recuperavit, collucescentibus bellorum civilium incendiis CAROLO V. Imperatore, patriam sine armis defendit: Fœdus hæreditarium cum Saxone & Hesso temporum injuria debilitatum renovavit, arctiorique necessitudine fulciit: Evangelii doctrinam per suas ditiones, fugatis Papæcolis, invito Cæsare propagavit ad normam reipublicæ Noribergensis: Episcopatus *Brandeburgensem*, *Havelburgensem* & *Lebusianum* reformavit: Ut præsulatus *Magdeburgensis* Augustanæ confessioni conformis esset, consilio operaque sua effecit: Imperium contra Turcas bis propugnavit: Nihil in imperio sine ipso recte factum, gestumve est: A MAXIMILIANO II. Cæsare patronus & tutor filiis nominatus, ut, si salvi esse vellent, hunc unum colerent & amarent: *Spandoam*

con-

condidit atque munivit. GEORGIUS PIUS Auguſtanam confeſſionem cum ſociis in comitiis palam defendit, Ducatum *Jægerndorffianum* in Sileſia obtinuit. De JOHANNE GEORGIO res & tempora loquuntur, qui videtur omni exceptione major, quam ut intra hos cancellos præfationis includatur. Quod vero attinet ad meos conatus, ſcio, in Hiſtoriographo requiri prudentiam civilem, & dicendi facultatem: in his ſi expectationi omnium non ſatisfecero, peto mihi dari veniam: Ego, quod unum poſſum, hoc ago, non ut placeam ſingulis vel univerſis, ſed bonis, & ut veritati ſacrificem, nec à *Strabone* cum *Oneſicrate* adulationis & falſitatis inſimuler: Ardua res cumprimis eſt, id operam dare, minimeque ex iſtis, quæ per ſegnitiem comportantur. Notum eſt, quid in Boruſſia ALBERTO Marchioni, de republica literaria optime vel me tacente merito, contigerit, dum *Paulus Scalichius* Principem piiſſimum ingratiſſimus oppugnavit, quem egregie *Petrus Siccius* defendit. *Jovius*, vir alias incomparabilis, JOACHIMUM Electorem impudentiſſimis mendaciis diffamavit. De JOHANNE manifeſtum eſt, quid illi acciderit quorundam malevolentia. GEORGIUM oppugnat *Dubravius* in Hiſtoria ſua, quem colere debebat. Hos ego nequaquam imitari volui, ſed quantum in me fuit, debita reverentia eorum dicta, facta, geſtaque publice & privatim in certum ordinem referre: Et quandoquidem vaticinia exſtent de Marchionibus, deque illorum ſceptro regio, quod ipſis conſequens ætas, & mutatio fatalis per imperium promittit, meritaque eorum ſint immortalia plane per univerſum imperium, ſpero, hanc meam operam, quæ etſi apud eos, qui ſuum potius emolumentum quærunt, & alieno bono non moventur, non in eo eſt loco, in quo eſſe debebat, viris tamen ſapientibus gratam acceptamque futuram. Publicum enim negotium ago, & quod communi utilitati inſervit, pertinetque ad gloriam Romani imperii, quod multimode illi auxerunt, ornaverunt & illuſtraverunt, quibus hoc nomine debetur gratitudo. Et hodie ſi abſque illis

 eſſet,

esset, in multis esset locis desolatio & querela publica: quod ipsum agnoscere viros prudentes, non dubito, & ea de causa V. D. hanc meorum Commentariorum partem dedicatam, adeoque propriam esse volui, quod honorifice de V. D. semper sensi, & V. D. opera meos conatus multum promoveri posse, existimavi. Qua debeo submissione peto, ne tenues has Musas aspernemini, meque in eo numero esse vestra censura patiamini, qui V. D. & communem patriam amant, & incredibili honore prosequuntur, & qui anxie hoc agunt, ut publica res crescat, heroës bene meriti minime sua laude defraudentur. Polliceor omnibus bene de Germania merentibus meam gratitudinem. Vitebergæ anno MDXCIV.

LIBRI DECIMI SEXTI, SEPTIMI ET OCTAVI DEDICATIONES.

I.

Auctor inscripserat hos libros Senatui *Berlinensi & Coloniensi*, (al. edd. *Wusterhusano*, al. *Gardelegiensi*, al. *Dobeliensi*,) utens iisdem verbis, quibus librum quartum cæterosque *Torgensi* nuncupaverat.

II.

Alia exstat horum librorum editio anni MDXCVI. quæ inscriptionem præfixam habet, sequentibus verbis *Richardo à Schulenburg*, in Lökenitz, Penkun, Lüberose, Libenau, &c. (al. edd. *Senatui Prenslaviensi*) factam:

DUx FRIDERICUS, Saxoniæ Princeps illius ætatis absq; controversia sapientissimus, cujus patrocinio secundum Deum auspicia Academiæ Vitebergensis, & doctrinæ Evangelii, adeoq; ingenuarum artium, disciplinarum & scientiarum omnium splendor plurimum debet, virtutis & antiquitatis admiratione captus, inter reliqua exercitia, quæ summum Principem decent, Historiæ studium sibi maxime commendatum habuit, eo quod dignitatem ejus atq; necessitatem probe intelligeret. Noverat, illam non solum ad recte constitu-

enda

enda regna, & vitam ipſam jucunde atque laudabiliter agendam, multum præſidii afferre, ſed etiam omnium temporum annales ſuo calculo huc provocare, cum Deo Opt. Max. res humanæ inprimis curæ eſſent, imperiaque in melius provehenda clementiori fato reſervarentur, tales ipſum Heroas, quales fuerunt *Alexander Magnus*, *Maximilianus* Cæſar, *Auguſtus* Saxo, *Albertus* Boruſſus, & plures alii, ad ſuppetias politiori antiquitati, à fœda barbarie vindicandæ, ferendas excitare. Forte illa tempeſtate *Johannes Turnmajor Aventinus* Bojorum res geſtas lucubrationibus ſuis induſtrie illuſtrabat. In has cum optimus Princeps incidiſſet, maximopere illa in alienam patriam pietate delectatus eſt. Judicabat enim, Hiſtoriam eſſe eloquentiæ decus atque lumen, vivendi artem, ipſumque uſum & experientiam, magnum præcipuumque ſapientiæ abſolvendæ inſtrumentum, & doctrinæ genus potentiſſimum, quæ ſuppeditet perpetuum theſaurum exemplorum, & picturam, ac veluti theatrum totius vitæ humanæ, omnibus mundi ætatibus congruens, cujus ea vis eſt, ut varietate conſiliorum & eventuum ad omnem vitæ uſum hominem providum atque circumſpectum efficiat. Unde eam *Tullius* temporum teſtem, veritatis lucem, memoriæ vitam, vitæ magiſtram, & vetuſtatis nunciam appellat. Quam qui non curant, aut molli lenique brachio tentant, puerili præditi ſunt ingenio, quod & præterita ignorent, & præſentia non intelligant, & futura non prævideant. Id enim, ſecundum *Tullium*, eſt ſemper eſſe puerum, neſcire, quid, antequam natus ſis, acciderit. Hinc nempe Ægyptius quidam apud *Platonem* in *Timæo* ſacerdos, Græcos, aſſerit, ſemper pueros eſſe, & nunquam ſenes, quod vetuſtate canam diſciplinam, veramque veræ antiquitatis rationem cognitam perſpectamque non habeant: Econtra Hiſtoria conciliat ſenilem prudentiam junioribus, ſenibus vero auget experientiam & plurimarum rerum peritiam. Hinc recte *Ariſtoteles* monet, viro politico & rempublicam adminiſtraturo nunquam Hiſtoriam de ma-

nu

nu deponendam. Cum igitur ejus veneratione *Aventinum* Elector multum admiraretur, ad eum ſua manu benevolentiæ ergo humaniter ſcribere, & ad Academiam ſuam, non ita pridem læto augurio conditam, & cui nunquam etiam tacentibus his, qui debebant, propugnatores fideles deerunt, ut, qui eam impie impugnet, nulla parte beatus, & benedictione divina excluſus, velut parricidii reus, in omnium bonorum odium abominandum fatali funeſtaque pœna incurrat, invitare, ipſique honorem ſuum commendare non gravaretur. Quod etiam CAROLUM V. Imperatorem *Jovio* feciſſe, memorant, ſola ea ratione adducti, ut, ſicut in glorioſæ virtutis decus heroico impetu rapti accenderentur, quod tamen minus idonea literarum ope roboratum, quibuscunque etiam aliis adminiculis ſuffultum, facile intermoriturum animadvertebant, ita ad ſcriptores graves, recte & laudabiliter factorum teſtes bonis & omni poſteritati probatos, provida cura circumſpiciendum judicabant, neque hoc latebat, Deum non cuivis tanti boni gratiam facere, ut poſteritati excultæ conſecrata ſcripta metam exoptatam pertingerent, quamvis tempora illa omnium bonorum judicio feliciſſima cenſeantur, in quibus hæc ſtudia florent. Dum igitur Elector gloriæ ſtimulis punctus in aliena imagine ſe ipſum contemplatur, naturæ heroicæ bonitate excitatus, huc omnes ſuas cogitationes referebat, ne Chronicon Saxoniæ diutius deſideraretur: Itaque negotium hoc cum vicinis Principibus communicat, ſeque juvari in inſtituto petit. Ea occaſione BOGUSLAUS, Pomeraniæ Dux, *Johanni Bugenhagio*, & JOACHIMUS, Brandenburgicus Elector, *Johanni Carioni*, FRIDERICUS Saxo *Georgio Spalatino*, alii aliis hoc muneris delegarunt. Inter hos Brandenburgicis Principibus merito eſt acceptum referendum, quidquid ſibi in eo opere utilitas publica vendicat, quorum beneficio *Carion* uſus eſt, quamvis non deſint, qui ipſum genium quendam famulantem ſeu familiarem habuiſſe commemorant, quod olim de *Socrate*, & *Erico*, Norwegiæ Rege, & no-

noſtro tempore de *Cornelio Agrippa*, *Johanne Fauſto*, *Leonhardo Turnheuſero*, & aliis hominum opinio aſſeruit, de quibus ego nihil temere affirmare auſim. Eſt quidem cujusvis, ex aliis auctoribus hæc atque illa confarcinare, neque illud eſt magni laboris, aliena pro ſuis edere, & alienam magno partam labore gloriam in verbis transmovere, ſed hiſtoriæ elegantis, puræ, rectæ atque veræ dignitas longe eſt auguſtior, difficultas vero major, quam ut à quovis tractetur. Neque ſane ex cerebro, vel ſpeculatione otioſa, vel denique judicio ſuo pendet, ſed nititur veritatis atque fidei ope, quæ in multo labore, inquiſitione, uſu practico, & experientia conſiſtit. Hinc recte *Caſpar Peucerus*, cum juberetur ab AUGUSTO, Electore Sax. in carcere *Philippi Melanchtonis* Chronicon continuare, reſpondit: Numquid putat Elector, me eſſe Prophetam, qui inſpiratione divina ex cœlo revelationes rerum geſtarum expectet? quod ſciret, præter egregiam voluntatem multa alia adjumenta ad hoc ſtudium afferenda. Neptunum equeſtrem antiquitas *Conſum* dixit, quaſi conſiliorum ſecretorumque Deum, ſed in humanam fragilitatem ea felicitas non cadit. Cum igitur patriæ hiſtoriam deſcribere aggreſſus ſum, eamque videam attingere res geſtas totius Germaniæ & vicinorum regnorum, non paſſus ſum deſiderari operam meam in iis, quæ diligens inquiſitio requirit, & fateor libenter, me vel ex hac una occaſione vehementer in Germaniæ laudem excitari, neque deſiſtam, priusquam illud, quod ſemel aggreſſus ſum, omnino perficiam, quamvis rem eſſe ſciam laboris, periculi, invidiæ & paupertatis plenam. Sed de his judicium melius poſteritatis erit. Germani olim ita contempti fuerunt, ut *Quinctilius Varus* illos ita deſcribere non dubitaverit, quod præter vocem & umbram hominis nihil haberent. Vidimus *Romæ* in *Vaticano* ſepulcrum OTTONIS II. Imperatoris, quem Itali *Sanguinarium* appellant, ſuperioribus ſeculis porphyreticum, hodie ante templi fores humi poſitum, apertum, & mendicorum cloacam. Tanti ſcilicet

illi faciunt majeſtatem Germanorum. Debetur igitur gratia illis, qui Hiſtorias ex profeſſo tractant, quandoquidem excellentium Principum virtutes ita ob oculos ponunt, ut ſcire poſſimus, quibus artibus & adminiculis domi militiæve ſteterint. Quod ad meos conatus attinet, etſi omnium optime mihi ingenii, virium, doctrinæ & fortunæ conſcius ſum, tacito tamen pede intra modeſtiæ limites me continens, præeuntes me latiſſimo ſpatio aſſequi ſtudui, & ſtudebo in poſterum, ut Germania intelligat, me ejus fuiſſe ſtudioſiſſimum. In quem finem magnas peregrinationes atque profectiones inſtitui, nec defugi cenſuras graviſſimorum virorum, quorum excellentiam magnifacio. Nequaquam autem imitor *Antonium Campanum*, qui ſcripſit quidem digna poſteritate, ſed hoc nomine in reprehenſionem incurrit, quod adulatione poëtica fidem hiſtoricam corruperit. V. C. oro atque obſecro, ut, cum noſtrum ſeculum faſtidire literas bonas, & magis amare ſophiſticam, quam veritatem atque elegantiam incipiat, has noſtras Muſas ſolita bonitate atque benignitate reſpiciat. Non ea contigit mihi felicitas, quæ olim *Virgilio*, qui figuli filius liberalitate patronorum ducenta quinquaginta aureorum millia, teſte *Servio*, lucratus fuit, cum hæc noſtra ſtudia vix ſint de pane merendo. Quod ſi ſecula noſtra literas faſtidiunt, quid fiet aliquanto poſt, cum inſcitia barbariem & feritatem augebit. Hoc cogitare eos, qui ad gubernacula ſedent, decet oportetque, ut majore cura opem diſciplinis ferant. Itaque orandum eſt, ut imperiis deſtinati doctrina excolantur, quo officium ſuum rectius intelligant & faciant, ut, quo ſint virtutum ornamentis decoratiores, eo magis ſtudeant quam proxime ad Deum accedere beneficentia. V. C. ex animo commendo Deo Opt. Max. Vitebergæ, anno Salvatoris noſtri M D XCVI.

V. C.

Servus

M. Nicolaus Leuthingerus.

LIBRI

LIBRI UNDEVICESIMI DEDICATIONES.

I.

Amplissimis & prudentissimis Viris, *Dnn. Consulibus & Senatoribus civitatum Marchiæ Brandenburgensis*, genere, dignitate, sapientia & virtute præstantibus, Patronis suis magnis, Salutem

M. Nicolaus Leuthingerus.

NOn dubium est, à multis hoc meum institutum improbari, quod in absolvenda evulgandaque Historia Brandenburgensi, contra omnium opinionem, tantam moram interponam, & crasso quasi veterno atque lethargo subinde indormiens, vix tandem, nescio quo genio excitatus, oculos aliquantisper animumque ad intermissa studia vix serio attollam, advertamque, quid sit agendum, hinc quod prius occurrat, ut tamen aliquid, in morem ignavorum, fecisse videar, obiter atque pedetentim, non collimando, sed vellicando calamo concipiam, & exspectationem plurimorum alam. Sed his neque dubiarum rerum mearum, neque rationum conditio satis perspecta est, qui si me & labores meos rectius æquiore censura nossent, vel ipsi hic essent, aliter sentirent. Quantæ enim me difficultates confertim circumsistant, qualia impedimenta graviter remorentur, quam adversa atque iniqua omnino perferre cogar, verbis exprimi non potest, mens solummodo varia curarum mole constricta ingemiscit: ne quid de instituto meo honesto regeram, quibus judiciis & quo livore excipiatur, adeo ut summum mihi, unde præsidium petieram, extra noxam periculum existat. Scilicet hoc semper peculiare habet invidia, ut aliorum labores improbe carpat, & præmia bonorum obtrectando corrumpat: invidis vero dulcis obsonii loco sunt ejusmodi fabulæ, quibus meliorum existimationi injuste detrahitur. Scripseram in VI. parte Commentariorum, famam circumferri in Marchia, præfectum quendam, prædationibus, ut ajunt, ditatum in bellis, *Spandoviæ* capitis pœnam luisse. Hinc ex rabulis foren-

Autor operis accusatur injuste.

Accusationi respondetur.

Invidiæ proprium.

Invidorum natura.

I. caput controversiæ.

renſibus & genere hominum Phariſaico πειθανολογικῷ, quod injuſtitia & adulatio ſaginat, boni me hercule Themidos & pietates præcones, qui duplum petere ſolent, quo ſimplum auferant, ut ex meo crimine majorem gratiam & ampliorem creſcendi materiam quærant, me apud nobiliſſimam familiam *Robeliorum*, improbo ore, & fronte perfricta, traducere non verentur, quod hac deſcriptione generoſum virum *Joachimum Robelium* deſignem. Atrocem profecto & crudelem injuriam, qua non tantum ſcriptis meis vim nequam infert, & ego in diſcrimen ſummum trahor, ſed & nobiliſſimus Heros in ora omnium abiens, de honeſta ſecundæ famæ memoria periclitatur. Inde univerſa familia concitata ſuo jure in me innocentem, tuendæ exiſtimationis cauſa, impetum, ferrumque ſtringit, & paſſim apud ordinem equeſtrem & civitates reum, neſcio cujus culpæ, ſtatuit. Sic ſcilicet nobiscum agitur, qui pro patriæ gloria nullos labores exantlandos defugimus, ad bene meritorum procerum & virorum laudes amplificandas omnes noſtras vires conferimus, & tandem, ingenti noſtro cum periculo atque jactura, pro bono & utili publico adaugendo depugnamus. Sed ad ſuſtinendas injurias atque calumnias perpetuas natus, eo minus moveor, quod conſcientia adſtipulante, Deum mihi teſtem, defenſorem & ultorem, qui hactenus non ſine clade atque ſtrage meorum perſecutorum mei curam geſſit, adeſſe ſciam, ad quem provoco, lividosque & ego cum *Auguſtino* hoc anno pauciores, quam fuerint anno priori, comperiam. Quomodo vero *Robelii*, cum linguæ latinæ ſint ignari, verba mea, & multo magis, quomodo mentem meam intelligant? Quippe ſi conjectura & inſimulatione quavis cuique uti indifferenter liceat, quis modo tutus erit? Ab auctore igitur hujus diffamationis, quem mihi ſiſti peto, cui hæc fabula longe notior atque mihi eſſe videtur, & qui mihi eam nequiter affingit, quærendum erat, quibus ille probationibus niteretur, & unde illi tanta argutæ hujus interpretationis licentia? Equidem ex hoc ar-

Diffamatio Diabolica.

Injuria ſumma.

Patientia omnia vincit.

Diffamator quid de Joachimo Robelio ſentiat.

argumento manifeſtum fit, quem ipſe *Robelium* eſſe judicet. Lepidum profecto hominem, facetumque ſcurram, qui ex ſua conſcientia, ſuoque ingenio aliorum labores exagitandos, eorumque pectora καρδιογνώστης perſcrutanda ſibi licenter ſumit. Etſi autem mei Commentarii hujus ſuſurronis divinationibus & commentationibus nequaquam indigeant; attamen cum interpretem rerum explicatarum cognitionem accuratam & evidentiam planam indubitato habere neceſſe ſit, proferat in medium, an de Magnifico *Robelio* ullibi nominatim tale quippiam à me ſcriptum exſtet, quod ipſius famam lædat: Quod ſi non adducat, ut ſane non poteſt, ab ipſo nequiter in meum detrimentum atque diſcrimen confictum eſſe clare dico, & quod ipſe in mea perſona æquum eſſe credidit, ut id in ipſius quoque perſona valeat, proteſtor. Sic enim exiſtimo, optimum Heroëm extreme eſſe ab hoc diffamatore læſum & deformatum, ſiquidem gravius offenduntur animi auditorum ab his, qui aliena flagitia aperte profitentur, quam ab illis, qui perpetrarunt. Ut taceam, à trecentis aliis diligenter hoc ipſum lectum, quorum nullus unquam iſtud de *Joachimo Robelio* acceperit. Eſto, quod ſiniſtre & perperam ſit intellectum, attamen auctori nihil temere derogandum erat, nam optimus interpres verborum quisque ſuorum eſt. Famam eſſe de quodam præfecto, non rem ita geſtam eſſe, narro: fabulæ igitur, quam hiſtoriæ propior videtur, idque me verum dicere, conſenſum totius Marchiæ ſecutus, teſtabuntur alii, etiam me tacente. Quis vero ille, cujus generis atque nominis fuerit, ego non dixerim, eo quod ignorem, ideoque nomen quoque ejus & genus prudenter ſepelio, ne pro vero falſum aſſumam, & quod dubitem, an ita factum ſit, quandoquidem famæ non ſemper ſit fides habenda. Egone iſtud ſuſpicarer, immo ſcriberem de illo viro, cujus ego ſemper honorificam in tertia, quarta, quinta, & hac ſeptima etiam parte mentionem feci? Et utinam illius virtutes & res in atque pro patria geſtæ mihi perſpectiores eſſent, utpote cui plu-

Diffamator ex ſuo ingenio & ſcientia alios metitur.

Diffamator diffamati locum & pœnam ſuſtineat.

Rationes autoris.

Quid autor ſentiat de hoc Joach. Robelio.

plurimum me debere libenter profiteor, qui mihi ſponſor & teſtis in Baptiſmo fuerit, reverendum virum *Nicolaum Leuthingerum*, patrem meum omni pietatis cultu proſequendum, amanter perpetuo favore complexus ſit, me à prima pueritia donis cumulate affecerit, cujus patrocinio acceptum referam, quod me ludus illuſtris *Miſenæ* quadriennium aluerit, ampliore beneficio atque ſtipendio oblato, ſi uti voluiſſem, qui ſua opera atque interceſſione perfecerit apud *Georgium Cracovium*, & *Matthiam Lauderwaldium*, conſiliarios præcipuos, ut de commendatione illuſtriſſimi Principis, Domini JOHANNIS GEORGII, conſenſum potentiſſimi Electoris Saxoniæ, Domini AUGUSTI, S. memoriæ, contra leges & morem harum regionum atque ſcholæ, non absque *Misnenſium*, ipſiusque *Georgii Fabricii* moleſtia, & gratiam tot egregiorum juvenum colligerem, ut non immerito accinam loco:

Beneficia Joachimi Robelii.

Salve, terra meis indulgentiſſima Muſis,
Quam ſtatui feſſæ portum requiemque ſenectæ.

Ex quo ampliſſimum hunc Virum ſemper debita & æterna fide, ut clientem decet, religioſe colui. Sed quid calumnia poſſit, non uno meo malo expertus ſum, neque in hac ſchola rudis tyro ſum. Quales vero mei ſint adverſarii, vel ex hoc facto inter ſexcentia alia patet, quos tamen convitiis ulciſci integrum non eſt, virtute, quæ mihi ſola loquendi materia eſt, illis longe præſtantior vincam; utinam *Robelii* iſtos æque ac ego noſſent. Certe fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps. Fruſtra autem ſpicula ſua in me torquet male feriatus Bacchus, qui male ſibi conſcius, cum aliter nocere non queat, lingua prædatur. Ego quid de morte immatura *Joachimi Robelii* ſciam, hoc libro ſuo loco teſtatum feci, ne quis de me aliter judicet, quam par eſt. Eadem plane ratione mihi ſuccenſent immerito *Crummenſebenſes*, quod ex documentis illorum commentarii mei, *vetus Landesbergum* ipſis à JUSTO *Moravo* exiguo admodum ære oppignoratum, doceant, cujus generis

Diffamatores fruſtra ſudant.

Mors Joachimi Robelii.

II. caput controverſiæ.

Vetus Landsbergum oppi-

neris multa in opere hiſtorico meo bona fide occurrunt. Si propter hanc cauſam, quamvis etiam alia, ut ſolet mundus, prætendantur, mihi periculum creetur, patienter feram, propter juſtitiam & veritatem plurima in hunc usque diem pertuli. Ego *Crummenſehenſes* omnes debita pietate colo, *Johannem* vero, *Ottonem* & *Chriſtophorum* etiam mihi meisque multis & magnis beneficiis ſæpenumero oportunos neceſſaria ope fuiſſe, grato animo agnoſco atque prædico, cujus rei non levia exſtant indicia *in quinque libris meorum Carminum*, ut benevolentia & patrocinio potius, quam crudeli perſecutione dignus eſſem. Reliqua commenta, exemplum ſecutus & mandatum Chriſti, parvi facio: generoſus caballus ad latratus canum non facile expavet aut turbatur, ſortemque illam mihi cum piis communem eſſe non neſcio. Calumnia perdidit innumeros, mihi inprimis peſtilens. Etſi autem ignotum eſſe mihi non poſſit, quam fortuna multoties extrema ſteterit hiſtoricæ veritatis ſtudioſi, attamen ſi quis de mea integritate dubitet, is ſummam mihi injuriam facit. Quod excluſa feſtinatione incepto ſuum tempus permittam, ejus rei mihi auctores ſunt viri graves & magnifici, quorum conſilio adhuc acquieſcendum puto, neque enim ex tabulis aut libris temere mea congero, quamvis ſatis conſtet, parum de his regionibus eſſe ſcriptum, neque tamen ſingula perſequi, ſed ſummas rerum, & ex his illuſtriſſima quæque libare animus eſt, *Onoſicritum* potius & *Ariſtobulum*, quam *Stephanum Græcum*, qui Francos Italiæ populos, & Viennam oppidum Galileæ pro Galatiæ ſcripſit, imitaturus, quo nomine profectiones ſuſcepi difficiles atque longinquas. Quod ſi inter ſacra & ſaxum, inter incudem & malleum conſtitutus varia judicia ſuſtineam, & hæc quoque ſtudia omnino delicatis ſordeant, cum tamen omnium facultatum chorus obmuteſceret, niſi hiſtoria fuiſſet, mirum non eſt, cum hic non *Julium Cæſarem*, terrarum orbis Imperatorem, ſed in afflicta conditione *Lucani* ſcriptorem reperias. Sed quæ nocent, docent, neque quidquam tantopere illuſtrat, quam res adverſæ: incendia quo-

gnoratum Crummenſehenſibus.

Libri Carminum Leuthingeri.

Fortuna Hiſtoriographorum.

Difficultas virtutem moratur.

quoque videmus terras uberiores facere. Et quia non raro aſpergo religionis materias, non difficile erit, inde conjicere, quod fidei Chriſtianæ dogma amplectar, inprimis cum multis ſim ſuſpectus plane immerenter, ſicut & *M. Balthaſar Leuthingerus* frater miſere eo nomine cum jactura valetudinis excluſus, omni promotionis ſpe exagitatur; Ego *Martini Lutheri* γνησίαν, ſemel approbatam, conſervabo ſarctam tectamque usque ad extremum agonem, cujus una pagella plus mihi in infinita afflictione præſtat, quam ſexcentæ aliorum. In hac ſententia veneror φιλοτιμέμενος reverendiſſimum *Polycarpum Leuſerum*, incomparabilem *Ægidium Hunnium*, excellentiſſimum *Georgium Mylium*, acutiſſimum *Chriſtophorum Pelargum*, doctiſſimum *Andream Wentzelium*, piiſſimum *Davidem Colerum*, & alios Academiæ *Francofordianæ* & *Witebergenſis*, in qua in annum nonum & viceſimum varia fortuna hæreo, Doctores ſinceros atque probatos. Doctrinam mihi nunquam arrogavi, utpote quæ in me nulla eſt, & in hac ingenii tenuitate intra modeſtiæ limites me continens, melioribus libenter dignam gloriæ palmam concedo, contentus modico meoque. Quod ſi donum mihi impudentiæ propitia natura dediſſet, forſan benignior ſors ærumnis meis affulſiſſet. Fato ad peregrinationes pertractus, *Italiæ*, *Belgici*, *Angliæ*, *Daniæ*, *Sueciæ*, *Poloniæ* partem potiſſimam, & quidquid ad mare Balthicum jacet, cum univerſa Germania, ut homo pauper quivit, perluſtravi, quod viſu & cognitu jucundum & utile foret, exquiſivi, ſimulque me hac occaſione ad ultimam profectionem ex hac ærumnoſa vita ad cœleſtem patriam præparavi: Idque feci eo ſtudioſius, cum longe præſtantiores quotidie me antecedere viderem: οἰκόσιτον enim cum me Deus hic eſſe noluerit, πολίτευμα meum in cœlis expecto. Interim inſtitutum meum hiſtoricum diligenter urgeo, eoque intentatas afflictiones fallo & averto; intermiſſa enim virtus vel languefacta lectione hiſtoriarum, quaſi claſſico, mirifice excitatur, ut non vileſcat amplius, ſed dulceſcat, non faſtidium, ſed ſtudium pariat, adeo-

M. Balthaſar Leuthingerus.

Martini Lutheri ſpiritus.

Lumina noſtri temporis.

Peregrinationes autoris.

Hiſtoriæ excellentia.

adeoque præclaræ rei imitatio nos ad unicum ejus desiderium atque amorem inflammet. Et profecto si quis hoc studium leviter æstimet, non solum puerili præditus ingenio, sed etiam ab omni humanitatis jure alienus est. Quanto rectius apud *Dionem* Romani, pacis tempore, ex toto orbe rerum gestarum memoriam & historias collectas suis adjecerunt monumentis, ut qui judicarent, historiam esse pædagogum & vitæ magistram, quæ mentem vitamque totam erudiret, & ad bene agendum componeret, ideoque rempublicam administranti nunquam de manu deponendam, sive esset Princeps, sive medii aut infimi subsellii. Ego meo loco spartam commissam ornare non desinam, & quæ ad gloriam Dei, Germaniæ & bene meritorum laudem pertinere videbuntur, in iis me talem præstabo, ut, quamvis ex scriptoribus vix quisquam inveniatur, qui Criticorum, cuncta paralogisantium, lituras effugerit, & obelos posteritatis declinarit, de me tamen nemo jure conqueri possit. Hæc mea studia inter ingentes difficultates provehere, vere heroicum est, competitque maxime illis, qui, cum boni sint, naturaliter propter virtutem ingenitam, non propter aliam causam, liberalitatis officia exercent, cum econtra mali, dum naturaliter invidi atque avari sint, ideoque minus ad imperandum aliis bene nati, ubique male audiunt, gratia apud Deum & superiores auctoritate, apud subditos, dignitate tandem apud omnes ἐν ἀποξίᾳ καὶ κακοφημίᾳ excidunt. V. D. me, qua debeo subjectione, commendo. Vitebergæ anno MDXCIX.

II.

Amplissimis Viris, sapientia, virtute, ordine atque dignitate ornatissimis, *Dominis Consulibus atque Senatoribus civitatis Quedelburgensis*, patronis colendiss. S.

M. Nicolaus Leuthingerus.

CUm multa ferme & magna semper honestis actionibus, tam à potentia diabolica, quam à pravitate humana, impedimenta

 odi-

odiose inferantur, ego quoque profecto non in postremis fui inter eos, qui infinitis undique difficultatibus circumsepti, ab insultante injuria immaniter subacti, à mordaci tandem calumnia, passim insonante, rabiose appetiti, laudabili meo instituto vim atque fraudem, plus quam inhumanam, à Satana ejusque complicibus intentatam fuisse, non sine gravi dolore, proh dolor! nimis expertus sum, etsi Rupertus non sim. Postquam enim viris bonis à longe ostendere cœpissem, qua ratione immensæ illa molis historia Brandenburgensis condi posset, & ad arduum hoc negotium conficiendum non subitariis aut succisivis subsidiis, sed firmo præsidio atque auxilio opus esset, ea me tenebat exspectatio, proceres, penes quos potestatis facultatisque arbitrium esset, benignam suam voluntatem ab industria mea, haudquaquam otiosa, non segregaturos. Et sane, ut fatear, suppetias tulerunt non contemnendas Serenissimi aliquot Principes, sed & civitates quædam omnino honestæ, non tam viribus, quam virtute pollentes, *Sareptam* potius, quam *Tyrum* imitantes, cum Mæcenatibus paucis bonum magis publicum, quam privatum emolumentum captantibus, quorum memoria æterna, beneficiumque immortale est. Sed his vix adduci potui, ut propositum, quod inauspicato ceperam, constanter urgerem, eo, quod hominum malorum iniquitas omnem bonorum benignitatem maligne interverteret. Ne quid regeram de perpetuis rapinis, quæ me domi forisque in diversis Europæ partibus sine modo exagitaverunt, ita, ut exspirantem clementioris sortis serenitatem, aversa melioris fortunæ facie, immaniter interciperent. Nusquam tamen fides minus tuta fuit, quam *Vitebergæ*, in qua 36. annos cupide magis, quam fructuose moratus, dum vitæ innocentiam ita tuerer, ut veræ laudis portum mihi virtute patefaciens, pes meus indirecto staret, neque cum impiis introirem, cum vis nihil posset, fraude tamen circumrotatus, frequenti repetita clade supellex mea literaria, tam ad dignitatem atque necessitatem, quam ad præsens institutum ab-

absolvendum comparata, dum ab hoc, nunc ab illo malitiose tentaretur, ad hos demum casus misere recidit, ut per absentiam meam ab homine malo, & quidem impune, deriperetur: Adeone etiam istic, ubi sedes est pietatis atque Themidos, justitiæ frena laxantur? & fenestra infamis effreni cupiditati atque libidini, connivendo ad tales ausus, aperitur, ut mea universa sine fronte & corde, sine metu atque respectu Dei & magistratus, contra fas atque jus naturæ, divinum atque civile, contra consuetudinem gentium, populariter approbatam, nervis justi & æqui expugnatis, improbitas ad limina sua, arbitriumque ipsum devocare non dubitaret? Deum immortalem, tantamne esse in civitate ingenua licentiam? in conversatione nobilissima malitiam? in ipso palladio sacro impunitatem? ut quod injuste libeat, mox raptori liceat, & quod impudenti placeat, subito perditus occupet, & non sit, qui jure vetet, qui lege agat, aut pro merito sontem plectat? Quis hic negabit, difficultates summas studiis nostris objectas fuisse, dum tot annalium documenta, in variis regnis laboriose collecta, tam arduam industrio labore comportatam vetustissimam rerum materiam, tot dierum atque noctium rationes, judicio examinatas, una horula per rapinam, nullius favoris, sed præsentissimi odii stipendiis efficaciter prosequendam, nequiter subverteret, & ego hinc nullibi locum vel civitatem manentem inveniens, de gente in gentem, de regno ad populum alterum, esuriens atque sitiens, tum anima ipsa in me deficeret, migrare, agrestium ructus decoquere, sordidorum caulis assuesci, Cyclopum injurias experiri, inter infinitas molestias cogerer. Ergone propter unius pravitatem tot Principum res gloriose gestæ sepeliantur? tot bene meritorum virtutes in cineres abeant? tot egregia facta sileant & intermoriantur? absit hoc, quin potius cessante humano adminiculo lapides clamabunt, & in bonorum gloriam studiose evigilabunt, quo semper honos maneat, laudes, nomenque bonorum. Scilicet ea est humanæ sortis conditio, ut recte dicta at-

que facta offensionem atque invidiam colligant, & male parta atque peracta gratiam & gloriam, sed non nisi apud sui consimiles, mereantur. Dispar enim est judicium censuraque Dei, qui non privat bonis eum, qui ambulat in innocentia, dans benedictionem legislator, ut eant de virtute in virtutem, & videatur Deus Deorum in Sion. Cladem etiam attulit Musis meis gravem profectio illa periculosa in *Belgium* ad inspiciendum statum *Juliacensis* ditionis, in qua contentio in Principes effusa, errare illos fecit in invia & non in via, ita, ut in portum voluntatis suæ deduci nequeant, turbati atque moti, sicut ebrius, dum omnis sapientia eorum devoratur, & amicitia intima dissolvitur etiam inter amicissimos. Neque sane leviter exercuit me iter *Alsatum*, dum accingerer ad Serenissimi Principis *Joachimi Ernesti*, Marchionis Brandenburgici, & supremi confœderatorum Principum, Comitum, & civitatum imperialium, aliorumque ordinum Protestantium religionis in *Suevia*, *Franconia*, & *Bavaria*, belli Ducis atque Præfecti, res gestas persequendas: Quæ enim in his turbis non devoravi, passus omnia, quæ in miserrimam etiam conditionem cadere possunt, carceres puta, deprædationes, vulnera, inquisitiones, expilationes, aliaque ploratu magis, quam commemoratu digna. *Und ist dis gantze Jahr ein recht* Duellum, *als in welchem dieses Jahres Zahl begriffen, und alle Einigkeit, friedliches und freundliches Wesen ein Ende hat, das auch mir, als einem armen Gesellen, hart zugesetzt, dann ich im Stifft Eichstädt von den papistischen Pfaffen überfallen, welche auch in öffentlichen Bierhäusern der weltlichen Obrigkeit Amt vermessentlich gebrauchet, den Rath angestärcket mich gefänglichen anzunehmen, darzu der gemeine Pöbel wohl zugelauret, aber es hat an der geringsten Ursach gemangelt, derenthalben man mich mit vielem Gespötte passiren hat lassen müssen: In Bayren aber an der Donau hat man mich mit Gewalt angehalten, gerechtfertiget, und durchaus besucht, und wie ich meinen Feinden unter Augen gesagt, ich wäre ein Lutherischer Magi-*

ster,

ſter, würde mich keine Gefahr von erkannter Religion abwenden laſſen, hätte ſonſt mit den Papiſten und ihren Kriegen weniger als nichts zu thun, könte auch nicht entgelten, was der Krieges-und Kreyſs-Oberſter, Marggraff Joachim Ernſt &c. gethan, welcher dem Maximiliano Bavaro etliche viel 1000. Gülden, desgleichen über 20. Wagen Rüſtung wohl beladen abgenommen hätte, derenthalben man den Pfarrer, welcher ein Jeſuiter war, und mir ohne Zweiffel das letzte hätte machen würden, erfordert, welcher, als er ſein Müthlein an mir unſchuldig erkühlen wollen, in continente *von Gott geſtraffet, daſs er mit einem Geſchrey, wie ein Baum zurücke niedergeſchlagen, und ſtracks todt blieben, und iſt alſo durch ſolchen Tumult und Zulauff nur der Bär, welcher mich zuriſſen ſolte, von der Haut geſtochen. Bin ſonſten in Bayren offtmals in Gefahr meines Lebens geweſen, ſchwerlich verwundet und beraubet worden, aber Gott hat auch über mich das* Sinete hunc abire, nolite tangere Chriſtum meum, & in Propheta meo nolite malignari, *geſprochen. Bey Straſsburg bin ich bey nahe gar erwürget, und durch böſe Buben gar übel zugerichtet worden, deſſen ich etliche Wochen übel empfunden,* & clamavi ad Dominum, cum tribularer, & de neceſſitatibus meis liberavit me, miſit verbum ſuum, & ſanavit me, & ab interitionibus meis eripuit me: eduxit ſedentem in tenebris & umbra, vinctum in mendicitate & ferro è tenebris & umbra mortis, & vincula mea dirupit. *Zu Bamberg habe ich etliche Tage* in cuſtodia publica *ſeyn, und mich umb 15. Gülden, nirgends umb, rantzioniren müſſen laſſen, und dieweil ich Lutheriſch geweſen, nirgends Schutz und Hülff gefunden. Wie dann die Lutheriſchen ſelbſten meiner, des Jülichſchen Weſens halber in Thüringen und Meiſſen, nicht geſchonet, zu Lauſick in einem weiten Felde übermannet, mit groſſer Gewalt zurücke getrieben, bis auf die Haut beſuchet, tieff gefangen geſetzet, bey Nacht in das Amt Colditz mit Büchſen und Spieſſen geführet, aber vom Schöſſer und Regierung daſelbſten wohl gehalten und ehrlich dimittiret worden. Und ha-*

haben sonsten die geschwinde Befehle der Herrschafften, die einreissende Sterbensläuffte, die vielen Brände und incendia, quæ instantem mundi conflagrationem, ignem illum gehennalem & æternum, dissensiones inter Principes & populos, desolationes vastas, bella, ipsam tandem ardentem præsentemque Dei iram atque indignationem prænunciant, quæ sane omnia mundus non agnoscit, populus nihil curat, homini caduco imputans, cujus gratia & venia ab auctore rerum omnium petenda erat, *viel engelten müssen.* Quibus cunctis valetudinem meam satis firmam, ut qui intra annum 64. morbum in omni vita mea non senserim, memoriæque ipsius & ingenii vim, cum sensuum vigore, sua decrementa capere necesse fuit. Taceo, quod benignitas procul hinc repellatur, inhumanitas vero cum fratribus ignorantiæ, in possessionem ejus ubivis locorum immissa, insultando triumphet, in gratia & honore sit Mars, in exiguo momento reponantur Musæ cum animo sua sorte contento: literæ literatique passim cum veri rectique studio vituperium colligant, injuria, doloso fuco condulcata, favorem mereatur, habenti detur, & non habenti auferatur etiam id, quod non habet: *Das* sive raptum, sive captum, modo aptum, *jedermann beliebet, die Regiment zum theil schwer, zum theil böse seynd*, eo quod transeant homines in affectum cordis sui, & opertos iniquitate superbia teneat, ex quibus, velut ex adipe, impietas prodeat, cogitantes & proloquentes nequitiam in excelsum, & in cœlum usque os suum ponentes, perque omnem terram, linguam suam exerentes, occinant, quæ est scientia in excelso, quomodo scit altissimus? Hinc nempe fit, ut in periodis regnorum convertantur populi, & dies pleni inveniantur in Principibus, eo quod abundantes in seculo sunt peccatores. Quomodo vero facti sunt in desolationem, cur tam cito defecerunt? velut somnium surgentium in civitate Dei imago eorum ad nihilum redacta est, certe propter injustitiam suam humiliati sunt, & perierunt. In quibus omnibus adfuit mihi à

dex-

dextris virtutum Dominus, ita, ut non ſine cauſa juſtificaverim cor meum, & non fruſtra in innocentia manus meas laverim, ipſe in poſterum quoque adjuvabit me, & liberabit me, & eruet me de peccatoribus, qui expugnaverunt me gratis, inde à juventute mea ſupra dorſum meum fabricantes, & adhabitantes Cedar usque incolatum meum prolongantes, ſalvumque faciet me, quoniam ſalus mea à Domino, qui protector ſuorum eſt in omni tempore tribulationis; & quia mihi pertranſeundum eſt de gente in gentem, non relinquet hominem nocere mihi, oppilabitque omnis iniquitas, ſibi ipſi mentiens, os ſuum, neque judicabit me, cum dijudicabo à malevolis, qui cadant in reticula, ſingulariter autem ſim ego, donec tranſeam. Os meum meditetur juſtitiam, & lingua mea loquatur judicium, lex Dei mei in ore meo ſemper, & non ſupplantabuntur greſſus mei, qui ab ipſo dirigantur. Et quia Dominatio veſtra ex illorum ordine & numero eſt, quibus ſtudium virtutis apprime curæ ſit, & qui de literis & republica Chriſtiana omni contentione atque ratione bene mereri annitantur, & hinc ſtudium quoque hiſtoricum, ut quod veluti Archivum, Palladiumque ſacroſanctum, conſilia, rationes, resque ipſas, in quibus ſalus publica poſita eſt, ſibi concreditas, tenet, & aliis, ſolicite inquirentibus, velut promptuarium, fideliter exhibet, ſummopere cordi ſibi eſſe patiantur. Ego admirator hujus, in ærumnoſo hoc ſeculo, præſtantiæ, V. D. patrocinium mihi ſuppliciter in auxilium advocare debui, & volui, non ſolum, quia illud mihi neceſſarium ducerem, ſed etiam, quia ad meum propoſitum plurimum adjuvandum & ornandum permultum emolumenti afferre, & per dignitatem excellentiamque poſſe, & per ſapientiam virtutemque ſingularem velle, crederem. Quod, ut Deus faxit, oro. Hæc certe V. D. gloria hactenus fuit, nec ſane altior ire poteſt. Omnia ſane cum tempore tranſeunt, ſola bene meritorum memoria ſempiterna eſt, vindicatque etiam minus probos, ſi improbi eſſe deſierint, & beneficentiæ ſtudium

ſibi

ſibi commendatum habuerint, ab interitu. Quod itaque meæ partis meique officii eſt, V. D. humiliter obſecro, ut eam benevolentiam, quam ſemper ſumma cum laude bonis ſtudiis præſtitit, etiam meis ſarctam tectamque conſervare, mihique in maxima hac difficultate temporum, hominumque injuria, ſuo favore adeſſe velit, ut V. D. ope refocillatus, aliquantum ex tot exantlatis laboribus atque doloribus, quos Deus videt atque conſiderat, reſpirarem, quam & honeſtiſſimum meum inſtitutum eo felicius & plenioribus velis in exoptatum portum provehatur, & erunt, qui hoc beneficium, non mihi ſolùm, ſed & reipublicæ impertitum, gratulantes excipient, & voce Stentorea ad cœlum usque extollent. Ego profecto nihil reliqui faciam in omnibus iis officiis perobeundis, quibus V. D. dignitatem, gloriam & ſalutem mirifice amplificari, & maximum in modum augeri judicavero, ſimulque cum omnibus meis paratiſſimis ſtudiis ſacrificium aſſiduum ardentium precum Deo Optimo Maximo devote ſemper offeram, ut ille velit jubeatque V. D. in cunctis bonis animi, corporis atque fortunarum, quam feliciſſimam, & in æternis beatiſſimam ſoſpitari, & in illa beatitate usque ad extremum vitæ halitum ſine querela conſervari. Annuit piis precibus & honeſtis actionibus propitii Dei favor, qui V. D. mentem ad Eccleſiæ ſuæ emolumentum in his imperiorum ruinis paterne dirigat. Inter habitantes Cedar anno Chriſti MDCXI.

III.

Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Dn. BARNIMO,

Pomeraniæ, Stetini, Caſſuborum, &c. Duci, Principi Rugiorum, &c. Patri patriæ, Domino clementiſſimo, S.

M. Nicolaus Leuthingerus.

ETſi *Germanis* fere iniquiores ſint auctores, ita, ut Germaniam ferarum, non hominum, domicilium deſcribant, attamen virtutem eorum admirari nolentes volentes coacti ſunt. Et in Aſia

ſia quidem illi, tanquam in vera patria, ſemper illuſtres fuerunt, ſed rebus illorum geſtis ſplendorem invidia ſubtraxit, cum absque ea innumera fortium operum volumina tererentur. Huc non parum momenti attulit, quod facile ſedes mutarent, & nullas poſſidentes urbes, ne quidem paterentur inter ſe jungi ædes, diſcretim atque diviſim colendo ſtudium armorum majore ardore, quam literarum, Martis potius, quam Muſarum caſtra ſectantes, amplecterentur. Conſtat autem, poſt œcumenicum diluvium Europam omnium poſtremam cive frequentiore habitatam, Aſiamque rectius, quam partes has ſeptentrionales, populorum matrem dici, contra opinionem illorum, qui à mari Balthico catervas gentium in Aſiam & Africam deducunt, dum ignorant, illas jam pridem ex oriente huc progreſſas. Sicut & *Cornelius Tacitus* Germanos indigenas facit, cum illos à *Japeto* exordia ſua cepiſſe, & ex *Aſia* huc veniſſe, haud difficulter evinci poſſit. Dum enim illa acceſſione multiplici increſcens ambitioni non ſufficeret, fatis ſic urgentibus, alius poſt alium populus, novas ſubinde & commodiores ſedes quærens, paulatim in *Europam* tranſiit, & longe lateque ſe diffudit. Sicut autem vel hodie Germanorum nomen ad complures populos pertinet, ita jam olim quoque idem in uſu fuit, ex quibus, nequaquam poſtremæ virtutis & gloriæ, in eo tractu, qui ad *Albim*, *Viadrum*, *Havelum*, *Suevum*, *Wartam* Marchia Brandenburgenſis dicitur, ſeſe demiſerunt. Unde profecti denuo, *Daniam*, *Sueciam*, *Angliam*, *Inſubriam*, & alia regna condiderunt, *Hiſpaniam*, *Galliam*, *Italiam*, *Boruſſiam*, *Ungariam*, ipſamque *Romam* occuparunt, nec ullus ferme locus in *Europa* relictus, quem illi non bello appeterent, terribiles omnibus gentibus, ut non immerito de illis *Joſephus* ſcribat, ſpiritus Germanorum majores eſſe corporibus, iras eorum animantibus feris vehementiores, animos ipſos dolorum & mortis contemptores. Quibus, ut teſtatur *Tacitus*, nemo bellum impune intulit: Inter hos primi Marchiam incoluerunt *Cymbri*, gens fera & aſpera, ad omnem audaciam pa-

 rata,

rata, indeque in ditionem *Megelburgiorum*, *Holſatiam*, atque *Daniam*, ut nunc temporis vocamus, conceſſerunt, manetque etiamnum notio *Cymbricæ Cherroneſi*. Erat adhuc rudis ætas illa prudentiæ, qua urbes oppidaque poſteritas circumſpectior conſtruxit, caſasque promiſcue ſine compoſito ordine, ornatu omni excluſas, ponebant, neque latrociniorum & rapinarum infamiam putabant. Egreſſi *Prignitio*, ſinum Germaniæ proximi Oceano tenebant, parva quidem civitate, ſed gloria ingenti, unde & veteris famæ late veſtigia manent utraque ripa caſtra ac ſpatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis, & tam magni exitus fidem. *Cymbros* conſecuti mox *Teutones*, & illi in *Marchia* à *Gomeri* filio *Aſcane* orti, *Transalpinas* regiones, quas *veterem Marchiam* appellamus, occuparunt, genus hominum durum, & vaſtæ ſtaturæ, ſub cœlo frigidiſſimo ſolis pellibus amictum, parte corporis majore nuda atque aperta, in ſpeluncis ſubterraneis & vaſtis ſylvis habitare, atque ex pecuariis victitare ſolitum. Inter hos & *Cymbros* enatæ diſſenſiones crudelia bella excitarunt, ſed his ſopitis, una exeuntes tandem à *Mario* conciſi ſunt. *Cymbris* & *Teutonibus* cohabitabant *Gothi* ad mare Balthicum, progreſſi ex *Aſia* in *Europam*, *Scandiam* & *Jutlandiam* occuparunt. Cum his ſimul profecti ſunt *Daci*, inter quos cum gravia bella enata eſſent, *Daci* vel *Dani* imperium obtinuerunt. Poſt *Teutones* advenerunt *Suevi* ex *Aſia*, diverſimode oberrantes: Gens fuit hæc longe maxima ſecundum *Cæſarem*, populoſiſſima juxta *Oroſium*: *Semnones* tamen auctoritate pollebant, habitantes ab *Albi* ad *Suevum*, ex quibus ſunt *Rugii* in *Pomerania*, *Sitones*, *Lemonii* circa *Colbergam*. Hi *Romanis* erant addictiores, ita tamen, ne quid libertati decederet, cujus etiamnum, ſi qua alia gens, conſervandæ *Pomerani* ſtudioſiſſimi ſunt. *Longobardi* ab *Ora* ad ſylvam usque *Hercyniam* & *Viſurgim* ditionem ſuam prolatarunt, & *Angrivarii* tandem aſſumptis *Saxonibus Angliam* ſubjugarunt. Congreſſi cum *Romanis* & victi, quadraginta eorum millia ex his oris in *Rhetiam*

trans-

translati ſunt. Maxima tamen pars ad *Carpathum* montem, & *Septentrionem Suevicum* vocant, Dialecton *Saxonicam* in multis retinet, ſub tanta gentium commiſtione, apud *Danos* & *Suecos:* cum literas non noſſent, neque doctrinas, carminibus ſaltem rhythmicis ſuas res celebrabant, quod apud illos memoriæ & annalium genus erat, id usque huc apud Germanos conſervatum, neque hodie omnino in deſuetudinem abiit. *Gothi* deinde ex *Dania* egreſſi, in *Italia* regnum conſtituerunt, ſedesque in *Pannonia* & *Hiſpania* & *Gallia* acquiſiverunt, *Weſtgothorum* nomine appellati, & reſtant eorum reliquiæ in *Taurica Cherſoneſo* probatæ prope *Conſtantinopolim*, lingua germanica utentes, ſicut & huc ſpectant *Tranſylvani* & *Sepuſii*. Eſt adhuc inſula *Gothia* dicta. *Gothorum* ſedes in nova Marchia fuit, unde cum ſecederent, ſucceſſerunt *Vandali* ad mare *Balthicum* & *Viſtulam* usque, ubi nunc ſunt *Megelburgenſes*, *Pomerani*, *Boruſſi* & *Caſſubii*, dictæque ab illis ſunt civitates *Vandalicæ*, *Lubecum*, *Wiſmaria*, *Roſtochium*, *Sundium*. Ab his *Viſtula Vandali* nomen accepit. Erant hi Germanorum molliſſimi atque delicatiſſimi, ejusdemque linguæ atque gentis cum *Gothis*. Hi deinde progreſſi in *Hiſpaniam*, & tandem in *Africam*, ibidem regna condiderunt. Et adhuc hodie ab horum populorum reliquiis Reges Daniæ profitentur ſe *Gothorum* & *Vandalorum* Dominos. Poſt hos *Saxones* invaſerunt Marchiam, gens inquieta, nimis finitimorum ſedibus infeſta, domi tamen pacata, & civium utilitatibus placida benignitate conſulens. Generis ac nobilitatis ſuæ providiſſimam curam habentes, non facile ullis aliarum gentium connubiis miſcebantur, proprium, ſincerum, & tantum ſui ſimilem populum facere conantes. Unde habitus & corporum magnitudo, comarum quoque color in tanto numero hominum idem pene omnibus. Coma tamen flava magis his, qui ad parallelum ſextum decimum conſident, ſed albior multo his, qui circa parallelum vel octavum, vel nonum ſupra decimum incolunt, ſicut econtra, qui vicini ſunt parallelis quarto decimo &

 quin-

quinto decimo, nigriorem cæſariem habent. Apud illos *Bardæ* res geſtas & hiſtorias, rhythmis Saxonicis conceptas, decantabant: De his *Zoſimus*, *Saxones*, inquit, *omnium Germanorum animis & corporum viribus, & laborum in præliis tolerantia, fortiſſimi habentur.* Horum poſteritas hodie in civitatibus maritimis, *Pomerania*, *Boruſſia*, ditione *Megelburgiorum*, Ducatu *Brunſuicenſi*, *Weſtphalia*, ad *ſylvam Hercyniam*, & *Marchia Brandenburgenſi*, avitam gloriam multa acceſſione tuentur atque conſervant. *Saxonibus* multum negotii fecerunt *Franci*, gens non tam lata, quam valida. Tandem *Marchiam* ſubjugarunt *Slavi*, gens laboris patientiſſima, ſed rapinis & furtis admodum dedita, bellis aſpera, per ſolitudines & inculta vagans loca, armenta pecoraque præ ſe agebat, quorum adhuc hodie eſt cupidiſſima. Neque ſane infeſtiorem habuit Marchia hoſtem, à quo ſubinde duriter afflicta, bellis cum ſine modo diſtineretur, factum eſt, ut tellus rareſcente cultorum opera, ſulcorumque veſtigiis ſitu obductis, ſylveſtrem in multis locis vultum induerit, & nativa amœnitate depoſita, informi ſuccreſcentium arborum atque nemorum denſitate perhorruerit, quod & præſens camporum facies oſtendit. Ingenia *Slavorum* Græcum quid, ſicut & veſtitus & lingua, referunt. Et quamvis in dialectis eſt diſſimilitudo, tamen eadem eſt origo & lingua *Illyriæ*, *Poloniæ*, *Bohemiæ*, & noſtrorum *Henetorum*, quæ perquam familiaris eſt apud *Turcas* in aula Conſtantinopolitana. Genus hominum victui leviſſimo aſſvetum, quod noſtratibus gravi oneri eſſe ſolet, *Slavi* pro quadam voluptate ducunt. Hos *Saxones* redintegratis viribus ita præliis ſecundis obtrivere, ut ex tot millibus vix exiguæ reliquiæ ſupereſſent ad *Albim*, quarum poſteritas & hodie, in confinio ditionis *Lunebergenſis*, inter *Slavorum* populos truculentiſſima cenſetur. Ita fortiſſimæ gentes inhabitarunt Marchiam, *Cymbri*, *Teutones*, *Gothi*, *Daci* vel *Dani*, *Suevi*, *Vandali*, *Franci*, *Slavi*, *Saxones*, quæ hinc progreſſæ in *Suecia*, *Dania*, *Anglia*, *Gallia*, *Italia*, *Hiſpania*, *Africa*, *Ungaria*, *Polonia*, *Boruſſia*, & univerſo imperio,

vir-

virtutem atque fidem ſuam togatæ atque armatæ, publice & privatim, orbi terrarum probaverunt, eorumque poſteri adhuc in populoſis & bene conſtitutis, munitisque civitatibus religione, legibus, fortitudine, ſapientia celebratiſſimi ſunt. Inter quas eminent: *Gedanum, Elbinga, Conigspergum, Mariæburgum, Stargardum, Colberga, Stolpa, Treptoa,* & aliæ præſtantiſſimæ & cultiſſimæ reſpublicæ. Propterea coactus ſum complures populos & regna externa adire, & veſtigia veterum Heroum in *Suecia, Dania, Anglia, Gallia, Italia, Polonia, Boruſſia,* & univerſa Germania legere, tum ut regionum atque civitatum mores, conſuetudines, inſtituta, formam, rempublicam, religionem recognoſcerem, tum vero ut antiquitatis ſtudioſus populorum annales atque hiſtorias inquirerem, judiciumque ex eruditorum colloquio & doctrina plenius confirmarem. Adierunt olim frequenter populi Marchiæ *Pannoniam,* eo quod illa nulli regioni terrarum hominum robore, pecorum fœcunditate, ubertate ſoli, metallorum copia cedat, cœli autem temperie & pulcritudine ſitus omnibus plagis orbis ſuo jure anteferenda ſit, ut haud falſo exiſtimetur, nullum Europæ locum eſſe, qui cum *Buda* comparari poſſit, ſive ſitus amœnitatem, ſive cœli ſalubritatem, ſive ſoli fœcunditatem, ſive aliarum quarumcunque rerum ad quoslibet uſus, ad ſplendorem denique & luxum pertinentem ubertatem & effluentiam ſpectes. Adierunt *Italiam,* quod omne id, quod excogitari queat, ſi deſideres, in illa ineſſet, vel ſi deeſſet, extra illam haud quærendum crederent, quandoquidem natura hic poſuit, quicquid in orbe fuit, ipſaque *Roma* non urbs, ſed orbis mundus in uno loco judicaretur: Sed noſtri inſtituti longe alia ratio quod ſubfuerit, commentarii librorum quadraginta ſex, liquidiore luce aperiente effectum, demonſtrabunt. Dolendum autem eſt, hos meos conatus non ſolum non adjuvari ab his, qui & poterant, & debebant, ſed etiam impedimentis variis conſtringi. Non difficile mihi fuit, hæc ſtudia, quæ de pane merendo cum non forent, me inſuper in tot anguſtias atque

 peri-

pericula conjicerent, ob hominum ingratitudinem deſerere, ſed quia turpiter relinquitur id, quod quis magno auſu, majore etiam forte exſpectatione aggreditur, illam hactenus, inter ſummas hominum injurias & temporum difficultates, conſtantiam præſtiti, quam imbecillitas humana aſſequi potuit. Quandoquidem autem mihi tantæ curæ ſit reipublicæ gloria, & nobiliſſimi civis ſit, patriæ ſuæ augmenta cogitare, ſed eorum maxime, quos imperia ſummis honoribus obligarunt, in eam ſpem adducor, illos, quos Deus de ſuo nomine Deos appellat, & maximis donis & ornamentis decoravit, ſimulque aliis imperare, præeſſe, ac prodeſſe voluit, gratiam ſuam mihi, bonitatem atque benignitatem non denegaturos. Ex his enim negotiis, quæ ingenio exercentur, magno inprimis uſui eſt rerum geſtarum memoria, dum imagines majorum intuemur, vehementiſſime animus ad virtutem accenditur, non cera, neque figura tantam vim in ſe habet, ſed rerum geſtarum recordatio, ea deinde flamma egregiis viris in pectore creſcit, neque prius ſedatur, quam virtus eorum famam adæquaverit. Et profecto ſi quis hiſtoriæ ſtudium non adamaverit, quare illum honore & excellentia dignum judicem, rationes nullæ ſubeſſe videntur. Servent igitur Dii probos patriæ patres, & muſarum pietatisque patronos. Faxit Deus Optimus Maximus, ut, cum in his oris floreant ſtudia, & Eccleſiæ magis atque tranquillius, quam in ulla orbis terrarum parte, imperium fauſtum atque felix ſemper fiet, ubi nunc eſt, benedictio Domini circumfluat fortunatos cives, pax, majeſtas & ſerenitas affulgeat undique, malum huc non pertingat, & tandem bene ſit cunctis, quibus eſt reſpublica cordi. Hoc precor, hoc ſupplex peto: hoc omni contentione enitar, ut magiſtratus, ut ſubditi intelligant, me pro meo modulo, etſi in ſtatione exigua, publicam rem adjuvare voluiſſe. Sed hic ſubſiſtendi finis. Ego quidem inde ab œcumenico diluvio usque ad hæc tempora continuabo hanc hiſtoriam, eo exitu, ut Deus laudetur, viri magni & heroës celebrentur, boni bene audiant.

Cum

Cum omnia amittuntur, hæc ſola manent reliqua ornamenta, quæ conſervantur virorum doctorum ingeniis. Veneror Pomeranos, amo Boruſſos, laudo Germanos, gloria ſumma Deo. Vitebergæ, anno nati Immanuelis noſtri Jeſu Chriſti MDC.

LIBRI VICESIMI DEDICATIONES.

I.

Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Domino JOHANNI, *Duci Saxoniæ, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ,* &c. Domino clementiſſimo, S.

M. Nicolaus Leuthingerus.

DOmicilium ferarum, non hominum, *Germaniam* fere deſcribunt Græci atque Itali, quamvis in *Aſia*, vera patria, illuſtres ſemper fuerint veteres Germani: Sed rebus illorum geſtis ſplendorem invidia ſubtraxit, cum absque ea innumera fortium operum volumina tererentur. Huc non parum momenti attulit, quod ſedes facile mutarent, & nullas poſſidentes urbes, non paterentur inter ſe jungi ædes, diſcretim atque diviſim colendo, ſtudiumque armorum ardore majore, quam literarum, Martis potius, quam Muſarum caſtra ſectantes, amplecterentur. Conſtat autem, poſt œcumenicum diluvium *Europam* omnium poſtremam cive frequentiore habitam, Aſiamque rectius, quam partes ſeptentrionales, populorum matrem dici, contra opinionem illorum, qui inde à freto Balthico catervas gentium in Aſiam & Africam deducunt, neſcientes, illas jam pridem ex oriente huc progreſſas. Cum enim illa, acceſſione multiplici increſcens, ambitioni non ſufficeret, fatis ſic urgentibus, alius poſt alium populus, novas ſubinde & commodiores ſedes quærens, paulatim in Europam tranſiit, & longe ſe lateque diffudit. Sicut autem vel hodie Germanorum nomen ad complures populos pertinet, ita jam olim quoque idem in uſu fuit, ex quibus, nequaquam

quam poſtremæ virtutis & gloriæ, in eo tractu, qui *Marchia* dicitur, bellicoſiſſimi ſe demiſerunt. Nec ullus ferme angulus in Europa relictus, quem illi bello non appeterent, terribiles omnibus gentibus, ut non immerito *Joſephus* ſcripſiſſe videatur, ſpiritus Germanorum corporibus eſſe majores, quibus, ut teſtatur *Tacitus*, nemo impune bellum intulerit. Inter hos primi *Marchiam* cum *Teutonibus* incoluerunt *Cymbri*, gentes feræ & aſperæ, ad audaciam omnem paratæ. Erat rudis adhuc ætas illa prudentiæ civilis atque forenſis, qua urbes, oppidaque poſteritas circumſpectior conſtruebat, caſaſque promiſcue ſine compoſito ordine, omni excluſas ornatu, ponebat, neque ſane latrociniorum & rapinarum infamiam ponebat. Unde *Cymbri* egreſſi, Germaniæ ſinum proximi Oceano tenebant, parva quidem civitate, ſed gloria ingenti, ut etiamnum veteris famæ veſtigia late maneant. Erant *Teutones* à *Gomeri* filio *Aſcane* orti, genus hominum durum, & vaſtæ ſtaturæ, ſub cœlo frigidiſſimo ſolis pellibus amictum, parte corporis majore nuda atque aperta, in ſpeluncis ſubterraneis & vaſtis ſylvis habitare ſolitum, à quibus caſtella & vici adhuc nomina ſua in confinio *Poloniæ* atque *Luſatiæ* retinent. Inter hos & *Cymbros* enatæ diſſenſiones crudelia bella excitarunt, quibus ſopitis, una exeuntes in bellum contra *Romanos* à *Mario* conciſi ſunt. Reliquiæ illorum cum *Gothis* ſe conjunxerunt, inter quos devictos imperium tandem *Daci* vel *Dani* obtinuerunt. Illos forti auſu ſubſecuti *Suevi*, diverſimode oberrantes: Gens longe maxima atque populoſiſſima, juxta *Cæſarem* & *Oroſium*: congreſſi cum Romanis, tandem ſuperati, quadraginta eorum millia in *Rhetiam* translati ſunt. Maxima eorum pars ad ſeptentrionem progreſſa, regnum ibidem *Suecorum* condidit, quod vel hodie bellicoſiſſimum creditur, artis militaris inter ſcopulos peritiſſimum. *Gothorum* ſedes in *nova Marchia* fuit, quorum reliquiæ adhuc hodie in *Taurica Cherroneſo* prope *Conſtantinopolim*, *Tranſylvania* atque *Sepuſio* reſtant, quibus ſucceſſerunt *Vandali* ad *Viſtu-*

ſtulam, à quibus ad mare Balthicum civitates Vandalicæ nomen retinent. Et vel hodie Reges Danorum *Gothorum* atque *Vandalorum* Dominos ſe profitentur. Ab his *Franci* invaſerunt *Marchiam*, gens non tam lata, quam valida. Quibus *Slavi* arma imperterrita opponebant, complebantque terrore ſuo *Illyriam*, *Croatiam*, *Dalmatiam*, *Bulgariam*, *Poloniam*, *Bohemiam*, *Marchiam*, *Miſniam*, *Sileſiam*, *Luſatiam*, & magnam *Germaniæ* partem. Hos tandem fortiter *Saxones* multis ſecundis præliis fatigatos in ordinem redegerunt. Ea tempeſtate, beneficio Imperatorum, ad Marchiam dignitas & jus creandi Cæſarem atque Regem Romanorum, ſingulari Dei benignitate devolutum, pervenit, illisque auſpiciis ſimul Marchiones Brandenburgici in poſſeſſionem gloriæ majoris, occaſionemque præclarius de univerſa Germania merendi, decreto fatali immiſſi. Hinc in collegio atque ſenatu generis humani ſummo illorum *Principum* maxime virtus bellica, eloquentia, ſapientia, dexteritasque in conſiliis & rebus agendis, tractandis, perficiendisque emicuit, ut parum à Cæſaribus glorioſe, ab imperio feliciter ſit geſtum & conſultatum, cui non illorum autoritas multa cum laude interpoſita fuerit. Hæc ſcire ſingula, hæc ſcribere univerſa, latiſſimum aperiunt ſtudioſo campum, laborem præterea plusquam humanum inducunt, ut deterrere potius hominem, vel avocare, quam provocare videantur. Ne quid de hac parte operis regeram, quod cum Marchia aliquando conjuncta fuerit *Ungaria*, *Bohemia*, *Bavaria*, *Palatinatus*, *Luſatia*, *Hetruria*, *Anhaldinatus*, *Moravia*, & aliæ ditiones: gubernationi & poteſtati Brandenburgicorum commiſſi Archipræſulatus *Moguntinenſis* & *Magdeburgenſis*, Epiſcopatus *Argentoratenſis* & *Halberſtadenſis*, &c. victores non ſemel fuerint in *Polonia*, *Dania*, *Livonia*, *Miſnia*, *Belgio*, *Pannonia*, *Italia*, & alibi: Illud magis mirandum, quod adhuc hodie in tanto procellarum turbine obnoxiam ſibi tenent *Boruſſiam*, *Pomeraniam*, magnam *Sileſiæ* atque *Luſatiæ* portionem, multa in *Variſcis*, *Franconia*, *Suevia*, & *No-*

rico, una cum ampliſſimo Marchiæ quadruplicis regno, quod olim *Slavi Brandenburgi* condiderunt, ut neſciam, an ullius populi hiſtoria latius ſe extendat, ad plura dicta, facta atque geſta reſpiciat, quam hæc noſtra, contra craſſam illorum opinionem atque ignorantiam, qui Marchiam rebus geſtis carere boant, Marchicosque Marchitarum nomine diffamantes nequiter allatrant. Fieri igitur neque poteſt, neque debet, quin vicinorum populorum mentionem, ut decet atque par eſt, diligentem faciam. Quid vero dicam de *fraterna* illa *conjunctione* & fœdere perpetuo hæreditario inter *Saxonem*, *Brandenburgicum* & *Landgravium*, quo familiæ inclitæ in hunc usque diem florent? quid de contracta affinitate cum *Polonis*, *Danis*, *Scotis*, omnique Germaniæ nobilitate ſane perquam auguſta? quid de amicitia cum *Gallis*, *Anglis*, *Italis*, *Ungaris*, *Imperatoribus*, *Bohemis* & aliis referam? ut commentariis meis longe lateque circumſpiciendi neceſſitas omnino impoſita ſit. Ne igitur mihi quis invidioſe vitio vertat, quod multorum ſimul populorum res laborioſe conjungam: agnoſco, me debere plurimam gratiam multis bonis viris, quibus utinam mihi ea referendi facultas relicta eſſet, quam ſibi optimus quisque merito ſuo, & propter excellentiam divinitus conceſſam, virtutemque admirandam, polliceri debebat. Sed ut quimus, ajunt: Animum certe ſemper gratum cunctis afferam, oſtendamque, quantum mea tenuitas præſtare in humili ſorte poterit. Quia tamen auctores ſæpius, neſcio in quam ſuſpicionem devocentur, propterea, quod illorum conditio atque ſtatus minus peregrinis atque remotioribus perſpectus eſt, profiteor ſane, me Marchicum in *veteri Landesbergo*, quod olim ſedem atque aulam præſtitit Francorum Regibus atque Ducibus, & ſuccedentibus quoque annis Electoribus ex familia Comitum *Ploccenſium*, & poſtea tenui pecunia à Moraviæ Marchione *Juſto Crummenſebnenſibus* cum omni illa præfectura oppignoratum fuit, mediocri omine atque ſidere natum, patre *Nicolao*, viro bono, & Theologo, ab eoque in di-

diſciplinam primum traditum *Martino Geritio*, Conſuli exinde *Potſtampiano*, hinc à *Nicolao Menio*, qui hodie eſt Superintendens *Cuſtrinenſis*, diligentius inſtitutum fuiſſe: Unde deductus ſum ad *Andream Cœlichium*, qui prius Superintendens fuit veteris Marchiæ *Stendalii*, poſterius *Guſtrovii* Ducatus Megelburgenſis: Tandem vere de commendatione Electoris Brandenburgici, JOACHIMI II. & interceſſione JOHANNIS GEORGII Marchionis apud AUGUSTUM, Electorem Saxoniæ, facta, ad *Georgium Fabricium* Chemnicenſem in ludum illuſtrem *Miſenæ* miſſus, ſerio ſtudium Hiſtoricum naturali impetu adamare cœpi, ut ex nulla re voluptatem majorem referrem. Sexennium mihi Elector decreverat, & attingebam forte annum ætatis ſeptimum decimum, præpoſitus omnibus reliquis grandioribus, commiſſa ſimul repetitione & inſpectione per omnes claſſes atque contignationes, demandata etiam lectione publica Græcæ linguæ, honeſte dimiſſus ab iſto collegio, à patre traductus *Witebergam*, rectorem morum adeptus *M. Nicolaum Rislebium*, qui Conſul ampliſſimus hodie cum dignitate *Soltquellæ* curat rempublicam, poſt annum evocatus edicto Electoris JOHANNIS GEORGII *Francofurtum* ad *Viadrum* anno ætatis decimo nono Magiſterii gradum conſecutus, nobilibus, Baronibus & aliis meæ fidei concreditis cum auctoritate præfectus, amandatus ſum *Croſnam* ad gubernationem ſcholæ ab Academia, inde *Spandoviam* retractus, etſi *Trebini* & *Fürſtenwaldi* locus honeſtus meis commodis, gloriæ Dei & aliorum emolumento non ſine fructu apertus eſſet; attamen dare me longinquæ peregrinationi, ſtudiiſque amplioribus *Witebergæ* volui, ut firmiore animo ſtudium Hiſtoricum acciperem. Ex mandato JOHANNIS GEORGII Electoris aſcitus publice ad gubernandam Eccleſiam *Landsbergenſem*, cum in ea triennium confeciſſem, annos deinde viginti totos ex eo me pietatis & Hiſtoriæ ſtudiis mancipavi, poſtquam *ſex libros Carminum* edidiſſem, à Rege Daniæ FRIDERICO Laurea Poëtica coronatus, cauſam adjuvante *Henri-*

cò Ranzovio, ſæpe favore magnorum Virorum uſus, ſæpe beneficia atq; muneraPrincipum expertus,expetitus ad aulas &Academias, locum in iis honeſtum habere poteram, verum ego me profectionibus per univerſam Europam tradidi, ad eum omnino modum, ut nulla paupertas, civi bono ferme obvia, vel calamitas, periculum nullum vel diſpendium, nullus tandem dolor vel labor meum hoc propoſitum mutare poſſet. In qua ſententia etſi adhuc ſim, negotium tamen ita urgeo, ut non multo poſt Dei annuente benignitate LXVI. Commentariorum libros, brevitate perſpicua, unde alii ſuis calamiſtris multa depromere queant, in publicum edere conſtituerim. Ad quod in effectum deducendum, favore mihi magnorum patronorum opus eſſe, non levi experientia ducor. Interim maximorum Virorum dum res geſtas fideliter perſequar, ignoſcendum eſt mihi, ſi longinquiores compellam: non enim in otio, ſed in multiplici negotio verſatur Hiſtoria. Quid ſi domi, ubi ferme aliena curantur, ſed propria negliguntur, neſciamus, apud peregrinos autem doctiores evadamus. Qua de cauſa ego certe has multas atque permagnas, omnino difficiles peregrinationes ſuſcepi. Quandoquidem autem in hac bonitate pietas, juſtitia atque Muſæ firmum præſidium habeant, & noſtra quoque ſtudia optima quæque ſibi de ea polliceantur, in hac ſum plane expectatione, opportunum me Muſis patrocinium reperturum. Habet enim hoc ſingulare excellentia, ut ſicut generoſitate, ordine, genere, potentia, ſplendore, ita virtute, & inprimis bonitate præſtet, cupiatque proxime ad Deum accedere beneficentia. Exerat hæc quoque vires ſuas in noſtros labores. Experietur profecto benignitas, his meis ſtudiis admodum neceſſaria, gratitudinem mihi non defuiſſe, occupatam narratione ſeria rerum multiplicium & maximarum conſervante, & ad poſteritatem transmittente bene meritorum memoriam. Vitebergæ, anno Chriſti nati MDC II.

II.

Eadem dedicatione hunc librum inſcripſerat Senatui *Gardelegienſi*, (al. edd. *Weiſſenfelſenſi.*)

III.

Ampliſſimis Viris, ſapientia, ordine & virtute ornatiſſimis, *Dominis Conſulibus atque Senatoribus civitatis Colonienſis*, Patronis S. Opt. S.

M. Nicolaus Leuthingerus.

QUanta ſit hiſtoriæ dignitas, cum incredibili utilitate, voluptate, atque delectatione conjuncta, qualem etiam ipſa autori conſtanti atque probato pariat ſuo difficultatem, qualiaque tandem ſecum trahat pericula, teſtatur omnium temporum experientia. De quibus, ut nihil hoc in loco regeram, iſtud ſaltem attingamus, quod paucos agnoſcere, proh dolor! nimium conſtat, hiſtoriam nempe ſingulare atque ſummum eſſe Dei Optimi Maximi donum, cujus rei fidem ſi cui, opinione vel præpoſtero judicio lapſo, facere, inſolens eſſe videatur. Equidem provocet ille mediocri ſolummodo ſtudio ad ſacroſancta Biblia veteris atque novi inſtrumenti, ad ſcripta eccleſiaſtica & politica, quæ profana perperam appellitant, ad Chriſtiana ſimul & ethnica, fatebitur ſane vel me tacente, ſolem è mundo tollere illum, qui huic hiſtoriæ ſuam vim, laudem, ac decus ſuum deroget, ſineque illa omnium plane facultatum obmuteſcere chorum: De Deo vero, ejusque eſſentia atq; voluntate, operibus, miraculis, beneficiis, pœnis atque præceptis ſilentium atque ignorantiam horribilem ſibi advocare impietatem ac blaſphemiam: videbit ſapientiam, prudentiam, atque juſtitiam nervis ſuis deſtitui, fortitudinem atque temperantiam frigere, labaſcere, & in pejus ruere imperia, adeoque incitamentis ſtimulisque virtutum omnium repudium mitti. Eminet autem maxime hujus excellentia illa tempeſtate, quando gloriæ Dei, nominisque ac verbi divini majeſtas, liquidiore luce veritatis manifeſtiſſimæ gratiam indubitatam aperiente, felicibus auſpiciis increſcit: illu-

ſtre nobis documentum ſub ſidere feliciore exhibuit ſuperius ſeculum, cum ſub ipſa evangelicæ cœleſtis doctrinæ repurgatione à pontificia idolomania ſtudium hiſtoricum in flore atque honore, redeunte literis atque literatis debito cultu atque pretio, eſſe denuo cœpit. Sortita ſub id tempus eſt Auſtria ſuum *Lazium*, Sileſia *Abrahamum Bucholzerum*, Bohemia *Dubravium*, Bavaria *Aventinum*, Suecia *Olaum Magnum*, & aliquanto ante Dania *Saxonem Grammaticum*, Anglia *Balæum*, Saxonia *Crantzium*, aliique alios populi Hiſtoricos. In Miſnia FRIDERICUS, Elector Saxoniæ ſapiens, hoc genus hominum atque ſtudiorum in ſummo pretio habuit, cum *Aventino* ſæpius commutans literas, ipſi ſuam dignitatem literis ſua manu ſcriptis ſerio commendavit. Quin & ipſe in hanc ingreſſus deliberationem, ut Miſniæ, ejusque Principum res geſtæ, in majori momento, amplioreque dignatione tranſpoſitæ, ad poſteritatem pleniores remitterentur, hoc delegavit negotium *Georgio Spalatino*, ſimulque ad vicinarum ditionum annales circumſpiciens, de hoc ſuo inſtituto monuit JOACHIMUM I. Electorem Brandeburgicum, conſuluit in eo BOGUSLAUM, Pomeraniæ Ducem, illudque ſuccedentibus annis graviſſimus atque ſanctiſſimus Princeps Elector Sax. AUGUSTUS ad ampliorem conſultationem vocans, *Georgio Fabricio & Petro Albino* demandavit, eo animo, ut nihil ſibi æque curæ eſſe pateretur. In Marchia quoque Brandenburgici nihil prætermiſerunt, quod ad ſplendorem ejus augendum pertinebat, excitatique magnis præmiis *Johannes Carion*, *Georgius Sabinus*, *Abdias Prætorius*, quos deinde ſubſecuti *Jodocus Willichius*, *Wolfgangus Juſtus*, *Reinerus Reineccius*, *Chriſtoferus Enzelius*, *Arnoldus Bierſtedius*, *David Colerus*, à quo *Andreas Angelus* ſua mutuatus eſt, & quisque ſuo hanc rempublicam labore juvare, eique famam conciliare ſedulo laboravit, tandem & ego, neſcio quo fato, in hanc palæſtram pertractus, poteram ſane promptioris naturæ ductu patriæ dicta, factaque & geſta in auguſtioris uberiorisque celebritatis decus perducere, ſi virtuti à for-

à fortuna deſtitutæ propitius favor adfuiſſet. At quia ſemper bono prævaleat malum, egregiaque impugnentur à malevolentia, ferendum eſt id, quod mutari non poteſt. Ego quidem ita natus, ita educatus, inſtitutusque ſum, ut ex meis ſtudiis ſibi haud immerito patria amplum quid promittere debeat. Natus in *veteri Landesbergo*, quod condiderunt atque tenuerunt Francorum Reges ac Duces, & ex eo *Vandalis* graves admodum fuerunt, in quo Electores deinde Brandenburgici fixam ſedem poſuerunt, *Slavos* ſibi ſubjugantes, ultimum dubio fato oppignoratum ad *Crummenſenenſes* exiguo pecuniæ interventu pervenit: Patre *Nicolao Thuringo* Erfurdenſe, Theologo, & Paſtore illius Eccleſiæ, in diſciplinam traditus *Nicolao Mænoni* Bernoæ, & *Andreæ Cœlichio* Spandoæ, eruditiſſimis viris, initia hiſtoricæ facultatis deguſtans, in ludum illuſtrem interceſſione JOACHIMI II. & JOHANNIS GEORGII, Electoris Brand. ad *Georgium Fabricium* Miſenam adductus, non militiam, nec grave Martis opus, neque fortunam, ſed Muſas elegantiores, Charites ſecum trahentes, ſecutus, ex omnibus ingenuarum ſcientiarum ſtudiis potiſſimum mihi ſelegi Hiſtoricum, cui me totum darem. Sexennium mihi decreverat in hac palæſtra AUGUSTUS Saxo, fermeque, quidquid conarer dicere, verſus erat, non plane ignarus linguæ latinæ, græcæ atque Hebraicæ, quantum alii commilitones in aliis exercitiis temporis ponebant, tantum ego huic tribuebam, ut non raro prandii jure hoc nomine commenſalibus cederem. Adoleſcens ut uſum rerum ſcholaſticarum haberem, liberalis Profeſſorum favor fecit, itaque ad ſupremum locum provectus, ſimul demandatas mihi per claſſes repetitiones privatas, inſpectionemque per omnia tabulata, & lectionem tandem græcæ linguæ anno ætatis 17. accepi. Triennium nondum in iſto jucundiſſimo loco abſolveram, cum me paternum imperium *Vitebergam* evocaret, dato morum magiſtro *Nicolao Rislebio*. Fueruntque plane in iſta ſchola illuſtri & initia, & progreſſiones, rationesque, ac tandem exitus mei contra o-

mnem

mnem hujus loci, tam quod ad docentes atque diſcentes, quam doctrinas ipſas attinet, conſuetudinem. Qua in re, ſicut cunctis atque ſingulis aliis, minor ſum cunctis etiam miſerationibus Jehovæ, me benignitati divinæ, bonorumque patrocinio plurimum debere, ſemper agnoſcam, Saxoniæ Pr. Electoribus obnoxius. *Vitebergæ* decus illa tempeſtate erat *Caſparus Peucerus*, Hiſtoricorum Coryphæus, ſed quia analogia religiones interverti putabatur, & Pr. Electoris JOHANNIS GEORGII edictum promulgatum erat, ne Marchicus, patriæ curam gerens, externis in caſtris Muſarum militaret, ampliſſimoque beneficio *Francofurdianam* Academiam affeciſſet, ego quoq; iſthic migrare coactus ſum, cœpitque magis magisque deterius habere atq; valere Univerſitas *Vitebergenſis*, *Francofurdiana* autem præcellebat in omni ſcientiarum genere. Et jam annum ætatis complebam 19. cum auſpiciis Academiæ, Decano *Matthæo Hoſto*, in Philoſophia ſummus mihi gradus decerneretur, plane invito. Quo nihil gloriatus, in eodem ſancto loco operam meam locavi Baronibus, & aliis equeſtris ordinis per quinquennium, exinde ad gubernationem ſcholæ *Croſnenſis* delegatus. Eſt autem *Croſna* nequaquam civitas vulgaris, in qua diligentiæ, fidei & ſedulitatis meæ fructum exſtare, dubium forſan non erat. Jam tum meas ita rationes inſtitueram, ut me peregrinationibus dederem, ſed paupertas, nulli niſi bono & aperto obvia, hanc mihi remoram injecit, ut denuo ſcholæ *Spandovienſi*, tum temporis celebri atque præclaræ, præficerer, nactus collegas *Johannem Litzmannum* Rupinenſem, & *Balthaſarum Weſtphalum* Spandovienſem, egregiæ doctrinæ atque virtutis conſules. In vivis adhuc multo meo cum commodo erat parens, eo omnino mei propoſiti ignaro iſthic diſceſſi, cum tam *Furſtenwaldenſis*, quam *Trebinenſis* mihi in Eccleſia gubernatio, ſimul etiam conjugium plane decretum eſſet. Nulla alia de cauſa matrimonium averſatus ſum, quam ut in ſectandis peregrinationibus libertatis jus ſarctum tectumque conſervarem. Exinde *Vitebergam* reverſus, vitas Electorum Branden-

denburgensium ligata oratione edidi, sed non multo post de voluntate JOHANNIS GEORGII Electoris *Landesbergum* vocatus, Ecclesiæ illius gubernationem per triennium sustinui. Magna tunc certamina intercedebant Senatui illius civitatis cum *Crummensenensibus*, non tantum de libertatis, sed etiam patronatus jure tuendo, Electore istud ad se revocante, *Crummensenensibus* vero, quantum poterant, contra nitentibus. Movebantur & aliæ contentiones à *Davide Colero* de primatu, Ecclesiæ etiam reditus, dimidia ex parte præcisi, in aliorum convertebantur usum, plenaque turbarum erant omnia. Non igitur diutius morandum ratus, *Vitebergam* denuo ad pristina studia, provinciam resignando, recurrens, *Italiam*, *Galliam*, *Angliam*, *Scotiam*, *Daniam*, *Sueciam*, *Livoniam*, *Russiam*, *Poloniam*, *Bohemiam*, & omnem tandem Germaniam, non minore animo complexus sum, quam voluptate incredibili perlustravi. In hac peregrinatione & lauream poëticam, & dignitatem equestris ordinis singulari benignitate meis musis clementissime contulit Serenissimus Daniæ Rex, FRIDERICUS II. caussam meam adjuvante *Henrico Ranzovio*, magno illo scientiarum studiorumque Patrono. Sed de his meis peregrinationibus exstabit liber ad posteritatem. Quas certe feci non sine ratione, ut, quod meditarer, opus plenius in publicum prodiret, nec me pœnitet vel operæ, vel laboris, vel impensarum, & de his judicium melius posteritatis erit, laborque hic, opinor, proderit multis, adfuit mihi etiam præsens, qui sancta pericula semper suspicit, & pœnas alieno in corpore sentit. Etsi autem Marchia per se satis ampla sit, attamen multa alia occurrunt, quæ in justam incurrunt considerationem. Nam post œcumenicum diluvium inhabitarunt illam *Cymbri*, quorum reliquiæ adhuc sunt in *Holsatia*, *Teutones*, à *Mario* concisi, *Gothi*, *Daci*, *Vandali*, quorum se Regem *Danus* profitetur, *Suevi*, quorum posteri sunt in *Suecia* & *Rhetia*, *Franci*, quorum stirps in *Franconia* remanet, *Slavi* Germanis semper iniquissimi, & tandem *Saxones*, cujus generis hodie est *Marchia*, sed & cum

illa conjuncta jam pridem fuit *Ungaria, Bohemia, Bavaria, Palatinatus, Lusatia, Hetruria, Anhaldinatus, Moravia* : Imperio steterunt Brandenburgicorum Archipræsulatus *Moguntinus* & *Magdeburgicus, Halberstadensis* & *Argentinensis* : victores non semel fuerunt Marchiones in *Polonia, Dania, Livonia, Misnia, Belgio, Pannonia, Italia*, & alibi. Illud magis mirandum, quod adhuc hodie in tanto procellarum turbine obstrictam sibi tenent *Borussiam, Pomeraniam*, magnam *Silesiæ* atque *Lusatiæ* partem, multa in *Variscis, Franconia, Suevia*, & *Norico*, ipsaque *Austria*. Quid vero referam, quod ad Marchiam beneficio Imperatorum auctoritas creandi Cæsarem pervenerit, illisque auspiciis Brandenburgici in possessionem gloriæ majoris, occasionemque præclarius de Germania merendi, decreto fatali immissi sint. Ne quid regeram de fœdere inter *Saxonem, Brandenburgicum*, & *Hessum* : de affinitate cum omni Germaniæ nobilitate sane perquam augusta: de amicitia cum Gallis, Anglis, Italis, Ungaris, Bohemis, Imperatoribus, &c. ut Commentariis meis longe lateque circumspiciendi necessitas omnino imposita videatur, & nesciam, an ullius populi historia latius se extendat, quam hæc nostra. Persequar autem libris LXVI. & brevitate perspicua, in his commentariis Historiam Principum, populorum, atque rerum, inde ab œcumenico diluvio, usque ad hæc nostra tempora, per universam Marchiam, quæ cum septimam perpessa sit mutationem, & septimo ferme Principe, attendat diligenter, in quæ tempora inciderit. Et cum hæc mea studia favore atque auxilio magnorum Patronorum indigeant, in eam spem deveni, posse me à V. D. adjuvari. Quod ut fiat, qua possum atque debeo submissione, supplex peto. Ex itinere gallico anno Christi MDCIII.

LIBRI VICESIMI PRIMI DEDICATIONES.

I.

Dedicatus est ille liber JOACHIMO FRIDERICO, Electori Brandenburgico, (in al. edd. Senatui *Spandoviensi*, vel *Gardelegiensi*,) iisdem verbis, quibus præcedens Senatui *Coloniensi*.

II.

II.

Decano, Seniori & Collegio *cathedralis Ecclesiæ Brandenburgensis* facta est hujus libri dedicatio, qua vicesimus JOHANNI, Duci Saxoniæ, erat inscriptus.

LIBRI VICESIMI SECUNDI DEDICATIO.

Illustrissimo Principi ac Domino, Domino JOACHIMO FRIDERICO, *Marchioni Brand. S. R. I. Archicamerario atque Electori, Borussiæ, Stetini, Pomeraniæ, &c. in Silesia, Crosnæ & Jægerndorfii Duci, &c.* Domino clementissimo, S.

M. Nicolaus Leuthingerus.

DEi Optimi Maximi beneficium est, quod continuam mundi conditi inde ab initio, usque ad hæc tempora, historiam exstare voluerit. Cujus excellentiam etsi pauci agnoscant, ideoque præpostero lapsi judicio, in exiguo momento ponant, prædicanda tamen nihilominus est debitis laudum præconiis divina benignitas in eo, quod heroicos impetus atque animos generosos hinc inde excitet atque servet, qui hoc studium singulari atque benigno favore complectuntur. Quo nomine Romani apud *Dionem* celebrantur, quod ex toto terrarum orbe annales atque historias collectas collectis adjecerint, & posteris vitæ rectæ magistram reliquerint. Meretur in verbo Dei *Artaxerxes* æternam laudem, quod noctu sibi Persarum fastos, ut animum solicitum recrearet, & quid faciendum disceret, divina inspiratione monitus, recitari jusserit, siquidem historia est pædagogus, & vitæ magistra, quæ mores nostros, vitamque omnem erudit, & ad bene agendum præmiis atque pœnis aliorum componit, dum præteriti ratio scire futura docet. Quod si Principum saltem convivia, luxum, venationes, aliaque ludicra atque profana admiremur, quid quæso ex his commodi ad virum bonum redit? nisi forte gemitus animique dolo-

rem afferant. Alia profecto erat cogitatione occupata nobilitas Romana, quæ ſua ſuorumque amicorum dicta, factaque & geſta literis conſignabat, & ad poſteros glorioſe absque invidia transmittebat. Neque ſane illi, quibus hoc inſtitutum ſerio cordi erat, vel præmiis, vel nominis immortalitate defraudabantur: *Bothonem* Dani crearunt Regem: *Olaum* Sueci, *Cromerum* Poloni, *Dubravium* Bohemi Epiſcopos deſignarunt, quod iſtorum populorum hiſtoriæ conditores crederentur: *Aventinum* Bavari, *Fabricium* Miſnenſes, *Crantzium* atque *Chytræum* Saxones, *Balæum* Angli, alii alios ſingularis honoris, amoris, atque benevolentiæ ſtipendiis proſecuti ſunt, quod illa ſtudia maxime approbarent, quæ hodie, non ſine obtrectatione & manifeſto periculo, calumnioſe faſtidiuntur, & criminoſe enecantur. Sed conſultius eſſet rebus humanis, ſi proceres veterum veſtigia pronius adorarent, quam quod ſuum exemplum ad imitationem eorum, quibus ſua utilitas potior eſt, quam publica ſalus, conformant: hinc enim & gloriam & gratiam promererentur majorem, quam quod in ludicra, & ignobiles atque ſordidas artes, vel quæſtuoſe, vel inutiliter, tantos ſumptus faciant, qui ſæpe nullo cum uſu, ſed magna cum jactura, pudore, atque indignatione ſunt conjuncti. Quod quia non fiat, & magnorum virorum vitia atque peccata dignitate, qua ſunt prætoria poteſtate præditi, tegantur, dum eo tegmine ſuam deformitatem, ne manifeſta probatione incurrat in aliorum oculos atque notitiam, violenter occultant, obruuntur quidem ſcrobibus, ſed ad tempus: namque ex illis enaſcuntur cannæ, ſeu arundines vocales, quales ſunt ſcriptorum calami, qui literarum monumenta, ad omnem valitura ætatem, conficiunt. Hos qui excidit atque affligit, non ipſos, ſed Deum auctorem, natamque ejus virtutem odiſſe putatur. Facile autem hoc concedimus inſolentiæ, ut ſiniſtre de his noſtris ſtudiis ſentiat, ſed quod veritati inſuper vim inferat, id dolemus: Prævalet ferme Cainus, regnat Eſavus, patitur juſtus: aſſentatio amicos, veritas odium

pa-

parit. *David*, Rex ſanctiſſimus, adulterii atque homicidii reus factus, habens filiam à filio compreſſam, filium fratrem occidentem, patrem regno expellentem, concubinas parentis in publico ſtuprantem, non propterea indignatur, neque ſane ejus poſteritas, quod publicis iſta literis conſignantur. Aſt nunc hac non licet ire via, & quia plerique hiſtorici *Socratis* carcerem timeant, veritatis patrocinium ſuſcipere non audent. Volunt enim laudari ſolummodo tam infimi, quam medii, aut ſupremi ſubſellii homines, quamvis vitia per ſe enormia in plurimorum ſcientiam pervenerint, nullamque excuſationem admittant, quæ ſi hiſtoricus leviter attingat, mox nihil non ab extrema pernicie mutuatum paratur, quamvis objurgator ſævus magis amet, quam adulator aſtutus. Sed veritatis adminiſtrum magis cuſtodiunt, quæ non videntur, quam quæ videntur. Quod ſi ad hujus farinæ pericula cautus hiſtoricus reſpiciat, ipſe ſibi non conſtabit, hiſtoriæque labem aſpergit, veritati inprimis vim afferet, ejusque leges confringet, cenſebiturque hac nota, quod candida de nigris, & de candentibus atra facere affveverit. Hos mihi ſectandos nunquam exiſtimabo, quodcunque tandem me fatum opprimat, ut quem calamitas non ad otium atque malitiam, ſed ad induſtriam atque modeſtiam erudivit, ſcioque, quod miſeriæ ſunt exercitia atque corroboramenta virtutis, in quem finem & pati, & exire paratus ſum. Deus etiam quos diligit, caſtigat acrius, & laboribus aſſiduis ad pietatis uſum exercet, ne pro caducis & mortalibus bonis corrumpantur & depraventur, quæ immortalitatem apportant. Unde mihi longe ſvaviſſimum erit, veritati ſacrificare. Interim libenter fateor, falli me poſſe, quod ſicubi ex ignorantia, vel imprudentia, vel errore lapſus ſum, quod non raro maximis viris contingere meminimus, peccatum obſtinate non defendam, emendare in melius ſummæ mihi curæ erit. Neque ſane ullius majeſtas tanti apud me fiet, ut propter eam veritati viam intercludam. Sicut nec eadem ratio, à diverſis dicta, idem valet: nec plus eſſe in opere ſo-

 let,

let, quam eſt in opifice. Nec quidem me latet, quod placere omnibus impoſſibile ſit, ſicut nec Jupiter ipſe poteſt, præcipue aulis delicatioribus, ubi ex aliorum invidia gloria, & gratia, creſcendique materia quæritur. Ego ut veritatis rationem majorem, quam compendii mei haberem, etſi patriam odiſſe videatur, cui bene eſt, cum peregrinatur, profectiones maximas per *Europam* ea de cauſa ſuſcepi. In quibus quam incredibilia innocuus pertulerim, teſtabuntur libri, huic rei atque negotio deputati. Habitarunt antiquitus in Marchia *Cymbri*, *Holſati*, *Gothi*, *Dani*, *Sueci*, *Suevi*, *Vandali*, *Franci*, *Slavi*, *Saxones*, horum ego veſtigia in variis regnis ſecutus, illorum hiſtoriam perdiſcere conatus ſum: Tenuerunt imperium in Marchia ſuccedentibus annis *Anhaldini*, *Bavari*, *Moravi*, *Bohemi*, *Norici*, & alii: Vix ſine Brandenburgicis quicquam bello paceque per imperium, & vicina regna, feliciter eſt actum factumque, progreſſaque eſt illorum potentia eo, ut populos non paucos ſubactos ſub juramenti fide ſibi obnoxios redderent, quales ſunt *Boruſſi*, *Pomerani*, *Sileſii*, *Luſati*, *Francones*, *Norici*, *Voitlandi*, *Alſati*, *Magdeburgici*, *Bructeri*, quibus etiamnum paterne imperant, ne quid de *Miſnenſibus*, *Megelburgiis*, & aliis regeram, qui ſui juris ſunt. Horum ego dum hiſtoriam multa diligentia, & labore herculeo, perſequor, dolendum eſt, hos meos conatus non adjuvari ab his, qui ratione officii opumque debebant, immo impedimentis variis conſtringi, ita, ut omnis mihi tenendi inſtitutum, quod tamen jam pridem ex voto abſolvi poterat, fiducia detrahatur. Quod tamen turpiter relinquitur id, quod quis magno auſu, majore etiam forte exſpectatione aggreditur, illam inter enormes injurias atq; difficultates conſtantiam præſtiti hactenus, & præſtabo, quam tenuitas mea inter ſexcentas adverſitates aſſequitur. Interim in hanc plane ſpem deveni, ut cum tantæ mihi ſit fori publici gloria curæ, & nobilisſimi civis ſit, patriæ augmenta cogitare, ſed illius maxime, quem imperia ſibi honoribus obligarunt, & Deus ſummis donis atque

or-

ornamentis decoravit, ſimulque inferioribus præeſſe atque prodeſſe voluit, V. A. mihi gratiam ſuam, bonitatem atque beneficentiam in honeſtiſſimo propoſito non denegaturam. Ex his enim, quæ ingenio exercentur, negotiis magno inprimis uſui eſt rerum geſtarum memoria, dum majorum imagines intuemur, vehementiſſime animus ad virtutem accenditur. Non cera, non figura, non pictura tantam in ſe vim habet, ſed rerum geſtarum recordatio, ea deinde flamma egregiis viris in pectore creſcit, neque prius ſedatur, quam virtus rerum famam æquaverit. Et profecto ſi quis hoc ſtudium non adamaverit, quare illum honore atque excellentia dignum judicemus, rationes nullæ ſubeſſe videntur, ut qui virtutis rationem non habet. Servet igitur Deus probos patriæ patres, qualis *Auguſtus* Cæſar, *Mæcenas*, & alii, qui Divorum nomine cenſentur: moriatur *Perſeus* ſine luce & honore, rectorum ſtudiorum hoſtis: recidat in pulverem ejus gloria, & repleatur contradictione & malevolentia ejus memoria ad omnem poſteritatem. Faxit Deus, ut cum in his oris floreant ſtudia & Eccleſiæ magis atque tranquillius, quam in ulla orbis terrarum parte, imperium fauſtum atque felix ſemper ſit, ubi nunc eſt: Bene ſit cunctis, quibus hi conatus noſtri ſunt cordi. Hoc precor, ita fiat: hoc omni contentione enitar, ut intelligant proceres, me pro meo modulo, etſi in ſtatione exigua nullus gratiæ fructus ad me redeat, publicam rem adjuvare voluiſſe. Sed hic ſubſiſtendi finis eſto, ne de beneficentia V. C. quæ longe lateque inclareſcens notiſſima eſt, dubitare videamur. Experientur profecto Patroni bene meriti, me nihil in illis divino cultu proſequendis reliqui feciſſe. Utinam plures eſſent Cancellarii in aulis, qualis eſt *Johannes de Loben*, qualis *Fridericus de Varella*, ſummi viri: qualis præ omnibus eſt *Chriſtianus Diſtelmeyerus*, quos pari pede adhuc multi, qui vere ſunt publicum bonum, conſequuntur, quorum merita non ſolum omnis ætas in hac, ſed etiam in ventura vita æternis præconiis decantabit. Quo nomine

V. A.

V. A. hanc historiæ partem, ut patriæ Patri, omni subjectione consecrare volui, quam si favore benigno dignam fuisse intellexero, animus mihi & calcar additum accrescet, ut mihi nihil tam singulare, tam sepositum sit futurum, quin desiderio, virtutique V. C. deserviat. Omnia cum amittuntur, hæc sola manent reliqua ornamenta, quæ doctorum ingenia conservarunt. Non omnis majestas, nec ulla potentia hoc potest, quod ingenia divina possunt, frigetque & tacet ipsa virtus, quamvis excellentissima, sine illis. Bonus autem si quis est, bene audit, bene vivit, bene moritur, & tandem memoria ejus in benedictione æterna. V. A. ea, qua debeo, fide & submissione, qua possum mentis sinceritate atque pietate, recte valere ex animo precor. Anno nati Immanuelis nostri Jesu Christi MDCV.

LIBRI VICESIMI TERTII
DEDICATIONES.
I.

Amplissimis Viris, sapientia, virtute atque dignitate præstantibus, *Dominis Consulibus & Senatoribus civitatis Storcoviensis*, Mæcenatibus suis observandis, S.

Nicolaus Leuthingerus, M.

CErtum est, perpetuam hanc Dei Optimi Maximi esse voluntatem, ut singuli viros præstantes reverenter colant, omnium laudum genere cum debitis præconiis enixe prosequantur, virtutes eorum sibi ob oculos solicite ponant, animis obfirmate infigant, manibus pedibusque studiose assequantur, ore tandem & calamo pro virili prædicent, neque se transversos rapi patiantur, ut malevole contemnentes, odiis & calumniis appetitos improborum insectationi objiciant: utpote in quibus bonitas ejus cumulate eluceat: misericordia, qua illos mirificat, excellenter emineat: potentia, qua ipsos de stercore erigens non cum profanis, sed populi sui Principibus gratiose collocat, & sub umbra alarum suarum, ut pu-

pupillum oculi sui, protegit, vires suas exerat, custodiens omnia ossa eorum, ne unum ex illis conteratur, quandoquidem in potentatibus salus dextræ ejus. Neque sane ullo unquam tempore ab impunitate alieni fuerunt, qui hos vel mollito sermone, qui sunt jacula, vel veneno aspidum, quod sub labiis latet, vel pedibus velocibus ad effundendum sanguinem, vel alio modo, vim aut fraudem spirante, læserunt, eo adactos, ut in paupertate infirmaretur virtus eorum, vita in dolore, anni in gemitibus deficerent infinitis. Et non desunt nostro hoc seculo exempla, quibus Deus ostendit, quod ira sit indignatione ejus, & vita in voluntate ejus. Hæc cum ita sese habeant, non immerito illos mente & fronte carere putamus, qui in nulla infelicitatis & maledictionis parte ponunt, si nomen suum re & corpore sepeliatur. Id quod Deus profecto minatur istis, qui adversus justitiam atque veritatem delinquunt. Disperdet, inquit *Psalmus*, de terra memoriam illius, fient nati ejus in interitum, & generatione una deleatur nomen ejus, comparatus est jumentis insipientibus, & factus est illis similis. Sicut econtra versa vice illis, qui timeant Dominum, liberaliter promittit, quod gloria in domo eorum, & memoria sit ipsis æterna eventura, ut ab auditione mala non timeant, ne quid regeram de eo, quod nomina eorum scripta sint in libro vitæ & in cœlis. De quibus luculentius *Syracides:* Laudemus, inquit, viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua, multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generatione & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem ipsorum narret Ecclesia. Sunt etiam, quorum non est memoria, perierunt, quasi non fuerint, & nati sunt, quasi non nati, & filii ipsorum cum ipsis. Nemo igitur illos in justam reprehensionem trahet, qui magnorum & illustrium virorum laudes

publice decantant: quod ſic Dei inprimis gloria illuſtretur, & eximia ejus dona, in homines collata, prædicentur, aliique ad pietatem, virtutem, & honeſtatis exercitia incitentur & inflammentur; hinc etiam animus noſter gratus erga bene meritos, viventes & demortuos, declaretur. Pateſcit illud clarius in ſacra Scriptura, ubi Deus ipſe vult in populo veteris fœderis accurate res, domi militiæque geſtas, conſignari, ut ejus bonitas in gubernatione ſalutari, & præmiis recte factorum, & judicium ejusdem in pœnis ſcelerum conſpiciatur. Hinc recte *Macrobius*, literarum, inquit, monumentis memoriæ fulcitur æternitas; & hominum conſervatur immortalitas, hæc vitam prope æternam efficiunt, hæc ad recte agendum, & bene de omnibus merendum, excitant, hæc vitæ brevitatem poſteritatis memoria conſolantur, hæc efficiunt, ut abſentes adeſſe, mortui vivere, horumque quaſi gradibus in cœlum aſcendere videantur. Et quandoquidem ſæpe idonei ſcriptores deeſſent, quod ſpiritus æthereis ſedibus ille venit, in quibus ſit σύνεσις πολιτικὴ καὶ δύναμις ἑρμηνευτική, qui judicio exacto præditi, momenta, occaſiones, cauſas, & univerſim περιστάσεις rerum & negotiorum conſiderent & diſcernant, ipſaque loca perveſtigantes rerum geſtarum, explorata habeant tempora, æſtiment perſonarum naturas, ingenia & mores, & conjectari ſciant ex iis, quæ non expreſſa ſunt, argute & dextre: reganturque non affectuum impetu, ſed recte conſtantisque judicii norma, deligentes inſignia & neceſſaria, prætereant obſcura, quæ ut aliqua ratione celebrentur, digna non ſint: Deinde agnitas res atque animo conceptas perſpicua, diſerta, rebusque accommoda oratione ſignificanter exponere poſſint, & ſicut *Polybius* præcipit, totam omnium temporum hiſtoriam, animo comprehenſam, & velut ante oculos, & in conſpectu habeant, non per tranſennam quaſi hiſtoriæ majeſtatem ſalutantes, ſed ut illa fiat σωματοειδής, integro perfectoque corpori ſimilis, cum videamus plerosque partes tantum ex hiſtoriis decerpere, qui ſimiles ſint ὀνειρώζουσιν, qui non melius de rebus magisque ſtatuant, quam

de

de elegantia & pulchritudine corporis alicujus pronuncient: discerptas atque disquisitas partes seorsim contemplantes, fabrica integri corporis & compositione nunquam visa. Hinc nempe cippi, obelisci, statuæ & imagines poni cœperunt, quæ artificum quidem industriam commendant, & inani oblectatione oculos pascunt, sed prudentiorem & sagaciorem neminem dimittunt, spectanturque saltem in iis locis, ubi commorantur, neque se longius proferunt, sæpe etiam vepribus & dumetis undique septæ obscurantur, aut vetustate collapsæ pereunt. Ad illum modum transire justa magnifice persoluta, ludos sumptuosissime peractos cito vilescere, spectacula apparatissime data senescere videmus. Solæ literæ consignatæ manent, ut mirandum non sit, quare *Agesilaus Spartiates* à nullo pingi vel fingi voluerit, quod unum *Xenophontem* in se laudando facile omnes imagines statuasque superare sciret. Et profecto si qui ejusmodi viris, qui historiæ professionem ament atque tractent, vim vel fraudem inferunt, idem faciunt, quod is, qui jugulo reipublicæ gladium, patriæ facem admovet, ut perdat. Sic *Seneca* à *Nerone* vita fortunisque privatur, cum Romam, in regiones 14. divisam, incendisset, ex quibus quatuor tantum integræ manserunt, tres solotenus dejectæ, reliquis septem vix paucorum tectorum vestigia lacera & funesta retinentibus. Mea quidem à multis annis commentatio passim nota est, in qua bene meritis fidem meam probare volui, quod si exspectationi illorum aliqua ratione satisfeci, lætor. Utinam vero istorum virtutes ita exprimere potuissem, ut expressæ, non adumbratæ, depictæ, non narratæ, spectatæ, non scriptæ viderentur. Sed quoniam mihi à natura datum non est, ut Minervæ templum, ubi depositum fuit breviarium omnium rerum in oriente gestarum à *Pompejo* & aliis, sed tantum fortis fortunæ cum infimi subsellii sortisque hominibus, adirem, vel ut Neptunum, qui *Consus* alias dicitur, quod consiliorum secretorum Deus esset, consulerem, neque accideret mihi, quod *Vario* Imperatori, qui decem millia pondo aranearum,

 ope-

opera ſervorum, per domos urbis collegerat, & inde colligebat, quanta eſſet Roma, ita & ego ex qualicunque mea induſtria cognitionem, ſi non omnium, at ſaltem præcipuarum rerum in medium cum plauſu & fructu afferre poſſem. Sed qualis mea eſt fortuna, quod in extero ſolo vage hinc inde palando tenuem victum, & libertatem animi tranquillioris quærere, & in vaſta ſolitudine, ſub dio, urente frigore & calore, in popinis, tabernis, cavernis, inter gigantes, cyclopes & polyphemos, perferendo pulices, culices, crabrones, injurias, rapinas, vim ſceleratorum, furum, malorumque hoſpitum, convitia, vulnera, verbera, plagas, odiaque iſtorum, qui non debebant calamitoſo addere calamitatem, adeo, ut meum exitium meditantes, ex me quærere non erubeſcant, quis te ſuſtentat? excipere & tolerare cogar: tale meum quoque eſt orationis genus impolitum, aridum & exangue, hiulcum atque exſuccum, carens varietate, gratia & nitore, teretes & religioſas elegantium aures offendens magis, quam delectans. Sed in quibus omnibus mihi usque huc Deus adfuit, aſtans à dextris meis, videns humilitatem meam & laborem meum, conſiderans dolorem, nec concludens me in manibus peccatorum, ſtatuendo pedes meos in loco ſpatioſo, mirificandoque mihi miſericordiam ſuam in civitate munita, ne genua mea infirmata à paupertate, carove immutata propter famem, inveteraſcendo inter omnes inimicos, plane deficerent, quoniam in manibus ejus ſortes meæ, in quem omnem meam curam jacto, qui me porro enutriet, & non in æternum fluctuationem juſto dabit, illis autem, qui faciunt ſuperbiam, abundanter retribuet. Ipſe me hactenus corroboravit, ut in hoc bivio conſtitutus, cum Deo fecerim virtutem, à multis ſæpe tentatam, ſed propter aſperitatem viæ deſertam: Qui enim, quam potuit, dat maxima, gratus abunde eſt, & finem pietas contigit illa ſuum. Turpe mihi certe fuit, imitari ſacerdotes Ægyptios, qui, cum nullum pro rerum dignitate carmen ſe reperiri poſſe exiſtimarent, ſonum tantum quarundam literarum decantarunt, oſtendentes, nihil

ſe

se posse, sed plurima interim velle. Et quia historiæ dignitas tanta sit, & encomia ejus ita illustria & pervagata, ut calamistris meis aut hedera suspensa opus non habeant, persuasumque sit mihi, C. V. judicium sapientius esse & πολιτικώτερον, quam ut sanctissimam hanc philosophiam, magistram vitæ ac morum, suo patrocinio & munificentia indignam judicet, & quoniam hæc non semel, sicut necessaria, ita commoda fuerit meo instituto, afferens præsidia atque subsidia meæ tenuitati: Equidem ego, qua debeo submissione, oro, ut, quia potestas imperandi debeat esse πρὸς ἐυεργεσίαν, ἀλλ' ἐ πρὸς ὕβριν, ad mea studia, velut numen propitium, sereniore vultu respiciat, faciatque, hic ut perpetuo luceat igne focus. Corybantes nihil moror, exclamans illud tritum:

Urite, vel ferro me scindite, vel maris undis
Mergite, cum pereunt omnia, scripta manent.

Ego, qui annum jam septimum & quinquagesimum peregrinor, opto, ut mihi in terris tandem post multa naufragia tranquillæ, & in cœlis æternæ beatæq; quietis portus patefiat. In transitu Silesiæ anno MDCVIII.

II.

Amplissimis Viris, virtute, sapientia, ordine & dignitate præstantissimis, *Dominis Consulibus & Senatoribus civitatis Ratenoviensis*, Patronis suis reverenter colendis, S.

CUm nullum vitium sit detestabilius, quam ingratitudo, inprimis erga patronos bene meritos, gratiamque à nobis Deus, natura, lex & honestas ipsa requirat, & præmia certa, eaque amplissima ipsi decernat, ego me libenter in numerum eorum censeo, qui sua omnia alienæ virtuti accepta referunt, neque mihi dies ullus abit, quin meam vicissim operam illi paratissimo animo deferam, ita, ut nihil mihi tam sepositum & singulare sit, quin huic desiderio deserviat. Et inprimis Deo Optimo Maximo gratias ago, quod adhuc, in delira hac mundi senecta, organa reipublicæ salutaria hinc inde excitet & servet, quæ vere sunt bo-

num publicum, & in excellentia conſtituta virtutis ſectatores omni officiorum genere munifice complectuntur, non illum, ſicut conqueritur *Plutarchus*, ob finem, ut famulante ipſis bono ingenio, virtutem alienis factis ſuffocantes, figmenta fucatis plumis veſtita palliant, & pro hiſtorica majeſtate mendacia attollentes ventilent, ſed, quia reverentia & caritas locorum atque hominum mirifice augeri videatur, ſi prædicatione, fide ſuffulta, celebretur, illa condigna immortalitatis præmia inde conſequantur. Agnoſco etiam reverenter hanc excellentiam, & in ejus judicio totus acquieſco: vult enim ab inferioribus ſuperiorum dona coli, & debitis laudum præconiis prædicari Deus, ut ſimul & ipſe, auctor omnis boni, in iis laudetur: Precatus à Servatore noſtro unico, ne propter perverſi mundi, magis magisque in pejus ruentis, craſſam ingratitudinem, hoc nos bono omnino privet, & tum demum intelligamus, quid habuerimus in noſtra poteſtate, ſed illud reipublicæ Chriſtianæ perpetuum & ſalutare eſſe velit. Et hoc conſilio Commentarios meos hactenus edidi, utpote pietatis meæ in patronos teſtes, in quibus ſicut nulla mihi adulatio propoſita eſt, ita ab omni convitiorum genere, perpetuo mihi ſimilis, prudens abſtineo. Laudatur *Demoſthenes*, quod juſſus ab Athenienſibus accuſare quendam, noluerit, inquiens, conſultorem me ſemper habebitis, etiam invitum, calumniatorem ne ſi velitis quidem. Idem mihi certe inſtitutum propoſitum eſt: quod etiam tenere in poſterum, ſummæ mihi curæ erit. Et quamvis optimo jure meis malevolis reſpondere poſſim, qui cum perfectiora proferre nequeant, aliorum labores nequiter ſuggillant, & imperitiorum animos à veritatis ſtudio avertunt, attamen patienter iſtos hactenus fero, concedamque in poſterum quoque omnibus, cum Davide exclamans: Subjecta eſto Deo, anima mea, quoniam ab ipſo eſt patientia mea: vide, Domine, humilitatem meam, & laborem meum, & dirige in conſpectu tuo viam meam propter inimicos meos, qui ſalvos facis rectos corde. Veniat *Lazarus* foras,

&

& ad ignem hunc propius accedat, plus ſatis & ipſe calefiet, & fortaſſis uſu rerum rectius edoctus, æquior nobis erit. Interim meminerint ſaniores, quantis ego cum difficultatibus quotidie confliсter, quot cum beſtiis & quam cum horrendis mihi ſit depugnandum, & quam nullibi civitatem inveniam manentem, immo cui nec futuram inquirere, per homines perverſos, licet: ſed cui quæſtus eſt magnus pietas, cum animo ſua ſorte contento, ut qui didicerim in his, in quibus ſim, acquieſcere. Scilicet, nihil intuli in mundum, nec efferam quidquam, habens alimenta, & quibus tegar, his libenter contentus ſum. Quod ſi eſurire, & penuriam pati contingat, ut ſæpenumero fit, in eo quoque inſtitutus ſum, Deo me corroborante. Non eſt igitur, in quo glorier, niſi in infirmitate, per quam Deus eſt efficax, & vanitatem mundanam confundit. Conſultius autem eſſet rebus humanis, ſi proceres veterum veſtigia pronius adorarent, & dum in ludicra & in ignobiles atque ſordidas artes inutiliter maximos ſumptus, qui ſæpe nullo cum fructu, ſed magna cum jactura ſunt conjuncti, faciant, ut etiam huc aliquid conferrent, ubi ad univerſæ patriæ gloriam, virtutisque immortalis incrementum aſpiratur, noſtraque ſtudia ſereniore fronte, manuque liberaliore adjuvarent, imitati auctorem omnis boni Deum. Is certe præcipit, ſua à mortalibus opera & magnalia, & terribilia & mirabilia, agnoſci, & ad poſteritatem fideliter transmitti, eaque à patribus nota fieri filiis, ut illi, qui naſcuntur & exſurgunt, ea denuo filiis enarrent. Ego ſane, cum huic militantum labori me delegatum divinitus experiar, difficultates omnes aſſiduitate ulciſcor, quæ etſi omnino tales, proh dolor! ſint, ut nec infernus portenta triſtiora eructare poſſit, attamen ad ultimum me captivum ducere, expugnata conſtantia, hactenus nequiverunt, licet à plerisque credatur, ejus laboris vim non explicari poſſe, quamvis Carneadem ipſum orcus ad nos remittat: propterea, quod novum ſubinde lolii genus expullulet, & mortales, veteri quaſi lethargo ſopiti, barbariem in-

cre-

crescentem non aliter, atque Cæcias nubes solet, non sine rerum bonarum fastidio, attrahant. Coactus igitur sum, tum necessitate, tum naturæ me impetu exstimulante, magnas peregrinationes suscipere in diversas regiones, inter complures populos, qui multis inter se discriminibus differunt. Quis enim negabit, quod singuli suas proprietates, suaque attributa teneant, opinioneque prudentium judicetur, ut saltem de Germanis aliquid regeram:

Austria magnifica & fastuosa,
Bavaria splendida & superstitiosa:
Saxonia magnanima & fortis,
Hassia callida & levis:
Westphalia ingeniosa & contentiosa,
Pomerania prudens & litigiosa:
Megalopyrgum ferox & immite,
Lusatia sæpe tentata, sæpius appetita:
Holsatia truculenta & barbara,
Burgundia procax & aspera:
Belgium venereum & artificiosum,
Lucelburgum horridum & nemorosum:
Bohemia dives, & natura munita,
Alsatia arrogans & acuta:
Voitlandia rustica & garrula,
Moravia fertilis & tremula:
Helvetia bellicosa & ovabunda,
Suevia dicax & gloriabunda:
Tractus Rhenanus sacer & populosus,
Palatinatus uber & fructuosus:
Lotharingia claudicans & fallax,
Marchia aperta & simplex:
Misnia culta & liberalis,
Thuringia superba & inhospitalis:
Franconia laboriosa & insolens,

Si-

Silesia amabilis & elegans:
Frisia inquieta & fervescens,
Borussia orbis amor, & libertatis amans.

Et quia mihi ferme contingat, quod Lacedæmoniis, quibus fas non erat ad lumen incedere, ut assuescerent confidentius in tenebris ire, & ego in cryptis quasi subterraneis veritatis lucem laboriose quærere plane necessum habeam, tetricis undique conclusus obscuritatibus, spero, V. A. quæ singularibus à Deo ornamentis decorata est, & patriam amat, præsidium aliquod atque auxilium laboribus nostris, ut ante, favorabiliter allaturam. In quo si me spes mea atque animus non fallat, dispeream, si non vicissim Dii Deæque omnes V. A. amaturæ, simulque Musæ & Charites hanc virtutem debitis laudum præconiis prosecuturæ sint. Fama ad æternam memoriam benefacta illa proferet, mirabiturque omnis insecutura ætas hoc exemplum, quod sibi semper ob oculos alii amplissimi ordinis Viri proponendum judicabunt: Et Deus Optimus Maximus omne quoque consilium V. A. confirmabit, implebitque vestras petitiones, & tandem longitudine dierum replebit. Laus ea fuit huc usque V. A. peculiaris, quam certe conservare studebit. Et ego, licet in tenui agello me Deus atque fortuna constituerit, dabo operam, ut omnes mei patroni & fidem, & officia fidelis clientis & animi grati nunquam desiderent, cum ea exspectatione, V. A. conceptam erga me indignum semel benevolentiam nunquam deposituram, sed me meaque studia sibi semper commendata habituram. Quod futurum omnino tunc putabo, si hosce commentarios favore suo dignos censebit. Beneficium profecto debito recompensabitur officio. V. A. rite valere precor. Ex Regiomonte Borussiæ, ao. M DC VI. in quo erant magnæ concertationes inter Sereniss. Pr. El. atque Dominum, Dn. JOACHIMUM FRIDERICUM, Marchionem Brandenburgicum, Borussiæ Ducem designatum, atque nobilitatem illius regionis, coram SIGISMUNDO, Poloniæ Rege, ejusque regni Senatu, ma-

 gni-

gnique passim motus in istis oris metuebantur, atque omnino impendere videbantur, illo eventu, ut legationes frequenter, nunc in *Borussiam*, nunc in *Poloniam*, nunc in *Marchiam*, essent mittendæ: & ad *Vistulam* Polonorum insolentia incredibilem exerceret, inprimis in illos, qui pagatim habitant, petulantiam, ita, ut nec parceretur civitatibus. Qua sane re *Gedanenses* & *Torunienses* adducti, militem & conscripserunt & aluerunt, postquam in aliquot locis comitia habita fuissent pacis causa. Faxit Deus Optimus Maximus, ut imperium Brandenburgense per incrementa magis magisque in augustam majestatem excrescat, ipsaque Marchia omni virtutum, & gloriæ laudisque genere universo orbi innotescens, & beatissima, & fortunatissima reddatur, in qua nempe Deo grata atque jucunda, & incolis salutaria cuncta, hostibus autem illius omnia adversa & tristia eveniant: & pacis serenitas ubique locorum, in singulis provinciis Serenissimorum Marchionum Brandenburgensium effulgens, Ecclesiæ & studiis ingenuis exoptata Halcyonia, in extrema hac mundi, magis magisque in pejus ruentis, senecta, præstet. Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur, at pace nihil melius, & pacifici hæreditatem terræ possidebunt. Votum hoc ratum esto, & sic, cum illo Romano, hic optime manebimus.

Amplitudinis V.

Servus
Nicolaus Leuthingerus,
Bonarum artium & Philosophiæ Magister,
Poëta laureatus, & Histor. Brandenb.

LIBRI VICESIMI QUARTI DEDICATIONES.

I.

Senatui *Spandoviensi* erat verbis, quibus præcedens *Ratenoviensi*, hic liber inscriptus.

II.

II.

Ampliſſimis Viris, ordine, virtute & prudentia præſtantibus, *Dominis Conſulibus atque Senatoribus civitatis Weiſſenfelſi*, (in al. edd. *Torgenſis*, al. *Leisnicenſis*,) patronis ſuis colendis, S.

M. Nicolaus Leuthingerus.

MAgnum eſt in viro ingenuo ornamentum, ſi ad reliqua vitæ humanæ neceſſaria ſtudia hiſtoriæ cognitionem adjungat. Quod ſi forte imperito, quo nihil eſt injuſtius, perſuaderi non queat, producatur ille in mundi univerſi theatrum, inſpiciat regna, ſcrutetur urbes, attendat ad ſuperiorum & inferiorum magiſtratuum gubernationes, addiſcat bellorum rationes, inſtituat peregrinationes, ſuſcipiat profectiones, vivat in otio vel negotio, Marte vel arte, in bello vel toga, terra marive agat, ne quid de aliis, mortalium generi oportunis, officiis regeram, libenter nobiſcum, niſi plane ſtolidus inſipiat, fatebitur, campum hiſtoriæ longe ampliſſimum eſſe, uſum vero ejus tantum, ut nulla eccleſia, aula, academia, civitas absque illa locum tueri, nullum munus recte adminiſtrari jure poſſit. Faceſſant igitur ocyus hinc profani fratres ignorantiæ, ventres craſſi, ſtellæ erraticæ, nubes ſine aqua, quibus regio non eſt, absque fronte, absque pudore nobis occinere, quid nobiſcum hiſtoria? utpote quibus nec cum Deo ipſo quidquam eſt commune. Tantam ſcilicet habent bibliorum notitiam, ea diligentia ſtudium antiquitatis ſibi habent commendatum, ſic in vitis ſanctorum & patrum, velut in ſpeculo, ſeſe intuentur, & ad eorum exemplum vitam ſuam conformant, ita tempora cum noſtris temporibus, mores præſentis ſeculi cum ætate patriarcharum, prophetarum, apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum comparant. Sed quid commune poteſt eſſe luci cum tenebris, DEO cum Mammone, vitæ cum morte, ſcientiæ cum ignorantia, virtuti cum vituperio, honeſtati cum infamia? Siquidem in eodem apud iſtos po-

natur momento, esse *Sardanapalum* & *Socratem*: in deliciis habere avaritiam, luxum, Bacchum, Venerem, & pietati, probitati, musis charitibus placere. Hic patiantur se erudiri, vel saltem in memoriam sibi revocent, non esse idem, laudari à laudato, & omnium bonorum execrationem pati, esse *Ciceronem* & *Catilinam*, *Curtium* & *Coriolanum*, *Ulyssem* & *Thersitem*, longe præstabilius censeri, nominis immortalitatem bene faciendo mereri, quam sine nomine, sine re sepeliri. Si Satanas *Erfurdensis* meritatur dies antiquos, cur non magis cum Davide, ad normam septuagesimi septimi Psalmi, homo ad imaginem Dei conditus? Si infans ille est, qui nescit, quid factum, antequam sit natus, quo nomine nominemus illos, quibus neque præterita, neque præsentia curæ sunt? Qui cum patriam suam nesciant, quo in loco peregrina externaque apud illos esse putabimus? Sed non est instituti nostri, vel respondere inimicis historiæ, vel hujus studii laudem atque commendationem instituere. Quod per se bonum est, alienis encomiis, hederaque suspensa non indiget, seque ipsum satis superque commendat. Quævis planta ex fructu suo agnoscitur, si fabulæ sua dignitas constat, quid non ex historia sperabimus? Affine atque propinquum est fabulis mendacium, historias perpetuo comitatur, vel pedissequa veritas. Quanto igitur præstantior mendacio est veritas, tanto potiorem sibi præcellentiam præ cunctis fabulis vendicat historia. Valeant igitur omnes, qui sunt horum studiorum, quibus occupata est historia, hostes, & bene sit cunctis, qui ea sinceris benevolentiæ stipendiis prosequuntur. Oriatur illis lux matutina, eantque de virtute feliciter in virtutem, gloria & divitiæ in domo eorum, memoria sit illis æterna, ab auditione mala non timeant. Quales cum ferme sint illi, qui animi sunt generosioris, bonitatem quoque amplectimur, malus ad boni nomen fugit, neque illud ferre potest, ideoque improbitati libentius habenas laxat, quam ut frenum illi injiciat. Et quoniam mira sit bonorum paucitas, fit inde, ut non tantum ipsa historia

sto-

ſtoria in contemtum veniat, ſed etiam ſectatores ipſius odium potius, quam favorem mereantur. Hinc non temere *Plinius* queri videtur, ſcriptores ſui ſeculi non fuiſſe in honore, quia homines laudanda facere deſiiſſent. Quid non igitur hodie fieret? Cernimus, multorum peccata enormia dignitate prætoria, qua ſunt ornati, tegi, & ne deformitas eorum manifeſta fiat, ſcrobibus obrui, ſed ad tempus, eo, quod ex illis cannæ ſeu arundines vocales enaſcuntur, quæ ab artificibus deinde inflantur. Ita cannæ ſunt ſcriptorum calami, qui ea, quæ geſta ſunt, laudabiliter cum debitis præconiis, quæ vero turpiter peracta, cum vituperio ob oculos ponunt, ut quisque honeſta facere, & turpia fugere, ſine multo labore aſſueſcat. Quod ſi præterea illis *Socratis* carcer contingat, ſciant, illud non novum hodie. Exclamat Italus *Romæ*, ſua ſcripta minus accepta fuiſſe: effugere igitur, inquit, libet in *Brutios*, quandoquidem præpinguibus aſinis optime ſegetes in olfactu ſordeant. Si injuria inferatur, æquo illam animo ferant, imitantes Davidem, ſemet ipſum conſolantem his verbis: Subjecta eſto DEO, anima mea, quandoquidem ab ipſo patientia, quæ in æternum non peribit. Cum DEO faciant virtutem, quoniam vana ſalus hominis, qui in tribulatione dabit auxilium, ut liberati ab omnibus neceſſitatibus, cum incolæ illos premant, alienigenæ amici fiant: Precibus etiam fatigent DEUM, qui ſalvos facit rectos corde, ut à perſequentibus ſalvam innocentis animam ſtatuat, aſſiſtens à dextris pauperum, videat humilitatem & laborem eorum, dirigatque in conſpectu ſuo viam propter inimicos eorum. Aſſiduitate tandem & conſtantia ulciſcantur inimicos, ut videant & iraſcantur plenius, dentibus ſuis fremant atque tabeſcant; pereatque deſiderium eorum totum, quo bonis male volunt. Cum igitur in horum numerum me accenſeam, divinitusque me in hanc ſtationem poſitum agnoſcam, equidem, quod omnibus placere & ſatisfacere impoſſibile ſit, eandem ingreſſus viam patienter acquieſco in voluntate divina, ferens omnes inſultus

Satanæ, ejusque complicum, qui etsi omnino tales sunt, ut nec infernus portenta tristiora eructare possit, attamen ad ultimum me hactenus, quia veritatis administrum magis custodiant, quæ non videntur, quam quæ videantur, expugnata constantia, captivum ducere nequiverunt, licet à plerisque crederetur, vim eorum explicari non posse, quamvis Carneadem ipsum orcus remitteret, propterea, quod novum subinde lolii genus expullularet, & mortales, veteri quasi lethargo sopiti, barbariem increscentem non aliter, atque Cæcias nubes, non sine bonarum rerum fastidio, attraherent. Nec sane ipsa me paupertas extrema ab hoc instituto, etsi conditiones fructuosiores oblatæ intervenirent, avertere potuit, parvipendens, quod summis difficultatibus undique circumseptus, nullibi civitatem manentem invenirem, immo nec futuram inquirere per quosdam malevolos, quos tamen vindicta divina longo ordine corripuit, liceret, memor præcepti illius sapientis, Historicum sine civitate & certa sede esse oportere. Sed cui quæstus magnus esset pietas cum animo sua sorte contento, ut qui didicerim in his, in quibus sim, acquiescere. Scilicet nihil in mundum intuli, nec efferam quidquam, habens alimenta, & quibus tegar, his libenter contentus sum. Quod si esurire & penuriam pati contingat, ut sæpenumero fit, in eo quoque institutus sum, Deo me indignum corroborante. Nihil tamen me æque perdidit, quam id, quod, dum in ludicra & in ignobiles atq; sordidas artes maximos sumptus, qui sæpe nullo cum fructu, sed magna cum jactura sunt conjuncti, inutiliter faciant, huc parum conferant, proceres, quod instituto adjumento fructuose esse queat. Coactus igitur sum diversos populos adire, eorumque annales atque fastos consulere. Qui sane ut regionibus, ita discriminibus multis inter se differunt. Quis enim negabit, quod singuli suas proprietates, suaque attributa teneant, ita, ut dicatur

Austria magnifica & fastuosa,
Bavaria splendida & superstitiosa:

Sa-

Saxonia magnanima & fortis,
Haſſia callida & levis:
Weſtphalia ingenioſa & contentioſa,
Pomerania prudens & litigioſa:
Megalopyrgum ferox & immite,
Luſatia ſæpe tentata, ſæpius appetita:
Holſatia truculenta & barbara,
Burgundia procax & aſpera:
Belgium venereum & artificioſum,
Lucelburgum horridum & nemoroſum:
Bohemia dives, & natura munita,
Alſatia arrogans & acuta:
Voitlandia ruſtica & garrula,
Moravia vertilis & tremula:
Helvetia bellicoſa & ovabunda,
Suevia dicax & gloriabunda:
Tractus Rhenanus ſacer & populoſus,
Palatinatus uber & fructuoſus:
Lotharingia claudicans & fallax,
Marchia aperta & ſimplex:
Miſnia culta & liberalis,
Thuringia ſuperba & inhoſpitalis:
Franconia laborioſa & inſolens,
Sileſia amabilis & elegans:
Friſia inquieta & ferveſcens,
Boruſſia orbis amor, & libertatis amans.

Et quia mihi ferme eveniat, quod Lacedæmonis, quibus fas non erat ad lumen incedere, ut confidentius in tenebris ire aſſueſcerent, & ego in cryptis quaſi ſubterraneis veritatis lucem laborioſe inquirere plane neceſſum habeam, tetricisque obſcuritatibus occluſus, hoc omnino agam, ut enarrem opera Herouın, virorumque bonorum atque magnorum Principum, in ea plane ſum ex-

expectatione, me ab iis, quibus historia curæ est, patrocinium in justa causa impetraturum. Quandoquidem autem Principibus & magistratibus illud præ aliis merito curæ esse debeat, & V. C. eum in republica Christiana locum dignitatemque teneat, ut plurimum opis dubiis nostris rebus afferre, studiaque nostra in sortem sereniorem transponere, imo in portum tranquillum ex toties passo naufragio ventis secundis immittere possit, aliisque amplissimi hujus ordinis, quem Deus imperiis destinavit, immortalis hujus gloriæ facem præferat, C. V. ea, qua possum, & qua debeo, pietate, subjectione & fide supplex oro atque obsecro, ut in gratiam patriæ has sibi meas Musas commendatas habeat, & fronte serena, pectore magnanimo, favore propitio, clementioribus gratiæ atque beneficentiæ stipendiis prosequi non dedignetur. Id beneficium & DEO gratum, & bene meritis jucundum, Principibus oportunum, patriæ commodum, mihi inprimis necessarium, debito officio, immortali gloria, æterna laude, omnis generis officiis semper recompensabitur. C. V. ardentibus precibus, piaq; devotione protectioni divinæ commendo. Ex itinere cum ex longinqua peregrinatione ad intermissa studia reverteretur. Anno MDCVII.

LIBRI VICESIMI QUINTI
DEDICATIONES.

I.

Illustrissimo & generosissimo Principi ac Domino
JOACHIMO FRIDERICO, *S. R. I. Septemviro*, *Marchioni Brandenburgensi*, *Prussiæ*, *Stetini*, *Pomeraniæ*, *Cassubiorum*, *Slavorum*, *Crosnæ*, *in Silesia Duci*, *Burggravio Norinbergensi*, *Principi Rugiæ*, *&c.*
Domino suo clementissimo, S.
M. Nicolaus Leuthingerus.

ETsi hoc nostro seculo studium historicum apud plerosque, præpostero insanientis atque insolentis mundi judicio, non solum à bar-

à barbarie & ſupercilio in exiguo momento ponatur, verum etiam incredibilia pericula, difficultates prodigioſas ſecum trahat, ſi quis tamen generoſioris eſt animi, & impetu heroico ad veram & immortalem gloriam, ſplendore virtutis ſolidæ duce & adminiſtro, feratur, ille facile, hoc ſtudio nihil præſtantius, nihil jucundius, nihil magis neceſſarium eſſe, & ſolem è mundo tollere, qui ſecus ſentiat, ſineque eo omnium facultatum chorum obmuteſcere, fatebitur. Quo magis non admirandi, ſed execrandi, deteſtandiq; ſunt homines, qui omnia ad divitias opesque referunt, & ex iis præſentiſſimum atque perfectiſſimum voluptatis, unice amplexandæ, uſum fructum non tam ſibi advocare vel promittere, quam pleno guſtu percipere ſe poſſe, ſpe vana atque inani opinione, ſomniant. Hinc virtutis cum nulla habeatur ratio, vitiorum ſentinam, in genus humanum portentoſo auſu dimanandi, occaſionem atque facultatem arripere, luce meridiana clarius eſt. Cum igitur laſciva improbitas delectet, barbaries ſit in deliciis, ſummum bonum in ſummum malum convertatur, fit, ut illi, qui hoc ſtudium ex profeſſo tractant, honore excluſi, paupertate ſubacti, calumniis obnoxii, periculis gravati, nullo non afflictionis atque contradictionis modo circumfuſi, in gurguſtiis ſuis, velut caculæ, ingemiſcere, ſuarumque rerum ſtatum deplorare cogantur, & in nullo pretio reputentur atque ducantur, quod mortales laudanda facere deſierunt. Interim Dei Optimi Maximi benignitas quosdam Atlantes ſinceros atque reipublicæ amantes excitat, qui ſuſtinent cœlum, ne corruat, ne in iſtos ingratos & male feriatos ſtragem facta impreſſione edat. Tales fuerunt Principes non pauci in hac illuſtrisſima familia, ex qua Celſitudo V. genus & ortum trahit, quibus hoc ſtudium ſerio curæ fuit, & qui ſingulari munificentia ejus auctores complectentes, nihil reliqui fecerint, quod ad illius incrementum pertinere videretur, & propterea debitis præconiis ad omnem poſteritatem, in memoria grata & æterna, nominis immortalitati commendati atque celebrati, vivunt & triumphant glorio-

 ſe:

ſe: cum econtra iſti, quibus iſtud, ejusque admiratores ſordebant neglecti, ſine re, ſine nomine ſepulti, ſine honore, atque memoria, etiam ſuis inviſi, ad ſtygias paludes penetrantes, opum ſuarum magnificentia nihil ſublevati, miſere intereant, & , ut Poëta canit, iſtorum vita cum gemitu fugiat indignata ſub umbras, Mammoni ſuo theſauros craſſa ſtultitia lapſi relinquentes, perſequente hos odio hominum, indignatione atque judicio Dei, pœnæ tandem ſupplicio inferni. Ejusmodi ſalutares Principes, qui coluntur veneratione perpetua non tantum in Germania, ſed etiam apud exteros, tam voce, quam calamo, à doctis atque indoctis, fuerunt JOACHIMUS II. Elector Brandenburgicus, AUGUSTUS, Saxoniæ Septemvir, GEORGIUS FRIDERICUS Brandenburgicus, quorum geſta factaque, quorum beneficentia nunquam intermorientur: Eſtque recordatio eorum apud ſubditos, aliosque omnes, adeo grata atque jucunda, ut vix aliud majore deſiderio requiratur atque expetatur. Horum jam locum explet Celſitudo V. ea exſpectatione, ut illa virtute, quam ſpondet naturæ bonitas ac generoſitas, & quam animo conceptam ſibi ſinguli & univerſi pollicentur, gloriam illorum longo intervallo tranſcendere velit atque poſſit. Eſt hæc regio, quam illi gubernandam ſumma poteſtas atque majeſtas tradidit, aëris ſalubritate temperata, oppidorum frequentia, atque arcium cultu amœna, ſubditorum parata fidelitate commendata, juſtitiæ laude celebris, fortitudine inprimis, religione, & ſtudiorum reſpectu notiſſima, ad quæ Dei beneficia cum donum longe pulcerrimum accedat, ut illi præſit talis Princeps, qualem Celſitudo V. feliciſſimis auſpiciis præ ſe fert; felix profecto populus is juſtiſſima de cauſa cenſetur, cui taliter fecit Jehova: & quia ampliſſimus campus Celſitudini V. apertus eſt, bene merendi de republica Chriſtiana, de religione, de ſtudiis, benefaciendi etiam illis, quorum opella opportune obſequi commodis publicis queat, neque ſane mens, neque animus deeſt Celſitudini V. ad ſatisfaciendum cunctorum ſpei, equidem Deo Optimo Maximo agimus multa

ta

ta cum ſupplicatione gratias pro hoc tanto, in hac delira mundi, magis magisque in pejus ruentis, ſenecta, munere, precamurque, ut illud nobis felix fauſtumque ſit perpetuo, ſimulque geſtientes gratulamur nobis atque turbatæ Eccleſiæ de hoc duce, cui fidere, & in cujus virtute ſecure atque ſuaviter acquieſcere poſſimus. Muſæ quoque noſtræ ad pedes Celſitudinis V. advolutæ projiciunt ſeſe ſupplices, eam ſibi ſolum Dominum, qui ad res inopes clementiore vultu reſpiciat, ea, qua debent, ſubmiſſione, advocantes, ex ejus clementia & propitia benignitate præſidium ſibi, ſimul & ſubſidium, promittentes, in eo labore, qui verſatur circa gloriam nominis, rerum, & factorum Celſitudinis V. ejusque familiæ inclitæ, atque patriæ. Et quamvis iſta tenuitatem humanam ſuperare, neque noſtra opera aſſequi poſſe videantur, inprimis cum virtus à fortuna deſtituatur, nihil tamen tam arduum putandum, quod non à virtute, favore divino ſuffulta, cum tempore vinci queat. Eſt etiam Deus in infirmis efficax, neque indiget purpura, vel galero, atque mitra ad ea, quæ vult durare ad poſteritatem, & rite peragi. Humilia enim, non faſtuoſa, non elata, reſpicit in cœlo & in terra. Ego quidem ita educatus inſtitutusque ſum, ut ex meis ſtudiis ſibi Principes Viri amplum quid promittere debeant; Natus *Landesbergi* ad *Suevum*, quod eſt opus, fuitque ſedes Regum Franciæ, qui ex eo *Vandalos* oppugnarunt: Electores deinde in eo habitarunt, *Slavorum* vim eludentes, donec oppignoratum ad *Crummenſenenſes*, exiguo pecuniæ interventu, pervenit; Patre *Nicolao* Thuringo, illius Eccleſiæ præpoſito. In ludum illuſtrem *Miſenæ*, interceſſione JOACHIMI II. & JOH. GEORGII, Electoris Brand. ad *Georgium Fabricium* adductus, Muſas, Charites ſecum trahentes, ſecutus, ex omnibus ſcientiarum ſtudiis potiſſimum Hiſtoricum mihi ſelegi, fermeque, quidquid conarer dicere, verſus erat, non plane linguæ latinæ, græcæ atque Ebraicæ ignarus; adoleſcens ad ſupremum locum provectus, repetitiones, inſpectionemque per omnia tabulata atque claſſes accepi anno ætatis 17. Triennio poſt

paternum imperium me *Vitebergam* evocavit, cujus decus illa tempeſtate erat *Caſparus Peucerus*, ſed quia analogia religionis interverti putabatur, edicto Electoris *Francofurtum* migrare juſſus; cum jam ætatis annum 19. complerem, auſpiciis Academiæ in Philoſophia ſummus mihi gradus decretus fuit, locavique operam per quinquennium Baronibus, & aliis equeſtris ordinis, donec ad gubernationem ſcholæ *Croſnenſis* ablegarer. Jam tum meas rationes ita inſtitueram, ut me peregrinationi darem, ſed invitus ludo *Spandovienſi* denuo præfectus ſum. Reverſus *Vitebergam*, vitas Electorum Brand. ligata oratione edidi, ſimulque *Landesbergi* in poſſeſſionem fructuoſioris provinciæ immiſſus, poteram felix videri, ſed pertæſus illius vitæ, *Vitebergam* recurrens anno Chriſti MDLXXXIII. ex eo *Europam* ferme omnem non minore animo complexus ſum, quam voluptate incredibili perluſtravi, ornatus laurea Poëtica, auctusque dignitate equeſtris ordinis à FRIDERICO II. Rege Daniæ. Adjuverunt etiam ſtudia mea alii illuſtriſſimi Principes, quod ipſum à Celſitudine V. expecto atque peto. Habet laudata virtus calcar, admotique ſtimuli benignitatis & gloriam Celſitudini V. addent, & mihi laborem minuent, gratiſſimumque officium patriæ & familiæ illuſtriſſimæ Celſitudinis V. bona fide libris LXVI. præſtabunt. Quam Deo Optimo Maximo ardentibus precibus commendo. Ex gallico itinere anno MDCIII.

II.

Ampliſſimis Viris, ſapienti prudentia, erudita virtute, conſpicua dignitate, & honeſtatis excellentia præcellentibus, *Dominis Conſulibus & Senatoribus civitatis Ratenovienſis*, P. P. Patronis ſuis cum fide colendis,

M. Nicolaus Leuthingerus S.

APud *Apollonium* in Argonauticis egregia exſtat pictura viciſſitudinis humanæ, quæ tamen, benignitate divina ſublevata, exitum tandem felicem conſequitur. Cum enim Argonautæ, ad vel-

vellus aureum eruendum, longinquam & periculoſam navigationem in *Colchidem* ſuſciperent, mox à lætis initiis ad ſummas difficultates reciderunt, eo quod non ſolum multum temporis laborioſe inſumerent, & intra *Helleſponti* anguſtias, & in *Cyanæis* ſcopulis vix ægre ſervarentur, ſed etiam in ponto *Euxino* cum extremo vitæ atque rerum diſcrimine conflictati, pene naufragium deſperabundi facerent: *Herculis* tandem, in cujus præſidio atque virtute unice acquieſcebant, diſceſſu ſupra modum conturbarentur. In qua fluctuatione etſi multa ſolicitudo animos curis æſtuantium circumfunderet, & ancipitem cogitationem ſuſcepti itineris afferret, non tamen transverſos ſe rapi paſſi ſunt, ut de reditu in patriam conſilia inirent, quin potius magna cum fiducia & conſtantia ad *Margandinæos* curſum navis dirigerent. Apud quos à *Lyco* Rege magnifico apparatu excepti, omnis ſuperioris afflictionis oblivifci videbantur, animis, à triſtitia profunda ſubactis, in lætitiam effuſam verſis. Sed gaudium illud diuturnum non fuit, quod vatem ſuum *Idmona*, paulo poſt etiam ſapientiſſimum & feliciſſimum ſuum rectorem *Typhin* inſperata morte amitterent. Quo triſti caſu fracti ita conſternebantur, ut de abrumpenda prorſus navigatione ſerio conſultarent. Verum *Junonis* oraculo moniti, ut, cogitatione de reditu in patriam ſuppreſſa, iter ſuſceptum continuarent, obſequia tandem ſua ad Deæ arbitrium conformantes, profecti in *Colchidem* fauſto omine, vellere potiti ſunt, & difficultatis gravitatem lætitiæ amœnitas diſcuſſit. Ad eum omnino modum me in his commentariis ſcribendis variam fortunam ſubiiſſe, fateor: initia quidem læta erant, & ſpondebant felicem ſucceſſum, ſed aliquanto poſt alia ſe tempora, alii mores, aliæ tandem ſeſe res dabant, adeo, ut difficultates infinitæ effuſe in me conſpirarent. Nec multum abfuit, quin me penitus ſubactum ſibi obnoxium redderent totum. In his paupertas non poſt principia erat, ſed tanquam miles autoratus & anteſignanus, primam in me impreſſionem fecit, poſtquam ab inimicis meis oppreſſus, jacturam

rerum mearum omnium pati, & in peregrinationibus injurias, rapinas incredibiles experiri, coactus sum, & alias hæc studia de pane lucrando non essent, quibus propter veritatem, quæ professorem suum amaritudine replet, omnia præsidia maligne detraherentur: ego quoque huic me studio, relictis atque posthabitis fructuosis conditionibus, unde me honeste sustentare poteram, totum dederem. In quem finem peregrinationes maximas ad diversos populos suscepi, pertraxitque me voluptas illa summa, qua ad eas prosequendas ferebar, ad longinqua etiam regna, perfecitque, ut *Italiam*, *Siciliam*, *Hispaniam*, *Galliam*, *Angliam*, *Scotiam*, *Daniam*, *Sueciam*, *Sarmatiam*, *Poloniam*, *Ungariam*, *Bohemiam*, & omnem *Germaniam*, cum subjectis sibi longe lateque provinciis, avidius, quam commodius perlustrarem. Quanta hic perpessus, quibus difficultatibus objectus fuerim, quales me injuriæ, fraudes, rapinæ appetitum exagitarent, novit ille, qui astitit à dextris pauperis, & salvam fecit à persequentibus animam meam. Mediocri igitur rerum usu atque experientia instructus, cum vegeta memoria multum sublevarer, favor bonorum me adjuvaret, quod cœperam propositum, tenere elaboravi. Sed ut hos conatus everteret invidia istorum, qui cum alios reprehendunt, vix ipsi cucurbitas pingere possunt, & tamen elumbes in summa semper natant saliva, nihil reliqui fecit. Cui se associabat potentia, quæ in meam defensionem evigilare debebat, ea in meam perniciem insaniebat, comites secum trahens non Charites, aut Musas, sed calumnias & mendacia, oppugnans me ab omni parte. Ast ego, qui elegeram abjectus esse in domo Domini magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum, his non adeo multum conterritus sum, cum apud me plus animi, quam ingenii aut virium reperirem, confisus Deo, qui veritati atque justitiæ gratiam atque gloriam promittit, in ea plane fui exspectatione, quod non privaturus esset bonis necessariis illum, qui ambularet in innocentia. Cujus etiam auxilio recreatus, servatus, sustentatus sum, quoniam non est inopia timen-

mentibus Deum, & inquirentes eum non minuentur omni bono, non confundentur in tempore malo, in diebus famis ſaturabuntur, dum divites egent & eſuriunt. Invidia adeo non fractus ſum, ut tanto audacius in inimicos irem, & ſtudio meo multis aliis, ad virtutis ſtudium complectendum, viam & aditum aperirem. Potentiæ inimicorum ita ceſſi, ut ſcirem, Deum illis potentiorem eſſe, in cujus manu ſortes meæ forent, qui pedes meos in loco ſpatioſo ſtatueret, nec concluderet me in manus improborum, percutiens omnes, qui adverſarentur mihi ſine cauſa, conterendo obtrectatorum dentes, quibus fremebant quidem contra me, ſed ſine viribus tabeſcentes, quoniam deſiderium peccatorum perit: Interim tamen à viris magnis, bonis & doctis me egregie ope & conſilio adjutum eſſe, agnoſco, quorum memoria in benedictione divina æterna erit. Et his quidem gloriæ facem, immortalibus præconiis proſequendam, meritiſſime præferunt Sereniſſimi Principes ac Domini, JOACHIMUS FRIDERICUS, Archipræſulatus Magdeburgici adminiſtrator ſine ullo dubio laudatiſſimus, & GEORGIUS FRIDERICUS, Boruſſiæ Dux graviſſimus, quibus Muſæ noſtræ plurimum ſemper in hac & ventura vita debebunt, quos æquis paſſibus heroica æmulatione conſequuntur illuſtriſſimi atque generoſiſſimi ſtudiorum Mæcenates, CHRISTIANUS, Marchio Brandenburgicus, & PHILIPPUS JULIUS, Pomeraniæ Dux. Præſidium vero inprimis efficax atque firmum ſtudiis noſtris attulit reverendiſſimum atque nobiliſſimum collegium templi cathedralis in inclita urbe *Magdeburga*, auſpiciis benignis reverendiſſimi atque generoſiſſimi Domini *Ludovici de Lochau*, qui Decanus ſummo huic collegio ita præſidet, ut de omnium bonorum judicio, cœlo delapſus, à Deo huic mundo datus, divinitus ad hoc dignitatis faſtigium evectus videatur, cujus virtutes innumeræ, tum ſemper ampliſſimæ provinciæ, tum vero in interregno evidentiſſimis argumentis ad oculum quaſi non adumbratæ, ſed expresſæ, uberrimam nobis meſſem præbebunt, ex quibus deſiderium

ſu-

ſuum implere poterit cumulatiſſime, qui vel obiter metet, ſinum quoque ſuum, qui ſaltem manipulos colliget, quem nemo præterit, qui non devote dicat: Benedictio Domini ſuper te, benedicimus tibi in nomine Domini: cujus Achates omnino nobiliſſimi ſunt *Wichardus de Bredow*, *Johannes de Arnim*, cum reliquis omnibus, qui huic ſacro collegio cum fide operam glorioſe navant. In quorum campum virtutis ampliſſimum Commentarii noſtri hiſtorici, non ſine multa gratulatione, feſtive ſuo loco exſpatiantur. Ne quid regeram de iis, qui paſſim per civitates in magiſtratu ſunt, & ſæpe noſtro inſtituto peropportuni & commodi fuerunt: quorum merita ſicut in animo grato pie circumferimus, ita ea literis apprime mandare, & cum eorum autoribus ad omnem poſteritatem obnixe proferre, ſummæ mihi curæ eſt. Homine vero imperito ſicut nihil eſt injuſtius, ita nec nominum eorum memor in ore & calamo meo unquam ero. *Lycurgus* inter felicitatis genera primum ſtatuit, heroicis parentibus ortum eſſe, *Ciceroni* clarus ortus theſaurus eſt egregius. Hæc autem nobilitas ſi virtute careat & deſtituatur, non multum differt à ſtatua auro purpuraque exornata, vel à perſonato, Regem repræſentante, qui tamen ille non eſt. Vere igitur dicitur, nobilis eſt ille, quem nobilitat ſua virtus. Ad quam ſi quis naturali impetu feratur, heroicæ quidem atque generoſæ omnino illud indolis eſſe, in quibuscunque eſt, creditur, ſed multo plenioribus velis ad eam cum ſumma laude extollendam provehetur, ſi externa incitamenta advocet. Vix autem præſentius atque fortius habebitur δελητήριον, quam ſi quis hiſtoriæ ſtudium ſibi commendatum habuerit. Siquidem hiſtoria ſit eloquentiæ decus atque lumen, magnum atque præcipuum quoddam ſapientiæ humanæ abſolvendæ inſtrumentum, & doctrinæ genus potentiſſimum, &, ut vult *Strabo*, χρήσιμον εἰς τὴν ἠθικὴν καὶ πολιτικὴν φιλοσοφίαν, propterea, quod adminiſtret, ſecundum *Lucanum*, λέγειντε τὰ ἄριστα, καὶ πράττειν τὰ δυνατὰ ζήλῳ τῶν ἀρίστων, τῇ φυγῇ τῶν χειράνων: & *Dionyſio Halicarnaſſeo* eſt ἀρχὴ φρονήσεως

καὶ

καὶ σοφίας. Unde eam *Thucydides* nominat perpetuum theſaurum exemplorum, & picturam, & veluti theatrum totius vitæ humanæ, omnibus mundi ætatibus ac temporibus congruens, cujus ea vis eſt, ut exemplis & varietate conſiliorum & eventuum ad omnem vitæ uſum mortales providos & circumſpectos reddat. Ex quo à *Cicerone* teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis dicitur. Quam qui non curent, aut molli levique brachio tractent, puerili præditi ſint ingenio, quod & præterita ignorent, & præſentia non intelligant, & futura non prævideant. Illum autem vere puerum eſſe ſemper, qui, antequam natus ſit, quid acciderit, neſciat. Hinc Ægyptius quidam ſacerdos apud *Platonem* in *Timæo*, Græcos ſemper pueros, nunquam ſenes eſſe, affirmat, quod vetuſtate canam diſciplinam, veramque genuinamque ἀρχαιολογίας rationem cognitam perſpectamque non haberent. Debet enim in Hiſtoricis eſſe σύνεσις πολιτικὴ καὶ δύναμις ἑρμηνευτικὴ, qui judicio exacto præditi, momenta, occaſiones, cauſas, & univerſim περιστάσεις rerum & negotiorum conſiderent & diſcernant, ipſaque loca perveſtigantes rerum geſtarum, explorata habeant tempora, æſtiment perſonarum naturas, ingenia & mores, & conjectari ſciant ex iis, quæ non expreſſa ſunt, argute & dextre: reganturque non affectuum impetu, ſed recti conſtantisque judicii norma, deligentes inſignia & neceſſaria, prætereant obſcura, quæ ut aliqua ratione celebrentur, digna non ſint: deinde agnitas res atque animo conceptas perſpicua, diſerta, rebusque accommoda oratione ſignificanter exponere posſint, & ſicut *Polybius* præcipit, totam omnium temporum hiſtoriam, animo comprehenſam, & vel ut ante oculos, & in conſpectu habeant, non per tranſennam quaſi hiſtoriæ majeſtatem ſalutantes, ſed ut illa fiat σωματοειδὴς, integro perfectoque corpori ſimilis, cum videamus, pleroſque partes tantum ex hiſtoriis decerpere, qui ſimiles ſint ὀνειώζουσιν, qui non melius de rebus magisque ſtatuant, quam de elegantia & pulchritudine corporis alicujus pronunciamus,

mus, diſcerptas atque diſquiſitas partes ſeorſim contemplantes, fabrica interim integri corporis & compoſitione nunquam viſa. Cum itaque tanta ſit vis, ea dignitas, illa neceſſitas hujus ſtudii hiſtorici, quod profitemur, non dubito, hoc meum qualecunque officium, ex animo bono & ſincero profectum, V. D. gratum, eandemque mihi gratiam & benignitatem, quam laudatiſſimi ante mihi præſtiterunt ſæpenumero Heroës & Mæcenates, hoc quoque tempore opportunam fore. Quod ſi à V. D. in graviſſimo hoc negotio benigne atque clementer adjutus fuero, quod ſummis precibus, qua poſſum ſubmiſſione, contendo, immortale hoc beneficium ad omnem poſteritatem præconiis illuſtribus deprædicabitur. In reditu ex turbulenta Boruſſia anno Mors IVſtI preCIoſa In Deo.

III.

Verbis præcedentibus quoque hic liber fuit nuncupatus CHRISTIANO WILHELMO, Adminiſtratori Magdeburgenſi.

LIBRI VICESIMI SEXTI DEDICATIO.

Conſecratus eſt Senatui *Stendalienſi* eodem argumento, quo ſuperior nuncupatus eſt *Ratenovienſi*.

LIBRI VICESIMI SEPTIMI DEDICATIONES.

I.

Sereniſſimo Principi ac Domino, Domino LUDOVICO, *Haſſiæ Landgravio, Comiti in Dietz & Ziegenhain, Domino in Catzenelenbogen*, &c. Domino clementiſſimo, S.

M. Nicolaus Leuthingerus.

CUm multum referat, adeoque digna res ſit noſſe patriam, equidem operæ pretium & gratum omnino bonis officium facturum me putavi, ſi pro loco atque rerum geſtarum conditione, ordine, quantum fieri poteſt, ſuccinctiore, non ſingula perſe-

ſequerer, quod peroſi atque immenſi laboris eſſet, ſed ſummas tantum rerum, & ex his illuſtriſſima quæque inter ſacra & ſaxum conſtitutus delibarem, qua nempe fortuna in pace atque bello ſteterit Marchia, quibus rebus ſecundis gloriaque ingenti floruerit, vel à ſorte iniquiore ſubacta fatis obnoxiis conceſſerit. De quibus alias innumera operum fortium volumina tererentur, niſi ſcriptorum penuria ſplendorem his ſubtraxiſſet, ut in tanta obſcuritate divinare potius veterrimas res, quam deſcribere noviſſimas videar. Quatenus tamen licuit, explicatis velis, fortunæ ventis, feliciora ominatûs, inter ſpem atque metum timide me commiſi. Et quoniam omnes ferme, qui ſunt de hoc ſcribendi genere, libros, quorum LVI. in publicum emiſi, cenſuram atque judicium quorumcunq; ſubeunt, reliqui vero numero neq; pauciores, neque gravitate viliores, limam adhuc, ſi non lituram omnino, neſcio quo fato, expectant, in itinere difficili, quo characteres annalium diverſiſſimarum regionum ſecutus, maximam Europæ partem complexus ſum, aliis excluſus adminiculis, ſolo pene memoriæ ductu, inter multiplices difficultates, injurias, rapinasque incredibiles laborioſe confeciſſem, hunc Miſnenſi amaritudine plenus, poſt acceptam acerbam ſane nimis à prava improbitate cladem Leucoream, quæ me meaque omnia per meam abſentiam ad immenſa locorum procul hinc diſtantium intervalla iniquiſſime perdidit, bibliothecam, ab omni parte inſtructam iis rebus, quæ ad præſens inſtitutum tenendum, aliaque perquam multa, tam ad dignitatem, quam ad neceſſitatem uſumque quotidianum cumulate comparata, pertinerent, maligne diripuit, fraudulenter diſtraxit, nequiter in uſum ſuum convertit, invento falſo atque futili de mea morte excogitato, qui morbum tamen nullum, Deo ſit gratia & gloria, in omni vita mea ſenſerim. Hunc, inquam, fato minus propitio, dolens gemensque in triſti fortunæ novercantis adverſitate, ex Boruſſia tumultuante retroacto curſu rediens, ſine ſupellectile, ſine libris, ſine certo loco, vagus, errabundus, nusquam ſubſi-

 ſtens,

ſtens, ut verus *Lucani* Hiſtoricus, qui ſicut naves ſaburratæ mercimoniis, ita difficultatibus perpetuis oppreſſus, ambulans per tabernas, latitans in popinis, non pulices & culices ſaltem, ſed immania, furioſa atque diabolica monſtra perpetiendo, ſubmitto: Qui me hercule, ſi non meliore ſorte, certe meliore vita dignus eram, quam etiam, æternæ mihi quietis portu patefacto, lubens & deſideranter expeto. Submitto autem ſtylo quidem neglectiore, quod ſatis ſit eloquentiæ in veritate, quippe quæ plus rerum materiam, quam verborum flores deſiderat, ſed quem, graviore interveniente cenſura, ſolertia & diligentia accuratior, ſingulari ſtudio cuncta recompenſans, fructu meſſis uberioris in ſubſidium advocato, propediem opinor, inprimis, ſi C. V. me benigne adjuverit, ſubſequetur, imitatus eos, qui viam neſciunt ad mare, & fluvium ſequuntur, qui ducit ad mare, non ut aliorum flagitia turpi calamo atque nota laceſſem, ſed virtutes plenius innoteſcant. Gravius etiam offendunt, qui aliena vitia aperte deridenda aliis propinant, quam qui commiſerunt. Interim nulli jus atque fas eſto, in hanc de me ſententiam deſcendendi, ut ſibi perſuaſum habeat, conjectura forſan στοχαστικῇ ductus, eum me ſemper eſſe, quem me ſorte benigniore & æquiore animo, ut ſane ferunt rerum humanarum faces, fuiſſe, uſus facultasque docet, & in poteſtate atque arbitrio, vel ut nonnulli loquuntur, in numerato, nusquam interrupta ſerie orationis, rerumque copiam atque elegantiam habere: Sed quoniam plane promiſſo ſatisfaciendum eſt, fidesque exſolvenda, ſi mea per fraudem ablata interceptaque ab illis, qui in meam meorumque oppreſſionem non tantum conſpirantes inſaniunt, ſed etiam vim aſtruentes in meum interitum, ut quem extinctum potius, quam conſervatum velint, evigilant, mihi velut ſtimulo hoc admoto, me in obſequium aliorum, gratiæ tuendæ fortaſſis ineptior, magis accommodabo, quam ut bonorum deſideriis, meorumque commodorum rationibus utiliter inſerviam. Tenendum autem eſt, Commentarios noſtros non eſſe

Mar-

Marchicos, qui ſtatum ſolummodo Marchiæ, ejusq; res geſtas perſequantur, ut multi falſo opinantur, ſed Brandenburgenſes, qui provinciarum omnium, quibus hodie Principes Brandenburgici potiuntur, imo etiam illarum, quæ anteactis ſeculis tenuerunt, debitam rationem habeant. Quæ ego acta factaq; non nugatorio aliquo invento inſtructus, ſicuti multa laudantur, quæ neq; laudatus fecit, neque probavit, nec ſpiritu paredro edoctus, ſed veritate magiſtra, experientia teſte, rerumque uſu monitore, certius pernoſcere, calamo fideliter perſequi, monumentis immortalibus mandare, majoribus forſan auſis, quam pari ſucceſſu, elaboro. Sed in his opus eſt mihi patrocinio magnorum virorum, quod multi multa hodie vellunt, & ſtudia noſtra paucis curæ ſunt. JOACHIMUS II. Elector Brandenburgicus, conſilio facundiaque ſua rempublicam Brandenburgicam in auguſtiorem magis ſtatum provexit, quam FRIDERICI, vel ALBERTUS, *Teutonicus* ACHILLES dictus, cunctis, iisque ſummis ſuis virtutibus bellicis potuere. Qui cum ſapienter intelligeret, quæ eſſet dignitas, utilitas atque neceſſitas ſtudii Hiſtorici, ut quod, ſecundum *Ariſtotelem*, viro politico & rempublicam adminiſtranti nunquam de manu deponendum eſſet, crebro ad menſam viris doctrina & rerum uſu præſtantibus adhibitis, *Sleidanum*, quem omnium ætatis ſuæ ſcriptorem veraciſſimum & religioſiſſimum in Commentariis ſuis eruditi prædicant, utpote cujus in Hiſtoria fides ſpectatiſſima ſit, ſibi inter prandendum prælegi juſſit, in quo multa, quæ perperam ſcripta reperiſſet, tanquam teſtis oculatus, qui conſiliis & rebus ipſis interfuiſſet, placide correxit, *Sabino* inuſitato ſtipendio conſtituto, ut Marchiæ Hiſtoriam colligeret. AUGUSTUS, Saxoniæ Elector, cui *Sleidanus* Commentarios ſuos conſecraverat, non tantum hunc, ſed etiam quoscunque hujus generis libros cupidiſſime legit, & ut pleniore cum voluptate, fructu & judicio legere poſſet, quadragenarius jam linguam latinam, quam *Johanne Rivio* informatore otioſius neglectam deſpicatui habuerat, in-

ter graviſſimas occupationes imperii, aulicaque negotia infinita, addiſcere non erubuit. Dignam profecto rem tanto Principe, & omnium laudum præconiis excipiendam. Quotus enim quisque eſt, vel infimi ſubſellii, qui materiam hanc ingentis publici privatique decoris indulgentia ſua nutriat. Ita BOGUSLAUS I. incomparabilis Pomeraniæ Heros, qui ſolus omnem Marchiæ inſolentioris vim, multorum Principum ſocietate ſuffultam, fortiter à ſe repulit, Pomeraniæ Hiſtoriam ſibi habuit commendatiſſimam, à quo inſtituto JOHANNES FRIDERICUS, BOGUSLAUS II. PHILIPPUS II. & reliqui Duces præſtantiſſimi & laudatiſſimi, ne quidem hodie ſunt alieni. Felicem vero rempublicam, quæ tales habet Principes, qui doctrinas complectantur, & ſi fatendum eſt, quando fuit ditior Marchia, quam ſub JOACHIMO II. Electore? tunc aurea & argentea ornamenta decorabant utriusque ſexus cultum opulentum & pretioſum, præferebantur ea in cibo, in potu, in veſtitu, aliisque domeſticis rebus atque negotiis. Hodie odioſa paupertas ubique obvia regnat, querelæ occupant exteriora & interiora, ad intima & ſumma usque penetrans. Obſeſſa à Diabolo ancilla, taxando notans avaritiam Procerum, nummos *Francofurti* & numiſmata varii generis cum multa voracitate deglutivit, pecuniamque, quocunque manum admoveret, ſemper paratam habuit, unde tamen neque ditior, neque pinguior evaſit. Rapuit ad hunc modum in ſuum, & quidem profanum uſum, ærario publico inferens, Marchia tres Epiſcopatus, tot opima Monaſteria, tot copioſos proventus, redituſque ſacris dicatos, tot decora publica, illaque omnino egregia & pretioſa admodum, & quidem talia, qualia nunquam ulla ætas, vel ulla potentia & majeſtas reddere æquivalenter poteſt. At quantum obærata pauperataque hinc profecit? profecerunt quidem illi, qui non debebant, hanc vero defeciſſe & ad miſeros caſus recidiſſe, ſi negem, homo, me hercule, inſanus ſiem. Promittuntur ſane meliora ſemper ſimplicioribus, ſed iſta mutatio

in

in melius primordium ferme maximarum calamitatum secum trahit. Nostro quoque tempore aurea & argentea numismata, etiam minoris valoris, in publicum *Berlini*, *Spandoæ* & alibi projecta, si quis tolleret, Deum immortalem, quid non designavit furor diabolicus, πλεονεξίαν & φιλαργυρίαν vanam atque transeuntem arguens? Adeo omnia in pejus ruunt, verguntque ad interitum. In Misnia quando beatior illa fuit, quam sub AUGUSTO Electore, qui literas liberalissime fovebat? At quæ post subsecuta sint, dicat illa ipsa, me etiam tacente. Sed veritas odium parit, & omnis querela molesta est. Crudelitas, inhumanitasque repellit hodie omnem beneficentiam atque bonitatem. In V. tamen C. omnium animi, omnium oculi sunt erecti, ut credant, vel per V. C. vel nunquam, perturbatæ reipublicæ formam in tranquillum statum perductam iri. Id nomina & omina prædicere videntur, & quia V. C. beneficia meis musis antehac oportuna fuerint, obsecro, ut in hac tristi deplorandarum rerum mearum facie, in qua, si fortunæ munera reputem, mirum sit me vivere, ut cui non liceat etiam ignobilem expectare senectutem, posthac quoque mea studia sibi commendata habere dignetur. Nihil mihi tam sepositum est, quin non cum omni paratissima subjectione V. C. semper hic atque in æternum deserviat. V. C. protectioni devote commendo Dei, qui justis piorum precibus annuet. Ex itinere Juliacensi anno MDCX.

II.

Liber hic eadem dedicatione, qua liber undevicesimus, inscriptus est Consulibus & Senatoribus *civitatum Marchiæ Brandenburgensis*.

III.

Senatui *Soldinensi*, item *Quedlinburgensi*, quoque iisdem verbis, quibus liber vicesimus primus *Quedlinburgensi*, est nuncupatus.

LIBRI

LIBRI VICESIMI OCTAVI
DEDICATIO.

Sereniſſimo & potentiſſimo Principi ac Domino, Domino JOHANNI SIGISMUNDO, *Marchioni Brandenburgenſi, S. R. Imperii Electori & Archi-Camerario, Boruſſiæ, Juliaci, Cliviæ & Bergæ, Vandalorum, Caſſuborum, Sileſiorum, Croſnæ & Jægerndorffii Duci, Burggravio Norinbergenſi, & Principi Rugiæ, Marchæ Rhenanæ, Ravenſteini & Ravenſpurgi Comiti, &c.* Domino clementiſſimo, S.

M. Nicolaus Leuthingerus.

MUltum refert noſſe temporum ſeriem, rerum atque hominum ſtatum, tum ut inde miſericordiam Domini, ejusque mirabilia intelligamus, tum vero ut rationes noſtras, cautiores facti, ad præſcriptum mentis divinæ, judiciumque bonorum atque ſapientum, eventu ſagaciori felicius componamus. In quem finem Deus ſingulis temporibus excitavit bona ingenia, quibus præ reliquis Hiſtoriæ ſtudium peculiariter curæ eſſet, inſtruxit cognitione antiquitatis, multa rerum experientia, & patrocinio præſidioque potentiorum, ut, dum opera eorum, omnium ſaniorum judicio, fructuoſa, neceſſaria & ſalutaris ſit, præmia autem laboribus, ſiquidem veritas ſit odioſa, non reſpondeant, illorum benignitate aliquo modo ſublevati, in tenendo propoſito magis confirmentur. Inprimis cum multi, qui ad gubernacula ſedeant, ſtudiorum hoſtes atque peſtes literarum ſint, de quibus Pſalmus exclamat: Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & factus eſt illis ſimilis. Cum igitur in eorum me quoque numero recenſeam, qui in Marchia quidem natus ſum, ſed in Miſnia educatus, cœpi in ludo illuſtri *Miſenæ* primum ſub *Georgio Fabricio* ſtudium Hiſtoriæ ita admirari & adamare, ut deinde, cum *Witebergæ*, ſtudiorum gratia, per annos 36. commorarer, non ſolum hiſtoricos *libros LVI.* in publicum ederem, ſed etiam ad peregrinationes maximas faciendas per Eu-

Europam me animus ferret, eo quod laborem meum reipublicæ perutilem futurum putarem. Et quamvis per meam abſentiam *Vitebergæ* res meæ omnes, non exigui momenti aut pretii, quæ ex parte huic negotio inſerviebant, injuria & rapinis malorum hominum in alienum arbitrium ceſſerint: conatus tamen nihilominus ſum præſtare ea, quæ ad Commentarios meos abſolvendos pertinere arbitratus ſum. In his Saxonicæ mihi res non minus, quam Brandenburgenſes curæ ſunt. Quod autem ſummæ difficultates me, omni injuriarum genere appetitum, circumfunderent, cœca inprimis invidia & calumnia ſibi obnoxium totum redderent, ita, ut C. V. patrocinio, præſidio, protectione, atque clementia mihi tam, ut quam maxime opus ſit: Celſitudinem V. Sereniſſimam etiam atque etiam, cum debita ſubjectione, per omnia ſacra oro atque obteſtor, ut ad meas res afflictas clementiore vultu reſpiciat, & ex perpetuis naufragiis me eripiens, portum tranquillum mihi patefaciat. Scilicet ad tantam eminentiam C. V. provexit Deus cum omnium feſtiva gratulatione, ut afflictis Muſis opem ferat. Inſtare videntur tempora his triſtiora, quamvis proh dolor! triſtia nimis ſint, quod nobis tot funera Cæſaris, Regum, Principum Electorum ac Procerum imperii continuata præſagiunt. Deus, qui novit ſuos, Veſtram C. ſalvam, felicem & beatam ſemper conſervet, faciatque, ut ſenis, annum 64. transgreſſi, benignam, pro ſua ſumma virtute, rationem habeat. Ex itinere Danico anno Da paCeM teVtonIbVs noſtrIs.

GRATULATIONES VIRORUM DOCTORUM LEUTHINGERO FACTÆ, SINGULISQUE FERE PARTIBUS OPERIS PARTIM PRÆMISSÆ.

Clarissimo & optimo Viro, *M. Nicolao Leuthingero*, Poëtæ L. & Hist. Brandenburg. amico suo carissimo, S.

TUi ego ingenii, *Leuthingere* doctissime, Vir optime, acumen exactum antea ex poëmatibus tuis politissimis cognoveram: nunc vero ex opere Historico tui judicii accurati dexteritatem singularem animadverto. Amo itaque te plurimum, magnique facio, præterquam enim, quod ipsa temporum series sibi constat, causæque & eventus rerum, ipsarumque gerendarum ratio tum liquido apparent, graviter etiam, copiose atque eleganter orationem es persecutus, &c. Sicut autem de nostra gente bene mereri potes, ita tibi gratiam semper habebit immortalem posteritas. Valeto recte, atque tuis Marchicis gloriæ facem bonis auspiciis præferto, &c. Stettini.

T. P.

Conradus Bergius, S. Theol. Doct.

Clarissimo Viro, & multijuga Historiarum eruditione ornatissimo, *M. Nicolao Leuthingero*, Marchiæ Brenneburg. exsultori & encomiastæ fidelissimo, amico suo carissimo, S.

CLarissime Vir, studium tuum illud historicum, cum συνέσει religiosa & δυνάμει ἑρμηνευτικῇ conjunctum, uti cum propter rerum scientiam, tum propter Thucydideum ornatum, cum gratiarum actione probamus: ita etiam, hoc egeno & exulceroso seculo, illud omni studio, fide atque diligentia ut promoveamus, par est. Tetragonum enim historiarum cum τοπικῷ, χρονικῷ, πραγματικῷ, γενεαλογικῷ, cum in his locis nemo absolvere possit, fractas tabulas, à doctis cum indefessa industria collectas, boni facimus. *Cranzius* ille Hamburgensis quasi primus faces, cum *Hermoldo* & *Arnoldo, Abbate Lubecensi*, in hac palæstra prætulit, à qui-

quibus *Sabinus*, *Willichius*, *Schofferus* sua incensa mutuati. *Philippus Melanchton* apicula illa Attica, & Phœnix Germaniæ in *Charionis* succincto Chronico hanc Pandoram ornavit, illustravit & absolvit, cui labori & *Caspar Peucerus* suam lineam apponere jussus. *Reinerus* vero *Reineccius*, involucris multis cum indagine sapiente ablatis, nucleum ipsum exemit & proposuit, ut nostro seculo juste πολυΐςωρ cum *Francenbergero* dicatur. Tu, Vir optime atque clarissime, Marchiam nostram præ omnibus Joviniana quadam eloquentia, antiquitate Sabiniana, Chytræa facundia, Xenophontea suavitate, Thucydidea nervositate, Philippea dulcedine, Melanthonia pietate, Philomelæ Germaniæ flexanima voce describere, producere, atque illustrare cœpisti, ut recte *Leuthingerus*, facta vera illustrans, dicta pia retinens, à σοφοῖς voceris, &c. Gardelegiæ.

T.

M. Arnoldus Bierstedius, urbis Gardelegii Consul, &c.

M. Nicolao Leuthingero, dignitate, doctrina, virtute ornatissimo, & excellenti polyhistoria excultissimo, amico debita fide observando, S.

CLarissime Vir, scripta tua tum Theologica, tum historica, apud nos cum nominis tui immortalitate exstant, quibus Marchiam, hactenus historiographis exteris ignotam, ab omni λήθη cum magna gratitudine revocas, dum eam, cum verborum debito pondere, tum rerum succo, cum veritate ipsa ita refers, ut eam tua eloquentia Xenophontea, sapientia Thucydidea, pietate Melanchtonia, gratitudine Leuthingeriana ita conspicuam reddideris, ut multos æmulos excitaris. Tu nostro docto seculo ad fidem historicam datus & natus es, spartamque tuam antiquitate rerum, cognitione propiore, inspectis veteribus monumentis, inquisitis doctorum sententiis, venustiorem, jucundiorem & nobiliorem, Melanchtoniam pietatem addens, Xenophonteam suavitatem

apponens, Thucydideam nervositatem substernens, nobis reddis; quæ omnia arcubus triumphalibus, amphitheatris, porticibus, balneis Romanorum, pyramidibus Ægyptiorum nobis sunt gratiora; historiarum enim cognitio omnibus structuris, etiam regiis sumptuosissimis, doctrina, dignitate, utilitate & perpetuitate anteferenda, teque ex animo, pro nostræ fraternitatis necessitudine, oro, ut lineam primam de Marchia nostra ductam Apellæo studio quotidiano continues, Zenonis æmulatione augeas, & Parrhasii sapientia absolvas, nec cures ingratorum remoras, impedimenta malevolorum, aut tricas quorumcunque: non decet talentum sudario committere, sed cum fœnore Domino reddere commodanti; quo mundus ingratior nobis, eo nos Deo Optimo Max. gratiores simus, &c. Gardelegiæ.

M. Arnoldus Bierstedius, T. E. V. addictus patriæ Consul.

Ornatissimo Viro, dignitate, doctrina, virtute, & excellenti polyhistoria Marchiæ Brandenb. excultiss. Dn. *Nicolao Leuthingero*, amico suo debita fide observando.

CLarissime Vir, omnes patriæ suæ encomiastas veros, fideles, & vigiles, non solum præmio publico esse dignissimos judico, sed omni doctrinæ laude, nominis gloria, & æternitatis honore, vere exornandos, recte commendandos, sine fine prædicandos, cum omnibus, & pietatis amantibus, & veri cultoribus existimo. Hi enim grati sunt ararum sacrarum sacerdotes, focorum patriorum cultores assidui, & rerum gestarum præcones æterni, qui non tantum præsentes amandi, fovendi, sed etiam absentes cum omni posteritate invitandi, retinendi, & maternis amplexibus complectendi. Quare, *Nicolae Leuthingere*, tuam fidem singularem, studium indefessum, diligentiam maturam, operam publicam, quibus nostram Marchiam Brandenburgicam fideliter exornare, constanter prædicare, & fiducialiter aliis commendare, nullo obstaculo impeditus, enitendo eniteris, vere cum doctis omnibus admi-

miramur, & cum grata posteritate veneramur, quem tuum publicum laborem non solum Thucididea eloquentia gratum, jucundum, & acceptum reddit, sed veritas ipsa, quæ historiarum oculus, decus perpetuum, testimonium optimum, eundem vere immortalem reddet. Si ante annos trecentos, aut ducentos, imo centum leve quoddam studium hoc in genere exstitisset, quanta lux laboribus tuis æternis cum admiratione divina accessisset, dolendum, antecessores nostros ne rudera levia nobis reliquisse, ex quibus cum illorum virtus, tum ipsorum pietas æstimanda, cantilenis jam ipso tractu temporis obtitiscentibus, quibus suas operas atque dies decantarunt. Quod autem, Vir amplissime, doctissime, & integerrime, ad tuam illam Marchiam splendidam ac Christicolam spectat, in toto illo opere, vere Marchiaco, innatam tibi suavitatem Thucidideam, nitorem Herodotanum, pietatem Melanthoniam, ac veritatem Sabinianam, jucunde residere, feliciter florere, & gloriose exundare, pro ingenii mei candore intelligo, &c. Gardelegiæ.

M. Arnoldus Bierstedius, tui amantissimus,
Consul.

M. Arnoldus Bierstedius, Consul Gardlegiensis, *M. Nicolao Leuthingero*, Viro doctrina, sapientia & pietate præstanti, amico suo carissimo, S.

PHILIPPUS MELANCHTHON *Brettigenus*, *Philander Megalandri* Bestiocidæ, Phœnix Majorum Beatus, πανφιλτάτη illa Μέλισσα βροτῶν, hac ultima mundi ulcerosi & cadaverosi ætate, gratis insultibus omni ratione temporum puro ore libans, cuncta virorum sapientum abdita, conditione rerum, candido corde hauriens, singula veterum scriptorum, modo causarum, κειμήλια cum vero intellectu, diligentia vera inquirens, industria indefessa perquirens, & fide debita acquirens: μελιτεργίαν optimam τῶν ἱστοριῶν præcipuarum congerendo congessit, mel-

lificium jucundiſſimum τῶν χρόνων ſtipando ſtipavit, & favum utiliſſimum τῶν ἠθῶν, multis annis à noſtratibus deſideratum, usque ad *Fridericum II.* Imperatorem abſolvendo (ut ipſe D. *Caſparus Peucerus*, gener Philomelæ doctiſſimus, ægre manum πανσοφωτάτην Apellæo operi ſæpius rogatus appoſuerit,) tandem abſolvit, quo gratæ, fideles & piæ conſimiles apiculæ chronologicæ, ex hac Melanthonia μελίττα ape Attica prognatæ, ab illa eductæ, ab eadem edoctæ, conformia hexagona, ſi non æqualia, tamen æmula, ſtudioſe conſtruere, laborioſe efformare, in initio incaleſcendo ſtudeant, in curſu ferveſcendo contendant, in meliturgia abſolvenda animando elaborent. Quia hoc Phœnice Germaniæ, cum Eccleſiæ Megalandro Antichriſticida, felici partu nato, vera ætas aurea verbi Dei & artium utilium rediit, hoc *Luthero* theandro, τὸν λόγον τῆς χάριτος conſtanter contra portas inferni docente, illo Melanthone μεγάλην τὰς λόγους τῆς ἀρετῆς fideliter contra ſcotica ſcholaſtica, in officina ſcholaſtica ſonante, repetente & defendente. Quare Deo dante, juvante, benedicente, Eccleſiis recte conſtitutis, ſcholis bene informatis, & politicis in deſideratum portum deductis, ſingulari induſtria hujus noſtri Philothei *Melanthonis* γηράσκοντος, καὶ πολλὰ διδασκομένου, hiſtoriarum doctrina utiliſſima, legendorum idolomania triſtis, nauſea obducta, docentium inſcitia ſepulta, & diſcentium inutili mole oppreſſa, reviteſcendo refloruit, ut jam, hoc boreali & ἐπιθυμιτικῷ ſeculo, ex hujus augusti ποίμενος pratis amœniſſimis & fœcundiſſimis unusquisq; ſibi floſculos commodos recte accipere, ſuccum utilem vere elicere, & favum expectatum, pro materiæ utilitate, utiliter acquirere poſſit. Hunc vero ſuum μελιτουργὸν præceptorem, poſt funera ejus etiam ſacra, anima inter ἁγίους verſante, uti omnes grati Theodorophili cum propter rerum divinarum, humanarumq; veram cognitionem, tum propter ſcripta ejus methodica ſingularia, apud omnem gnatam gratam poſteritatem, cui lampades traditæ ſunt curæ, lectu digniſſima, vere agnoſcunt, & juſte prædicant: Ita ætate noſtra

ſtra invida, omnium actionum humanarum præteritarum & futurarum Philalathees, ſcrutatores Melanthonii æqui judices, Phœnices cenſores, huic ἱϛορικοτάτῳ, ἐυσεβεϛάτῳ κ̀ ἑρμηνευτικῷ palmam debitam honeſte offerre, modeſte porrigere, & ſubjecte concedere, inviti coguntur. Quare, *Nicolae* doctiſſime, *Leuthingere* amantiſſime, & Vir vigilantiſſime, quod ad tuum omnibus modis promovendum ſtudium, in Marchia Brandeburgenſi deſcribenda & exornanda, attinet, ex literis tuis humaniſſimis, ad noſtrum inclytum & doctum Senatum calendis Aprilis nuperrime datis, intelligo, te fidelem, conſtantem & pium æmulum eſſe Melanthonium, in Chronico quodam particulari de Marchia Brandeburgica conſcribendo, ut quod ille ſcholarum Germanicarum Atlas fideliſſimus ἐν τῷ ὅλῳ cum gratorum encomiis præſtitit, tu pro conceſſo aſſe ἐν τῷ μέρει, dum patriam publicis ſcriptis illuſtriorem reddis, (uti omne natale ſolum dulce,) pro tua vera ἐλευθέρα *Leuthingiaria*, nunc magis honeſte conaris, & recte eniteris. Te enim hoc ἔργον optimum, κατὰ ἡμέρας ἡμέρων, uti δευτέραι φροντίδες, cum immortali gloria tui patrii ſoli, cum diu deſiderata exoptata utilitate poſterorum, cumque tui nominis debito auctamento perficere, & viginti libris abſolvere poſſe, & doctiſſima ipſa diſpoſitio, & libri tui κατὰ ὕϛερον πρώτερον more poëtico editi, Xenophonteam ſuavitatem ſapientes, Thucydideam nervoſitatem redolentes, Melanthoniam pietatem referentes, luculenter docent. Nam *Johannis* parænetica oratio ad *Joachimum I.* Septemvirum, de faſcibus paternis imperii, cum invocatione accipiendis, cum timore Domini adminiſtrandis, & cum paternitate deponendis, ipſius *Cyri* exhortationem ad *Cambyſen* apud Xenophontem, vere regiam, cum pietatis ſtimulis, paternitatis aculeis, tum veræ fidei πληροφορία, multum ſuperat. Uti & *Alberti* Moguntini Neſtoreus ſermo ad *Carolum V.* Imperatorem, de ipſius cum bellica, tum togata conſtantia, Thucydideam ſvaviloquentiam, vero fine mon-

ſtra-

ſtrato veræ pacis, facile æquat. Tandem libelli iſti ſic Philippæa dulcedine turgent, Melanthonia pietate eminent, Philomelæ Germaniæ flexanima voce demulcent, ut ipſius ſacrum os ſonare & reſonare videantur. Cum vero, cariſſime & optime Vir, præſens Marchiacum opus, Deo dante, juvante & gubernante, ſis ingreſſus, ſæpius tibi ad archivas genuinas noſtri clementiſſimi Principis, *Johannis Georgii*, vere Auguſti γεωργȣ͂, de quo illud electorale verum ἀγαθὸς βασιλεὺς ȣ̓ διαφέρει ἀπὸ τȣ͂ ἀγαθȣ͂ πατρὸς, fideliter recurrendum, quo in negotio fide & opera D. *Lamperti Diſtelmeyeri*, in aula noſtri patris patriæ Cancellarii digniſſimi, commode uti, & frugaliter frui poteris; nam hujus viri πανσοφωτάτȣ uti judicium grave, experientia ſingularis, fides experta, ita mens benevola, animus promptus, conſilia ejusdem matura & κοινώνικα, cujus ædes, ut oracula Apollinis, patent. Quod vero ad meam dulciſſimam pertinet patriam Gardelegiam, uſitatos locos more docentium, conceſſis pro minutiis mihi, ſequar: de antiquitate, origine, ſitu, vicinia, figura, partibus, fontibus, montibus, agris, qualitate ſoli, aëris, moribus incolarum, politia, Eccleſia, ſchola, actis, gubernatorum ſucceſſione, & aliis neceſſariis, utilibus & gratis, agam, dicam & referam, quæ ad patrium ſolum noſtra ætate ampliandum & illuſtrandum attinent, ut deinde, quæ ad noſtros focos ſpectant, tecum & cum aliis, qui easdem bigas tecum trahunt, commode conſulere, placide colloqui, & utiliter conferre posſim. His in C. Jeſu Immanuele, in quo ſumus, vivimus, & morimur, ſemper valeto. Datum Gardelegiæ anno Salvatoris LXXXVII. die 16. calend. Maji.

M. Arnoldus Bierſtedius, Conſul Gardelegienſis, *M. Nicolao Leuthingero*, Viro doctrina, ſapientia, & pietate præſtantiſſimo, amico ſuo cariſſimo, S.

AD tuum quod, *Nicolae* doctisſime, & Vir clarisſime, omnibus modis promovendum ſtudium, in Marchia Brandeburgenſi de-

deſcribenda & exornanda, attinet, intelligo, te fidelem, conſtantem & pium æmulum eſſe Melanthonium in Chronico quodam particulari de Marchia Brandeburgica conſcribendo, ut quod ille ſcholarum Germanicarum Atlas fideliſſimus in totum cum gratorum encomiis præſtitit, tu pro conceſſo aſſe ex parte, dum patriam publicis ſcriptis illuſtriorem reddis, pro tua vera libertate *Leuthingiaria*, honeſte conaris, & recte eniteris. Te enim hoc opus optimum cum immortali gloria tui patrii ſoli, cum diu deſiderata exoptataque utilitate poſterorum, cumque tui nominis debito auctamento perficere, & XL. libris abſolvere poſſe, doctiſſima ipſa diſpoſitio, & libri editi, Xenophonteam ſuavitatem redolentes, Melanthoniam pietatem referentes, luculenter docent: Ita *Johannis* parænetica oratio ad *Joachimum I.* Septemvirum, de faſcibus paternis imperii, cum invocatione accipiendis, cum timore Domini adminiſtrandis, & cum paternitate deponendis, ipſius *Cyri* exhortationem ad *Cambyſen* apud Xenophontem, vere regiam, cum pietatis ſtimulis, paternitatis aculeis, multum ſuperat. Uti & *Alberti* Moguntini Neſtoreus ſermo ad *Carolum V.* Imperatorem, de ipſius cum bellica, tum togata conſtantia, Thucydideam ſuaviloquentiam, vero fine monſtrato veræ pacis, facile æquat. Tandem libelli iſti ſic Philippea dulcedine turgent, Melanthonia pietate enitent, Philomelæ Germaniæ flexanima voce demulcent, ut ipſius ſacrum os ſonare & reſonare videantur. Cum vero, clariſſime & optime Vir, præſens opus, Deo dante, juvante & gubernante, ſis ingreſſus, ſæpius tibi non ſolum ad faſtos genuinos noſtri clementiſſimi Principis, *Johannis Georgii*, & patriæ, ſed etiam vicinarum regionum, fideliter recurrendum: De iis, quæ ad noſtros focos ſpectant, tecum & cum aliis, qui easdem bigas trahunt, ſuo tempore conferam. His ſemper valeto. Datum Gardelegiæ Cal. Decembr.

Clariſſimo doctrina, virtute, rerumque multiplicium experientia ornatiſſimo Viro, *M. Nicolao Leuthingero*, P. L. & Hiſtor. Brand. amico ſingulari, S.

DOctiſſime Vir, noſtro hoc ſeculo ad fidem hiſtoricam nate, ſpartam illam tuam, antiquitate rerum, cognitione multiplici, labore Herculeo, inſpectis veteribus monumentis, inquiſitis doctiorum ſententiis, multis peragratis regnis, venuſtiorem, jucundiorem & nobiliorem, Melanthoniam pietatem addens, Xenophonteam ſuavitatem apponens, Thucidideam nervoſitatem ſubſternens, nobis reddis. Quæ omnia nobis arcubus triumphalibus, amphitheatris, porticibus, balneisque Romanorum, pyramidibus Ægyptiorum, opibus Indorum ſunt potiora, gratiora, amabiliora. Hiſtoriarum enim cognitio omnibus ſtructuris, gazis regiis, operibus ſumptuoſisſimis, & doctrina, & dignitate, & utilitate anteferenda eſt, &c. Gardelegiæ.

T.

M. Arnoldus Bierſtedius, Conſul.

Ad fama celeberrimum, virtute & doctrina ornatiſſimum, laboribus atque periculis admirandum, fato, ſorte & loco meliore digniſſimum, *Nicolaum Leuthingerum*, Phiſoſophiæ M. P. L. & Hiſtoricum Brandenburgicum.

CEdite larvati ſcriptores, cedite inertes,
 Pro veſtris fures quique aliena datis.
Quos juvat in fictos aliorum intrare labores,
 Et per tranſennam facta videre Ducum.
Leuthingerus habet primas, palmamque tenebit
 Re ſimul & victor nomine Nicolaos.
Sit decus ille ſuæ patriæ, lumenque perenne,
 Marchiacæ primus conditor hiſtoriæ.
Omnia ſint ingrata licet, tamen iſta canuntur,
 Et bonus eſt vates, & patriæ ſuæ amans.
Hei mihi jacturam faciet reſpublica quantam,
 Cum te ſat preſſum ducet ad aſtra Deus.

Cu-

Cujus in ingenio perſtabat fama decusque
Virtutis procerum, Marchiacique ſoli.
Clarior Hiſtoricus te non vatesque fuiſſet,
Eſſet ſorte datum ſi meliore frui.
Laudantur paſſim tua culta poëmata multum,
Et Ciceronæo cœtera ſcripta ſtylo.
Aſt opus hiſtoricum totus mirabitur orbis,
Ad nitidi usque means ſolis utramque domum.
Innumeros patriam ingratam ditare videmus,
Quæ tamen hiſtoricum paſcere pane nequit.
Dedecus hoc ſummum eſt, quod talis Marchia compos
Criminis, in ſera poſteritate luet.
Indignis veniunt cultu cum divite cenſus,
Dignos in tenui conſenuiſſe ſat eſt.
Mundus in externis oculos animumque refundit,
Ingenii dotes neſcit amare boni.
Miratur formas, varios in veſte colores,
Veſte vir efficitur, forma dat eſſe rei.
Major in externis eſt gloria ſemper arenis,
In patria acceptus nemo Propheta fuit.
Sic te non parvo dignatur honore *Fridricus*,
Invicti regni Danica ſceptra tenens.
Ordinis hinc enim equeſtris habens inſignia, cingit
Et bene donatum laurea ſacra caput.
Perverſo mundo perverſa calumnia ſervit,
Quæ tacito morſu cor ſapientis edit.
Quis velit in mundo ſupereſſe diutius iſto,
In quo animi probitas non habet ulla locum?
Sed novit Dominus ſervare ſuos, & ad orcum
Cum gemitu & fremitu præcipitare malos.

Ludovicus Bruſchius, Com. Palat. Cæſ. in
aula *Maximiliani* Auſtriaci Oeniponti, F.
ao. à natIVItate ChrIſti DoMInI noſtrI.

Clarissimo Viro, *M. Nicolao Leuthingero*, P. L. & Historico Brandenburgensi, S.

JAm pridem de tuis scriptis cognoveram, quæ mihi non uno nomine probabantur. Videbam enim veritatis studium illis propositum, & paucis multa comprehendere, condita inprimis antiquitatis sale esse, neque vicinorum historiam negligere, ita, ut lector in illis cum voluptate versari possit. Quod vero insigni illa elegantia exornas, & nomini tuo, operumque tuorum immortalitati recte consulis. Itaque te multum propter ingenium, eruditionem, atque experientiam admiror. Et quia tantopere meam amicitiam expetis, dabo operam, ut intelligas, quale meum de te sit judicium, & quanti virtutem tuam faciam. In præsentiarum ex nostra biliotheca nostros labores æquanimis agnosces, &c. Rostochii.

T. *David Chytræus*, D.

Christianus Distelmeyerus, in Malstorff, &c. Cancellarius Electoralis Brandeburgicus, *M. Nicolao Leuthingero*, V. clar. S.

LEgi tuos, Vir clarissime, commentarios, & doleo, per multiplices occupationes me ejusmodi monumentis frequentius inhærere non posse. Verius enim sum servus servorum, quam presbyter ille Romanus. Te video esse Marchiæ Historicum, in quo tibi gratulor & patriæ. Fateor, alios eosdem attrectasse conatus, sed quos longo post te intervallo relinquis. Perge, ut cœpisti. Mihi tui commentarii sunt venusti, recti, atque elegantes. Auctor etiam sum, ne vicinorum, quorum res & facta attingis, documenta negligas. Scio etiam, prudentissimam Principem nostram inquisitione harum rerum maxime delectari, cui rem gratam facis. Vale, & nos ama. Berlini, &c.

Clarissimo atque excellentissimo Viro, *M. Nicolao Leuthingero*, Poëtæ laureato, & Principum Brandeburgensium Historico, Domino & amico suo carissimo, Salutem.

Mit-

Mitto ad tuam excellentiam, Vir clarissime atque doctissime, annales Pomeraniæ, & quæ in nostra republica annotata sunt; historiam præterea integram belli gesti inter Brandeburgicos & nostrates, alia quoque ex nostra bibliotheca, tenuia illa quidem, sed quæ animum præ se ferunt, tibi, tuisque laboribus & patriæ laudi inserviendi cupidum. Restant quædam ante aliquot annos cum Doctore *Davide Chytræo* communicata, quæ sicut ad hoc forum non parum faciunt, ita dabo operam, ut eorum tuæ excell. copia fiat per primam occasionem. Commendavi hæc studia inclito & docto nostro Senatui diligenter, qui debitis ea præconiis laudat atque approbat. Faxit Deus, ut tandem opus ipsum, promissum, desideratumque diu, in publicum cum immortali clarissimi nominis gloria prodeat. Admirator ero ejus assiduus semper. Etsi autem occupatissimus sum, attamen in gratiam tuæ excellentiæ quædam manu mea descripta transmitto, quæ alias non exstant publice, quæ boni consules. Et in posterum officia mea paratissima, ubicunque commodus esse potero, studiose defero, &c.

M. Martinus Elvertus, reipublicæ
Deminensis Consul.

Clarissimo & doctissimo Viro, Domino *Nicolao Leuthingero*, optimarum artium & philosophiæ Magistro, Poëtæ laureato & Historico Brandenburgensi, amico colendo, S.

Literas tuas, excellentissime Vir, Senatui nostro inclito 5. Cal. Junii obtuli, qui tuos commentarios, ut semper, ita tunc quoque summopere probavit atque laudavit: tui vero inprimis mentionem honorificam in curia, & aliis congressibus fecit. Sed nihil æque tanto desiderio in votis habet, quam ut opus tuum historicum integrum huc quamprimum mittatur. Tanta profecto amplissimi hujus ordinis est virtus, ut non solum hæc studia magnificiat, sed etiam regia quasi benignitate prosequatur. Proinde ita te existimare volo, nihil te illi gratius facere posse, quam

ſi ſcripta tua, ſi fieri queat, illi communicaveris, ſicut ex literis videbis, quas ad te mittit, &c. Dantiſci.

Excell. T.

Studioſiſſimus

M. Hermannus Frederus, reipublicæ Dantiſcanæ Secretarius.

Epigramma *M. Hermanni Frederi*,
Secretarii Gedanenſis.

L*Euthingere*, tibi debet tua Marchia honorem,
Quod ſis Marchiacæ conditor hiſtoriæ.
Si non invideant illi pia fata decorem,
Patria majoris nulla decoris erit.
Zoile, laudandos ceſſes mordere labores,
Aut linquens venias, Lazare, ſepta foras.
Et tunc judicio non præcipitante videbunt
Omnes, jactata qualis in arte ſies.

Clarisſimo & excellentisſimo Viro, Domino *M. Nicolao Leuthingero*, Hiſtorico Brandenburgenſi nobilisſimo, amico ſuo honorando & dilecto.

SAlutem ab Immanuele tibi ex animo precor. Clarisſime & excellentisſime Vir, redditæ mihi ſunt literæ & hiſtoriæ tuæ, quæ mihi acciderunt gratisſimæ. Cognovi enim ex illis affectionem ſingularem animi erga me tui. Velim igitur tibi quoque perſuaſum ſit, nemini amicorum tuorum, quos quidem habere plurimos debes propter virtutem & eruditionem, quarum utraque in te ſumma elucet, voluntate, conſtantia, fide me cedere, neque ceſſurum eſſe unquam. Utinam modo ea tempora reipublicæ eſſent, ut tui, & aliorum clarisſimorum virorum digna ratio haberetur. Mea tamen inſerviendi voluntati tuæ cupiditas declarabitur omnibus iis rebus, quibus efficiendis opera diligentiæ & ſtu-

ſtudii mei præſtari poterit, neque dubito, quin idem alii ſint factu-ri, &c. Berolini.

T. in Domino

Simon Gediccus, S. Theol. D.
Præpoſ. & Aſſeſſ. Conſiſt. El.

Clarisſimo & optimo Viro, *M. Nicolao Leuthingero*, P L. &
Hiſtorico Brand. amico honorando, S.

ETſi mundus nos faſtidiat, ſtudiaque noſtra leviter æſtimet, & ſicuti virtutem ipſam, ita ejus admiratores deſpiciat, nos tamen nequaquam decet in inſtituto ad virtutis metam curſu remisſius, ſed potius, majore cum ſpe bravii, fortius agere, curſumque perſequi: Et quia video te bonam navare operam in hoc ſtudio reipublicæ, auctor tibi ſum & hortator, ut donum in te collatum magis magisque excites, quod quidem cum paucis commune habes. Quid enim attinet ſapienter omnia diſponere, prudenter agere, fortiter facere, ſingula tandem recte adminiſtrare Principem, ſi non accurate ea fideliterque deſcribantur? Hic labor cum tuus ſit, depoſitum non tibi ſerva, ſed expone talentum, & lucrare plurimum, in quo ſuam munificentiam tibi noſter Princeps cum honeſto loco offert, &c. Neuburgi ad Iſtrum.

T.

Jacobus Hailbrunnerus, D. Conc.
aulicus, Conſiſt. aſſeſſ.

Ad *M. Nicolaum Leuthingerum*, Virum clar. *Michaël Haslobius*,
Acad. Francoford. Profeſſor publ.

MArchia noſtra viros magnos dedit, inde *Sabinus*
Prodiit, & patriæ gloria prima fuit.
Poſt hunc *Abdias*, linguis præclarus & arte,
Extulit ad tectum ſolis utrumque decus.
Sed quos *Chemnitius* noſtri doctiſſimus ævi
Præſtat: non habuit Marchia tota parem.

His

His tu, qui patriam ſcriptis & laudibus ornas,
Leuthingere, viris annumerandus eris.
Dona Dei proceres grata cognoſcite mente,
Virtus ſidereis ſedibus illa venit.

Nicolao Leuthingero, P. L. & Hiſtoriographo Brandenburg.

MArchiadum cecini populos, qui bella, Ducesque,
Quæque ſub omnigena geſta fuere toga.
Hic ego *Leuthigerus* eram, ſpes credula Muſas
Et charitas juſſit cum pietate ſequi.
Cum mihi præ myrthis, hederisque, virente corymbo,
Ruta daret ſertum, me levis odit amor.
Hoſpes ego colui peregrinos, cultus ab ipſis,
Preſſit amatorem gens male ſana ſuum.
Regna, Duces, arces, urbes, populosque, virosque
Magnos & doctos cura videre fuit.
Excepit Danus, Suecus, Ruſſus, Scotus, Anglus,
Italus & Gallus, Sarmata & Oceanus.
Te rerum teſtem voco, maxime Iova, mearum,
Ultori ignotum cui nihil eſſe poteſt.
Quod non pauperies, ferrum, vis, latro, venenum,
Fraus, hoſtis potuit, lingua nociva parat.
Marchia natalem, doctrinam Miſnia, laurum
Dania, fortunam patria dura dedit.
Vivite ſemidei: lethum non omnia finit,
Oſſa tegit tumulus, nomen in orbe volat.
Cum ſine fine Deum puro cum corde videbo,
Lugebis, lictor, qui mihi ſævus eras.
Interea multo nimium damnata rigore
Terra vale: poſthac non adeunda mihi!

Johannes Leuthingerus,
Frater f.
E. N. L.

E. N. L.

Ad posteritatem piam, eruditam, probatam, livoris expertem.

MArchiadum cecini populos, qui bella, Ducesque,
Quæque sub omnigena gesta fuere toga.
Ille ego *Leuthigerus* eram, me patria pulsum
Impia fastidit: Numina magna fovent.
Excepit profugum Danus, Suecus, Scotus, Anglus,
Italus, & Gallus, Sarmata & Oceanus.
Regna, arces, urbes, populosque, Ducesque, virosque
Magnos & doctos cura videre fuit.
Quod non pauperies, ferrum, vis, latro, venenum,
Fraus, hostis potuit, lingua nociva parat.
Te rerum testem voco, maxime IOVA, mearum,
Ultori ignotum cui nihil esse potest.
Hospes ego colui peregrinos cultus & ipse,
Pressit amatorem gens male sana suum.
Marchia natalem, doctrinam Misnia, laurum
Dania, fortunam patria iniqua dedit.
Cætera quis novit? lethum non omnia finit,
Ossa tegit tumulus, nomen in orbe volat.
Vivite semidei, æternum salvete patroni,
Vos ego sub calamo semper habebo meo.
Et tu, perpetuo nimium damnata rigore,
Terra vale, posthac non adeunda mihi.

Johannes Leuthingerus,
Frater cariss. f.

Doctissimo simul & clarissimo Viro, Domino *M. Nicolao Leuthingero*, Poëtæ L. & Historico Brandenburgico fidelissimo, suo in Christo amico carissimo, Salutem.

VIdetur mihi, Vir celeberrime, inprimis Satanas olfacere & præsentiscere maximas utilitates, quas è labore tuo incom-

Mmm mmmm m pa-

parabili in Ecclesias & respublicas redundaturas videt: Infensissimus igitur veritatis & publici commodi hostis melancholico vertigine te circumrotare, tuasque cogitationes ac discursum historicum suis tristitiæ tenebris involvere conatur, ut pertæsus tandem laboris hujus calamum abjicias, & sic Deum justa gloria, te ipsum honesti nominis immortalitate, & posteros maximarum rerum scientia defraudes. Sed notum tibi est illud: Tu ne cede malis, sed contra audentior ito. Quod si præmia virtuti non semper respondeant, novum id hodie mundo non est, cujus tibi cursum notum esse non dubito, adeo ut jam callum obduxeris ad omnia ejusmodi mala, quæ non nisi cuivis sunt obvia. Sufficiat tibi gratia Dei: cogita etiam, in hac vita dominari furias livoris, calumniarum, odii, ingratitudinis, & consimiles bestias, quas velle abigere, aut justa apologia fugare, est in se crabrones excitare, & gladio ignem fodere, &c. Ex Brunsuiga.

M. Luças Martini, Hammelburgensis, Francus, Superintendens.

Clarissimo & doctissimo Viro, Domino *M. Nicolao Leuthingero*, P. L. & Historico Brandenburgensi solertissimo, amico meo, S.

QUod patriam tuam, Vir clarissime, monumentis perennibus illustras, multo majorem ipsi exsolvis fructum, quam Glossaspides. Utinam laboribus tuis parata essent inter eos præmia, qui chorum domesticum ornare atque augere, ut poterant, sic debebant. Non defuturi tamen, qui & doctrinam elegantem suspicient, & solertiam istam prædicabunt, & fidem historicam imitari volent, & ad aram gratitudinis aliquid lubente animo offerent, &c.

Chr. Pelargus, D. Marchiæ Superintendens Generalis.

Cla-

Clariſſimo Viro, *Nicolao Leuthingero*, opt. artium Magiſtro, P. L. & Hiſtorico Brandenb. amico ſuo percaro, S.

LIteræ tuæ, clariſſime Vir, refertæ illuſtribus notis magni ingenii, doctrinæ incomparabilis, humanitatis denique & benevolentiæ ſingularis, magnopere me delectarunt, &c. Merito autem, mi *Leuthingere*, immortales tibi debentur gratiæ, quod Marchiæ Hiſtoriam, multis aliis jucundiſſimis & ſcitu dignis rebus inſertis, magna cum laude continuaſti, quod ante te nemo dexterius, jucundius & laudabilius egit. Rectius tu, clariſſ. Vir, in continuatione hujus laudandi operis feciſti, quam ille philoſophicus cœtus, qui, ut ſuis vacaret ſecretis contemplationibus, republica ſe penitus abdicavit. Poſthabitis enim aliis ſtudiis, quæ uberiores fructus allatura fuiſſent, huic operi te totum addixiſti atque conſervaſti, id unice dolendum eſt, præmia non reſpondere laboribus. Hiſtoria ex puero ſenem facit, vere autem puer habendus eſt, immo in gelidis dignus montibus eſſe lapis, qui hoc tuum opus, hunc tuum immenſum laborem non magnifacit, te non amat, colit, veneratur. Precor itaque, ut quod in hisce tuis laboribus reſtat, dextera Chriſti regat, & rem perdifficilem, tibi propoſitam, ad finem feliciter perducat. Optime vale, meque, ut facis, ama. Wuſterhuſii.

T.

Michaël Polemannus, Conſul.

Clariſſimo & doctiſſimo Viro, *M. Nicolao Leuthingero*, P. C. & Hiſtorico Brandenburgenſi, amico, Salutem!

HIſtoriam tuam Marchicam magna cum voluptate, clarisſime *Leuthingere*, legi, & adhuc indies lego, nequeo ſatis admirari Atticam ſermonis ſuavitatem, rerum abundantiam, quam in ſcriptis tuis exhibes. Exquiſitas accurato judicio univerſæ antiquitatis & præſentium temporum hiſtorias colligis admiranda brevitate, ſolertia majore, quam ille Homericam nuci Iliada includens libello tam

angusto ac tenui, ut vere de te dici possit, quod de Phocione Atheniensi Plutarchus refert; Misces utile dulci, & tot exemplorum illecebris & gnomarum opusculum condis, ut semel in manus sumptum, nisi perlectum, non possit deponi. O te felicem, qui talentum, quod tibi divino munere obtigit, ad utilitatem aliorum elocas, laboribus Sisyphiis, jactura gravi ac periculo ea conquirens, quæ patriæ multum prosunt, &c.

T.

Andreas Prætorius, D.

Andreas Prætorius, S. Theologiæ Doctor, Pastor & Rector Academiæ Francofordianæ, clarissimo Viro, *M. Nicolao Leuthingero*, amico suo carissimo, Salutem.

LIteræ tuæ, doctissime *Leuthingere*, frater in Christo carissime, à fratre tuo mihi sunt redditæ, & tibi gratulari in omnibus, quæ mearum sunt virium, paratus sum, quamvis negotiorum multitudo & valetudo adversa vix sinunt. Præter alios enim labores, quos ex officio pro ecclesia & republica sustineo, magistratum quoque scholasticum gero, & corpore ita sum imbecilli, ut vix scribere possim. Forsan hic est extremus vitæ meæ actus. Te ab eo tempore, quo inter nos notitia & amicitia primum esse cœpit, semper dilexi, & ut scis, non in aula tantum, sed etiam apud adversarios constanter defendi, quin & nuper quosdam ita repressi, ut cum pudore intelligerent, quale meum esset de te judicium. Ejus quoque nunc sum animi, & in posterum ero, eo quod de te præclaram spem concepi, quod Ecclesiam Dei & patriam multum juvare & ornare possis. Et nunc te amanter hortor, ne in hac temporum & hominum injuria in proposito remissior agas, sed quanto difficultas tibi major objicitur, tanto magis virtutum alis ad fastigium gloriæ conscendas, quo te Deum quoque ipsum in hac fortuna vocare video. Is enim primum mortificat, quem vult vivificare, & prius humiliat, & ad inferna ducit, quem vult exaltare.

re. In patria propheta non eſt acceptus. Sic fecerunt Apoſtolis, ſic Chriſto ipſi, ſic ſemper mundus ingratus ſuos faſtidivit. Te etiam Domini crucem ferre oportet, ſi vere Chriſtum ſequeris, ſed cujus merces in cœlis glorioſa eſt. Itaque ſpera in Deum, viriliter age, conforta cor tuum, commendans ipſi viam tuam, qui faciet, & proſperabuntur omnia. Quæ ſcribis de editione commentariorum tuorum Marchiæ, laudo & approbo. Utinam vero tandem promisſis ſtares, & quod dudum pollicitus es, re ipſa exhiberes, ut autem facias, ne te amplius moneri patiaris. Si hominum ingratitudo movet, nimis es meticuloſus, nec ego te ſatis novi: Si alia impediunt, nimis parum bonorum ſtudiis tribuis. Noli igitur diutius in te deſiderari, quod ſponte in gratiam patriæ facere debebas, neque dubita, te bonis omnibus rem gratisſimam facturum. Aliorum levisſimorum judicia nos parvipendere oportet. Quæ te vidiſſe in Anglia narras, dolorem meum auxerunt, cætera me multum recrearunt. Tandem quæ petiiſti, obſignata tibi mitto, faxit Deus omnipotens, ut in nominis ſui gloriam cedant. Tu pro me, mi *Leuthingere*, orabis, & de me tibi omnia polliceberis, quæ posſibilia erunt. Recte vale. Francofurti die 26. Novembr. MDLXXXVI.

Stephanus Schirmeiſterus M. *Nicolao Leuthingero* S.

TAm gratæ & acceptæ tuæ mihi fuerunt literæ, ut in ſenectute mea & officio ſatis moleſto nihil gratius, nihil jucundius accidere potuiſſet. Ex amicorum enim veterum recordatione, & vitæ anteactæ memoria, magnam ſæpe mentis & cordis recreationem & delectamentum haurire ſolemus. Pro tua vero in me ſingulari gratitudine, amore, benevolentia, & honorifica memoria gratiam habeo quam maximam, & referam in æterna vita, cum in hoc mundo referendi locus & facultas non ſit. Propoſitum tuum in abſolvendis commentariis hiſtoricis apprime laudo. Non enim tantum per hoc ſtudium, laborem & diligentiam, nominis tui ad-

admirationem immortalitati commendabis, ſed & totam poſteritatem præclaro hoc opere ad perpetuas gratias & honeſtam memoriam devincies, dum fructus & utilitas tui ſtudii in nepotum & futuri ſeculi emolumentum & commodum cedat.

Johannes Schofferus, Academiæ Francofurtanæ Profeſſor publicus, Viro clariſſ. *M. Nicolao Leuthingero*, P. L. amico & fratri ſuo, S.

CUm te Marchia, luce turbulenta,
Leuthingere, decus politioris
Artis atque pater ſcientiarum,
Primum conciperet, magiſtra rerum,
Clio, Fors, & Apollo conſecratus
In certamina venerant, petentes
A magno Jove, conditore vitæ,
Donari ſibi, quidquid edidiſſet
Partus ſidere difficiliore.
Hoc vobis animo quidem benigno,
Inquit Jova, dabo, ſed ut ſeveram
Frontem, Fors, aliquantulum remittas,
Nec crudelius inſequaris illud.
Crebro cauſa boni meis fuiſti,
Cum non es facilis, nimis nec ægra,
In rebus modus omnibus ſerenat.
Sic uti poterit fruique longum
Clio, ſic & Apollo vulneratis
Nervis à patrio ſolo mederi:
Sic vatem monumenta, ſempiterni
Quæ ſunt nominis, inferent olympo.
Hic Fors: efficiam, pater, quod æquum eſt:
Multum namque ſecunda dehoneſtant,
Nec florere ſinunt nimis ſiniſtra.
Hinc per me bona gloriamque habebit:
Laudem dura dabunt, opesque læta.

Cla-

Clarissimo & doctissimo Viro, Domino *M. Nicolao Leuthingero*, Poëtæ coronato, & Historico Brand. S.

CUm sciam, te multa regna difficili atque solicita peregrinatione complexum esse, gratulor tibi, mi *Leuthingere*, de ista virtute, quam cum paucis communem habes, quotus enim quisque est, qui cœlum, non animum mutet, dum trans mare currat? Tu vero peregrinationis tuæ fructum non tantum ad animi oblectationem, quod faciunt, qui sibi saltem vivunt, sed etiam, cum ortus nostri partem sibi patria, partem amici &c. vendicent, ad rempublicam adjuvandam studiosissime refers, dum inservis gloriæ Serenissimorum Principum Brandenburgensium, quorum res gestas ex tenebrarum barathro in lucem reducis, patriæ vero tuæ peculiarem splendorem infers, nos tandem amicos tuos, qui tibi bene cupimus, incredibili voluptate afficis. Quod igitur Bavaris *Aventinus*, Austriacis *Lazius*, *Cranzius* Saxonibus, *Cromerus* Polonis, *Saxo* Danis fuit, id tu Marchiacis eris, qui si te non ament & venerentur, indigni sunt, qui te habeant. Quod si te non per omnia fortuna, gloria certe immortalis consequetur. Serenissimo quidem nostro te officium gratum præstare non dubitabis, cujus quoque beneficia tibi semper constabunt. Interim, quæ tui sunt officii, sedulo curabis, inprimis vero hoc tibi non excidat, ut tandem opus absolutum universim in lucem prodeat, & tot bonorum voto ac desiderio satisfiat, quibus te promissi vinculo obnoxium aliquo modo esse, ipse non negabis. Cadit autem omne promissum in debitum. Quod igitur debes, hoc persolves, &c. Onolsbaci.

T.

Victorinus Streitbergerus, J.U.D. & Sereniss. Princ. Brand. Consiliarius.

Guilielmus Zvichemus Tig. de olore *Nicolai Leuthingeri*, Viro opt. & clarissimo.

PRoducit plures clarios fœcundus olores
Marchiacis Suevus nobilitatus agris,

Qui

Qui dulces præſtant Phœbæo carmine cantus,
Quales vix reliquus Muſicus ordo capit.
His quoque voce ſuos ſuavi concentibus addit
Cantus, dum præſtat carmine, noſter olor.
Neve ſit inferior reliquis, quos gignit olores,
Et fluat æquoreis gratia vocis aquis.
Eſt aliis claros undis miratus olores,
Auſus & illorum pellere fonte ſitim.
Sic ſpatiis haurit diverſis Leucoris undas,
Sic ſitiens guſtat pectore Miſa tuas.
Umbris pampineis redimitus & Odera quercu
Excipit, imponens ſplendida ſerta comis.
Non renuit flavas merces qui volvit Eliſter,
Aonii clarus fertilitate chori.
Imo ſic hoſpes Salanis pocula Muſis
Qui dat: & ex alio flumine potus abit.
Advolat hinc tandem noſtras ornatus ad oras,
Urbem qua Rhenus perluit amne ſuo.
Quem cum vidiſſet Phœbus guſtare liquores:
Hic fœcundus erit tempore, dixit, olor.

Ad *Nicolaum Leuthingerum*, cum horrendis Gygantæi mundi monſtris periculoſe, Deo duce, luctantem, de ipſius vitæ curriculo & ſorte διήγησις.

QUæ ſit conditio vitæ facieſque caducæ,
Nulli te notum rectius eſſe puto.
Naſcimur heu miſere, ſic vivimus atque perimus,
Vita quid eſt aliud, quam dolor atque labor?
Illa datur ſaltem nobis mortalibus uſui,
Et reddit certi temporis hora Deo.
Qui nos interea caſus luctusque fatigent,
Ipſe tuo exemplo tu mihi teſtis eris.

Et

Et quis ſuſtinuit certamina talia, quæ tu
Absque modo luctans & ſine fine ſubis.
Eſt nobis compar ratio vitæ & ſtudiorum,
Hins ut res ſe dant, magni humilesque ſumus.
Marchia natalem, doctrinam Miſnia, laurum
Dania, fortunam patria iniqua dedit.
Obſcuro genere es tecto ſub paupere natus,
Sed virtus clarum nomine & arte facit.
Europa ingenium multis cum dotibus auxit,
Cujus in amplexum per loca cuncta venis.
Italus, Hiſpanus, Gallus, Scotus, atque Britannus,
Sarmata cum Bojis Pannoniisque colit.
Triginta plures populos Germania fulcit,
Qui norunt omnes teque tuumque decus.
Vix ſchola, vix templum, vix ulla Academia reſtat,
Quæ non à cupido ſit pede trita tuo.
Quas aulas, urbes, populos, quæ regna, Ducesque
Vidiſti, nobis hora ſtatuta dabit.
De regno in regnum duxit Deus atque reduxit,
Se ſocium præſtans angelicumque chorum.
Ne Dæmon, vel homo mordax animalve noceret,
Curam habuit ſumma cum bonitate tui.
Sæpius in ſpecie humana bonus angelus haſta
In rebus dubiis viſus adeſſe tibi,
Et Satanæ proprio juratos ſanguine diri
A tergo magna vi repuliſſe tuo,
Atque monere per indicium certamine moto,
Quæ fugienda tibi, quæ facienda forent.
Per mare, per terras, paupertas ipſa meare
Viſa, injuſtitia vim faciente, fuit.
Haud tamen in miſeris rebus quid defuit unquam,
Omnia propitio contribuente Deo.

Te non afflixit morbus ſcabiesque febrisve,
Non uſſit peſtis tot repetita modis.
Non latro, non hoſtis potuit, non hoſpes avarus,
Vel vi, vel ſtructa fraude nocere tibi.
Si quæ coapta tamen clades fuit, intulit illam,
Nomine qui blando fictus amicus erat.
Qui debebat, poteratque juvare benigne,
Huic tua pernicies præmeditata fuit.
Illud, quod vocitant, venerabile nomen amici
Te fortunatum perdidit atque tua.
Fortunas, vitam, perdunt & tempus amici,
Hinc ſolum tacitos præſtat adire lares.
Quo diuturna magis, tibi carior omnis eremus,
Quod procul à cunctis cum probitate fides.
Ingenua ingenui tractant ſervilia, ſervi,
Ingenuas artes ingenioſus amas.
Mens exculta bonis ſtudiis, animusque fidelis
Semper, robuſtum corpus, & os tacitum.
Firma valetudo, ſtomachus ſiccus ſitiensque,
Ingenium felix, judiciumque bonum.
Eſt quadrata tibi facies, vultusque ſeverus,
Simplicitatis amans, ruſticitate carens.
Glauci ſunt oculi, denſus criſpusque capillus,
Sunt dentes firmi, naſus ab ore brevis.
Quod ſi Marte velit tecum contendere Momus,
Firma miniſtrabit brachia prompta manus.
Conſilium calidum; ferventior ira, cupido
Nulla voluptatis, grandis honoris opum.
Formoſum Paridem ſuperas facundus Ulyſſes,
Dum niger aſpectus, cor nive candidius.
Gratior eſt equidem virtus in corpore pulcro,
Fortior aſt animo ſi ſapiente venit.

For-

Formosis levitas propria est, constantia nigris,
Dignaque simplicitas semper amore fuit.
Si quid inest vitii naturæ, damna rependis
Virtutis donis ingeniique bonis.
Corporis haud curæ, sed pectoris est tibi candor,
Inprimis veræ religionis honor,
In qua Christus habet primas, Paulusque secundas,
Quas tu subsequeris, dive *Luthere*, vices.
Hæresin odisti, quocunque sit ordine fulta,
Rerum, non hominum censor amicus ades.
Vera fides, spes fixa Deo, sincera voluntas,
Hæc tria sunt & erunt unica cura tua.
Ob veri studium complura pericla tulisti,
Quæ te cogebant mortis adire viam.
Quid referam, quoties tibi tristia fata pararunt?
Qui male de Jesu nomine nomen habent.
Testis Roma, Senæ, fœcunda Bononia, mater
Musarum, Herbipolis, Madritiumque potens.
Quas non insidias alii struxere per urbes,
Quæ non sunt centum conciliata modis,
Ut de carceribus clausum cruciaret abyssus,
Et fieres crudæ victima grata neci.
Crummensebenses puto, *Robelios*que feroces,
Et si præterea quos Viteberga tenet.
Patria censura inprimis vexavit iniqua,
Sed salvum virtus præstitit atque Deus.
Qui minitabantur cædes, hos ordine longo
Mors tristi fati pondere mandat humo.
Sed tu per casus centum, per mille pericla
Salvus præsentem vivis ad usque diem.
Novit enim Deus hostiles infringere vires,
Et cadit in foveam, qui facit, ipse suam.

Te primum clarum fecere poëmata docta,
Jam pridem bis ſex continuata libris.
Quæ ſunt Danorum tibi Rex *Friderice* dicata,
Venit equeſtris & hinc laurea & ordo tibi.
Cujus erat meriti *Henricus Ranzovius* auctor,
Doctrina magnus, conſilioque potens.
Ne quid commemorem de illis referamque, loquuntur
Quæ Ciceronæo plurima ſcripta ſtylo.
Hiſtorias Procerum, qui Marchica ſceptra tuentur,
Cum magna tractas dexteritate ſenex.
Sunt animi juvenum calidi, ſpirantque caduca,
Æternis inhiant corda perita ſenum.
In quibus haud Francos, Pomeranos atque Boruſſos,
Voigtlandos, Myſios, Elyſiosque taces.
Conſiliis addis cauſas, benefactaque laudem,
Virtutes famam, præmia & arma ferunt.
Rebus ineſt factisque antiquis gratia major,
Non tamen idcirco prætereunda nova.
Quæ nova ſunt hodie, cras inveterata ſeneſcent,
Quando per tacitas invaluere moras.
Hinc perſtet priſcis ſemper ſua gloria factis,
Sed jucunda novis gratia rebus ineſt.
In genere ingenium felix, excellit utroque,
Et tua non virtus altior ire poteſt.
Bis ſchola Rectorem, Paſtorem Eccleſia cepit,
Et plenus fuit hic utilitate labor.
Ut contra illecebras eſſes ſecurus amoris,
Cura fuit placitis abſtinuiſſe bonis.
In ſylvis denſis ad amœna vireta morari,
Et dare te Muſis, reddere teque Deo.
Atque ſacram Rutam viridi guſtare corymbo,
Myrthis cum Nymphis, poſthabitisque hederis.

Non

Non Deus, ut perhibent, amor eſt, ſed peſſimus error,
Quem colit is, qui non novit amare Deum.
Dum celebrant alii feralia munia Bacchi,
Devinctumque ſibi numen amoris habent,
Nec contra geminos ſoli contendere poſſunt,
Quod ſpolia ex uno non grave ferre duos.
In ſordes fœde lapſi ebrietate feruntur,
Quas non unda fluens eluere unda poteſt.
Turgida tu ſequeris ſic Bacchi caſtra faventis,
Migret ut in lætum ſollicitudo diem.
Ter tribus atque tribus tua vita dicata puellis,
Nil æque refugit, quam muliebre genus.
Cujus ab arte tibi venere venena frequenter,
Ut tanto arderes ejus amore magis.
Quæ ſunt fuſa quoque, ut vitæ diſcrimen adires
Supremum. Sed non exitus acta probat.
Improba, ni fallor, mulier tua parca futura eſt,
Immitti mortem, quæ tibi falce feret.
Hinc tua libertas, omni pretioſior auro,
Hoc agit, ut poſſit qualibet ire via.
Non illam reputo, ſtygium quæ ducit ad orcum,
Sed pia quam probitas, integritasque tenet.
A ſexu ſubigi muliebri, turpe virili,
Uxoresque viris imperitare malum eſt.
Dedecus hoc mundum ferme complectitur omnem,
Hinc perit orbis amans, creſcit & orcus ovans.
Eſt à natura mulier mala, pejor ab uſu,
Pejor, quam Satanas, peſſima, ſi ſit anus.
Aut amat, aut odit nimium, res tertia non eſt,
Neutra poteſt homini vel placuiſſe Deo.
Peccat in exceſſu, defectus peccat & ipſe,
Peccatum eſt, quicquid cogitat atque facit.

Frigida cum calidis pariter ſpiratque coquitque,
Fel ſub corde latens, mel ſimul ore gerens.
Flere, ſimul ridere, nihil reticere, doloſe
Mentiri, ſexus ſunt muliebris opes.
Et puer & canis & mulier, tria nomina ſunt hæc,
Virtuti ſemper pernicioſa tuæ.
Scilicet inde tibi veniunt incommoda quæque,
Hinc tua per vitam cuncta querela venit.
Dum fugis Græcas curas, procul eſſe latinas
A ſtudiis rectis, arte favente, jubes.
Nil placet in mundo, præterquam vita dicata
In ſancta ſummo conditione Deo.
Quid juvat in toto theſauros orbe tenere,
Et ferri ad ſtygias præcipitanter aquas?
Ingenuos æterna juvant, & nomen honeſtum,
Æternum pietas & benefacta juvant.
Si quis divitias habeat, doctiſſimus ille eſt,
Si careat, docti vix male nomen habet.
Eſt animi ſervilis, opum vi ſe dare nummis
Vanis, æternis & caruiſſe bonis.
Te male nummatum nec habendi plura cupido,
Nec dolor amiſſi, corde gemente tenet.
Præſtat humi tolli, atque hominum volitare per ora,
In magna obſcurum quam latitare domo.
Nec bene conveniunt, & in una ſede morantur
Mens pia, cor ſapiens, parca & avara manus.
Rebus in adverſis es fortior atque ſecundis,
Res adverſa docet, reſque ſecunda nocet.
Sidere fortunam felici fata dederunt,
Uti fortuna fata negare tibi.
Dum cœnas, comedis, bibis, & legis abſque querela,
His tribus officiis ſanctificatur homo,

Pla-

Placaturque Deus, de cujus munere pendens,
Invigilas precibus totus in ejus opem.
Et veluti panis corpus confortat & offa,
Sic animum recreat lectio tincta mero.
Non calida unda lavat tuum caput, unde catharrus
In te non reperit nec pituita locum.
Balnea non curas, corpusque caputque fricando,
In falvo fanum corpore pectus habes.
Turpes anginæ nefcis tuffisque fcreatus,
Salvum fub fano pectore corpus agit.
Donis & precibus, nulla virtute parantur
Officia, in quavis conditione bona.
Tu, quæ funt ultro meritis oblata, recufas,
Concedens aliis, quod tibi forte venit.
Hinc tibi non tenuis, fed nullus in orbe relictus
Eft locus, in campis confenuiffe fat eft.
Ille refert Gallum, præftatque hic vefte Latinum,
Arguit inceffus mentem animumque parem.
Artibus his magnos multi mercantur honores,
Te capit antiquæ fimplicitatis amor.
Eft aliis populis levitas innata profanis,
Germanos gravitas, integritasque decet.
Eft virtus hodie, mellitis fallere verbis,
Tu quod corde foves, illud in ore refers.
Ad varios ducit natura poëtica motus,
Ut placeat patriis femper abeffe focis.
Nunc & in hoc cupias regno, modo tegere in illo,
Rara juvant, fordent quotidiana tibi.
Otia non capiunt, fed multa negotia mentem,
Per mare, per terras, hinc agitatus abis.
Sæpe venenatus ferpens, vermisque repertus
In ftrato, curæ te probat effe Deo.
Dum quafi nycticorax, deferta habitacula quærens,
In fylvis & agris nocte dieque manes.
Non tibi conjugium placuit, quamvis opulentum,
Quamvis conjunctum cum pietate foret.

Uxo-

Uxorique Deoque ſimul ſine labe placere,
Vix ego mortali poſſibile eſſe puto.
Hæc cunas, curas, canos parat atque ſepulcrum;
Hinc uxor valeat, præſtat amare Deum.
A tergo ſequitur minitante calumnia morſu,
Innocuum ſiſtas quo moveasve pedem.
Et quidquid dicas faciasve, arrodere tentat,
Virtuti inprimis eſt inimica tuæ.
Summa nec ima petis, bona ſed mediocria captas,
Felix, qui medium rite tenere poteſt.
Contentus modico atque tuo, quem ſors dat, agello,
Hunc ſudore tenes, multiplici arte colis.
Non te delectant cum verbis facta profanis,
Æternis gaudes ſidereisque bonis.
Qui ſordet fœde, pejus ſordeſcat in ævum,
Sobria vita Deo & verba pudica placent.
Hei mihi, quanta bonis conferta peritia rebus
Et vis virtutis, te pereunte, perit.
Hujus ſunt aulæ teſtes, Academiæ & ipſæ,
Illuſtres ludi, ſemideique viri.
Fortunis poſtquam ſpoliatus ſæpe fuiſſes,
Tandem omnes furtim res Viteberga rapit.
Dum ſic inſervis patriæ, conſumeris ipſe,
Et ſenii meritis gratia nulla venit.
At tibi pro meritis reddet digna arbiter æqui,
Huic fidas, fidei ſi quid ineſſe putes.
Inprimis aulæ ne decipiare favore,
Non ſic aura vices mutat, ut aula fidem.
His nec fide nimis, fidos quos credis amicos,
In mundo non eſt ulla relicta fides.
Vive, valeque diu recte, mandataque ſerva,
Quæ quondam fida ſunt agitata manu.
Mens æterna manet, manet indelebile nomen,
Æternum virtus & benefacta manent.

T. ille antiquus non dierum, ſed peregrinationum comes.

CAR-

CARMINUM ET EPIGRAMMATUM LIBER PRIMUS.

Daniel Grynæus de *Nicolai Leuthingeri*, V. clar. poëmate.

Cum lego *Leuthigeri*, quæ carmina dictat Apollo,
Non dubito vatum dicere numen ineſt.

Prudentisſimis Viris, ſapientia, doctrina, virtuteque ornatisſimis, Domino *Conſuli*, *Conſularibus & ceteris Senatoribus inclitæ urbis Croſnæ in Sileſia* : Dominis & Mæcenatibus ſuis colendiſſimis, S.

SCitum eſt cauſas conferre in tempus, cum meliora afferre, ſi cupiamus, non poſſimus. Equidem me & temporum injuria, doctrinæque & virium, quibus mihi conſcius ſum, paupertas coëgerunt, ut facerem, quæ poſſem, non quæ vellem. Nam poſtquam me fata à vobis ad alios miſiſſent, Viri prudentiſſimi, exceperunt me non leves contentiones, animorumque diſtractiones, quæ me ita quaſſatum perpulerunt, ut Muſæ meæ neque ſeceſſum, neque otium ſuum habuerint. Quibus autem rationibus vel auctoribus homines iſti iniquiſſimi & φορτικώτατοι oneroſiſſimi, ut è verbo exprimamus, eo ſint deducti, ut velut Furiæ infernales facem funeſtam mihi & domui meæ inferre tentarent, hactenus nondum eſt compertum. Si ſuo judicio, vehementer errant: ſin aliorum inſtinctu, intelligere debebant, ſummæ nervos eſſe ſapientiæ, non temere credere. Sed accidit forte illis, quod *Demoſthenes* in exilium abiens objiciebat populo Athenienſi, novitatis avido, ut libenter, quæ vellent, crederent. Ejusmodi homines non aliter, ut cœla in ſinu Euboico doctis præter-

 na-

navigantibus, esse suspecti possent. Illos tamen pro mea facilitate oro, ut si forte, ne dicam pœnitentia, satias criminandi & nocendi ex multa copia cepisset, de me & meis candide & honeste sentiant. Sin autem nostris injuriis & immaturis judiciis apud alios crescere liberet, auctorem me sibi esse patiantur, aliam potius crescendi materiam quærendam, odioque quod sim istis omnibus falso, id me verum dicere, exitus declarabit.

Neque sane mihi antidotum venenatis linguis, & impudentissimis hominibus, ne quid dicam asperius, opponendum defuturum existimabunt, non solum, quia arrogantis hominis sit & dissoluti, aut etiam crudelis, negligere famam, & quid de se quisque sentiat, sed ut quoque his resistam, qui libentius omnia quam verius evomunt, de quibus nihil hic regeram: & medear illis, qui mihi aut sunt parum æqui, vel vitio naturæ indulgentius credunt, quæ viri famam lædunt, quam quæ commodant. Concederem autem promptissime hanc palæstram aliis, non levius certamen habituris, si per istos liceret. Est tamen, quod gaudeam, & Diis gratias agam, quod non perplexe, & per Syncrusium risum, qui in Sardonium mutari solet, assentationemque, quæ est calumniæ ἡ συγγενὴς καὶ ἀδελφή, ut antea, sed palam detrahant. Premit itaque *Leuthingeros* non causa, non culpa, sed istorum obtrectatio & malevolentia, neque tamen, ut spero, hac deformitate injuriæ diu exultabunt, atque efferent se, ANGELUS & MARZANIUS, dum domum nostram invidia & calumniis, quando alia re non possunt, opprimere conantur. Interim precor, ut fata melioribus auspiciis istic proficiscentes accipiant, quam *Leuthingeros* illuc miserint, nostra autem fortuna nunquam egeat, animus certe non egebit. Ita enim, uti literis didicimus, ut non ex iis exiguam oblivionem, sed medicinam malorum petamus.

Tu, ANGELE, male loqui cum tuis perge, quoniam bene loqui non didicisti, inprimis cum tibi parum fuerit, non laudare fratrem, nisi etiam me proscindas & accuses. Contenti alii pos-

sent

ſent eſſe victoria, te ne morte quidem exſatiari poſſe credo, niſi ſepulti quoque manes & famam, quæ eſt τῶν ἐτῶν μητὴρ, lacerares, & me inſuper acceſſione invidiæ mactares. Quod deforme magis vobis, quam nobis turpe. Æquum autem cenſeo, ut propter victoriam præclare partam & rem bene geſtam perpetuus honor tibi habeatur, & revertenti à cœna, quod de *Duilio, Conſ. Rom.* proditum accepimus, tibicines canant, & funale præferant. Nos feramus noſtra per te liceat, ἐν τοῖς ἑαυτῶν τῷ παθεῖν καὶ συμπαθεῖν; & ſatis nos dignitatis habere, ſi nos ipſos regere poſſimus, credamus, ſperemus etiam, virtutem plus nobis ſuo tempore daturam, quam fortuna abſtulit, quandoquidem magica arte propellendum malum ex re noſtra non ſtatuimus, neque ſane malagmate ſanari poſſe. Interea ſimus tales, quales tu nos, ANGELE, decantas & proclamas, & ſi per te ſtaret, quales nos aliis deridendos propinares, ſed ſimus tua culpa. Non enim negamus, te eſſe unum inſtar urbis tuæ, ſic enim ſoles gloriari Thraſonico animo, vultum tuum pro decretis eſſe, voluntatem pro populi juſſis, denique omnia tibi licere, quæ libeant, etiam ut cuniculis agas in curia & nummos coronatos à patribus repoſitos quæras, ut in uſum tuum convertas. At nobis etiam hoc concedas neceſſe eſt, generoſius ſi in ſua quid ſede gignatur, inſitum alienæ terræ in id, quo alitur, natura ſe vertente, degenerare. Sic *Menelaus* introducitur barbarus factus inter barbaros; ſed nec fraudi mihi ſit illud, quod queritur apud Comicum juvenis, tute loqueris, me vetas, non ut te plumis & coloribus tuis depingam, aut convitiis tuis reſpondeam; nam à Muſarum cathedris iſta certamina ſunt longe alieniſſima, ſed ut meæ innocentiæ excuſationem in medium afferam, non prætendendo aut deprecando, ſed ut bonus quisque liberrime inter te & me judicare poſſit. Interim etiam dabo hoc tuis beneficiis, quod ſpongia tantum deterſurus ſim, quæ in me temere congeris, quamvis ego cum aliis plane ſic ſentiam, te non nobis, ſed Muſis & Gratiis bellum indixiſſe.

Sed quo me rei indignitas, Patres, protrahit, quæ ad ſtomachum veſtrum nihil facit? Equidem vos mecum omnino ſic exiſtimare volo, non eſſe peſtem majorem, ex mephiti quaſi contractam, quam id genus hominum, qui cum maxime lædunt, id tamen agunt, ut viri boni eſſe videantur, & ſimul inferunt grave impedimentum bonis & ſalutaribus conatibus, cujus ego exempli poſſem eſſe κομικὸς μάρτυρ. Sed me non ſolum temporum, in quæ præter ſpem & opinionem incidi, difficultas, & hominum iniquitas oppreſſerunt, accidit etiam alia cauſa, ſiquidem mihi virium imbecillitas, adeoque paupertas, non illa, in qua veterum laus olim & excellentia fuit celeberrima, ſed doctrinarum miris modis moleſta eſt, non ἐν τῇ δυνάμει tantum ἑρμηνευτικῇ, ſed & γραφικῇ, ut prætercam τὴν αὐτοσχεδιαστικὴν καὶ ἐπεξεργαστικὴν, aut in hac arte ne dicam ὑπερφυῶς ἁπλῶς ſolum adeptam, ſeu velitis ἀνάγνωσιν, ſeu ἀκρόασιν, ut minime expectationem veſtram implere poſſim, niſi forte me illud apud vos commendet, quod vatum ἀκροάμασι operam dederim, & acceſſione induſtræ & judicii poſſe multa corrigi & addi. Nam uno tempore omnia recte fieri novum adhuc hodie eſt. In quo ſæpe ſtructuram *Capitolii* ob oculos mihi proponere ſoleo, quod quadringentis vix annis conſummatum. *Romulus* culmis texit, poſtea de novo fundamenta jecit *Tarquinius*, addita poſtea triplex porticus, ſylva cupreſſina, gradus marmorei, & tectum inauratum à Cæſare *Auguſto*, quod ſummum ſplendorem urbi inducebat, & afferebat Tibure proficiſcenti vel Cumis. Adeo duratura cum tempore obfirmantur. Abjeceram ego hoc ſtudium, deterritus quorundam, quorum tum apud me auctoritas plurimum poterat, judiciis iniquioribus. Nam etſi hoc unum ſciam, quod nihil ſciam & poſſim, habebam quod Deo acceptum referrem, nec deerat mihi mediocritas ingenii, (quid enim donum Dei, in me diſſimilem, quod meum non eſt?) & quod ad rem plurimum faciebat, adeptus clariſſimos & peritiſſimos artifices, in pueritia quidem ANDREAM CÆLICHIUM, poſtea adoleſcentulus

lus

lus à patre NICOL. LEUTHINGERO, quem honoris & amoris gratia nomino, ad GEORGIUM FABRICIUM, Virum incomparabilem, adductus, poteram videri felicitatis culmen ascendisse. Præterquam enim, quod schola illa illustrissima Misnensis, quæ me quadriennium intercessione Electorum D. D. JOACHIMI II. & JOHANNIS GEORGII, Marchionum Brandenb. aluit, me non ignarum plane trium linguarum, sic ut græca æque mihi familiaris, quam latina esset, & Philosophiæ moralis, ad Academias mitteret, non exiguam eram laudem, ut ætas mea patiebatur, nec apud imperitos aut vulgares censores consecutus: Gloriosum videbatur *Ciceroni* una nocte trecentos versus absolvere, si pace aliorum fieret, idem de me affirmarem. Et sane si tum in eo cursu, quem feliciter tenebam, progressus fuissem, aut nobilius esset nomen meum, aut mihi præstantiorem venam promitterem. Sed cum Vitebergam venissem, & inde me in Academiam Marchicam contulissem, etsi habebam amicum & patronum clarissimum nostri temporis Oratorem, & Poëtam coronatum, D JOHANNEM SCHOSSERUM, familiaritasque mihi & conjunctio intercederet non vulgaris cum felicissimo vate, M. MICHAELE HASLOBIO, Professore publico, Viro clarissimo, tantum tamen abfuit, ut illorum præstantissimorum virorum exemplo adductus, studio illo me plane non abdicarem, sed & cum ætatis meæ anno 20. gradum summum in Philosophia assumpsissem, Theologicis, oratoriis & Historiæ, inprimis Philosophiæ ita me dederam, ut extra hanc aut doctrinam nullam aut inutilem superstitiose existimarem. Cumulabantur autem una cum ætatis annis etiam labores, quibus vel invitus abstrahi ab hoc instituto poteram. Nam cum de commendatione D. JOHANNIS SCHOSSERI, viri summi & singularis Academiæ ornamenti, quem sæpius propter ipsius in me præclara merita nominare cogor, Barones, nobiles, aliosque honestissimos studiosos, in meam disciplinam traditos, docere & regere cœpissem, vocatus denique ad gubernationem vestræ Scholæ, & postea

quoque *Spandoviensis* in Marchia, θεωρία quidem hujus artis, quantum satis erat ad captum adolescentum, operam dedi, sed ἄπρακτος eram. Turbulenta erant ea tempora, prorsus igitur mihi non stationem meam relinquendam, sed paulum acie excedendum, putabam, cum viderem omnia affectibus geri, sine ratione mentis aut bonorum præjudicio. Veniebat etiam mihi, velut à *Socratis* genio monito, in mentem, quod *Ælianus* libro 3. de *Platone* annotat: Is interrogatus, *quare Athenas reliquisset? noluí*, inquit, *concedere*, *ut Athenienses bis in Philosophiam peccarent.* Incesserat me cupido, partim religionis amore, partim studio elegantiæ & voluptatis causa, adeundi præcipuas Academias & civitates illustriores Germaniæ, tandem reversus Vitebergam, ut studium Theologiæ absolverem, hic audendum mihi aliquid judicavi, ut me ipsum excitarem, meoq; exemplo invitarem alios. Utebar interim etiam hac arte, ut sicut illa liberrimum ab aliis cogitationibus requirit animum, me quoque turbulentioribus affectibus distentum revocaret, non sine singulari voluptate, cum qua conjuncta est. Et sic prodiit primum ingenii mei fœtus, quem vobis, Patres, utinam bonis auspiciis, dedicatum volo, & quidem eo nomine, quo vos semper colui. Nam ego non sine suavissima affectione de vobis vestraque pulcre constituta civitate cogitare possum, cogito autem sæpissime.

Nam ut taceam, ipsam urbem *Crosnam* habere, quo certet cum multis aliis, amœnitas certe loci ea, qualis vel Tyburi vel Tarento satis esset, aëris quoque, meo judicio, salubritate multum præstat, ita, ut clementiorem mihi in vita non meminerim. Mutua erat harmonia consensus patrum & civium. Habebat tum præsidem reverendissimum & nobilissimum Virum, ABRAHAMUM à GRUNEBERGK, commendatorem ordinis equestris in *Logaw*, &c. qui nunquam satis laudatus est. Hunc velut alterum *Quintilium Varum* amabant propter pudorem, colebant propter justitiam, admirabantur propter virtutem vel maximæ digni-

gnitatis viri. Qui vivum paradigma præclariſſimarum virtutum ſuarum in filio ABRAHAMO reliquit. Habebat MELCHIOREM SCHLERUM Conſulem, de quo ſæpe conqueror, quod mihi non licuerit diutius in prudentia iſtius viri conquieſcere, quem ego ab initio ſtatim mihi Patronum aſſumpſeram, optima quæque mihi de illo pollicitus, & memini me ſentire & dicere, *Schlerum* propter ingentia dona & ornamenta cœlo demiſſum, & plerosque Deos, ut more veterum loquar, certatim in eum ſua dona contuliſſe, natumque ad id unum videri, quodcunque agat. Habebat & VALENTINUM SCHAFNERUM Conſulem, virum de illa republica bene meritum, cujus ſceptrum nunquam erat ſine oculo, ut, quo nomine olim Romani ſuos Conſules dignabantur, rectius ipſi competeret, docebatque ſuo exemplo, nihil eſſe magnum, quod non placidum. Quid dicam de MELCHIORE REIERO, qui nec πρωτολογία movebatur, neque in judiciis ulla re impediri poterat, quo minus juſtum exſequeretur, & poſſet ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι. Et quid de aliis? ſed amplior campus ſe aperit: neque ſane ego panegyrice omnium encomia & merita perſequi inſtitui, nec prolixiorem commentationem præfatio accipit. Eccleſiaſticæ gubernationi præerat M. ULRICUS MEISNERUS, vir ſummæ doctrinæ & virtutis, cui me plurimum debere agnoſco. Poterat ille abſolutiſſimum puritate doctrinæ, vitæ innocentia & conſtantia in adverſis Eccleſiarum inſpectoribus eſſe exemplum. Tranſeo ad Scholam, cujus ego tunc temporis præcipua pars eram, & ἐν τῷ ςαδίῳ (?) iſto veſtram tum in me, tum in illam, humanitatem, beneficentiam & ſapientiam expertus. Eſt præcipua cura, quod vos intelligebatis, Patres, Scholarum in civitate, & quidem merito, ut in quibus theſaurus optimus & cariſſimus conſervatur. Et de magiſtratu ſolent ſapientes ex conſtitutione illarum judicare. Hinc ſemper humaniores gentes inter ea commoda, quæ augerent & ornarent rempublicam, Scholam vel potiſſimam exiſtimarunt, & anxie ſolliciti de eorum inſtauratione fuerunt,

erunt,

erunt, quæ apud nos σεμνεῖα appellantur, in quibus educantur plantulæ, Deum in æternum glorificaturæ. Crediderunt etiam talem rempublicam futuram, quales post se juvenes reliquissent. Hoc consilio Athenienses quatuor Gymnasia, inter quæ vel *Cynosarges* ignobilissimus *Themistoclem* dedit, aperuerunt. Romani etsi suos liberos plerumque Athenas mitterent, tamen splendidissimo in loco Capitolio Musarum sedem posuerunt & præceptores 12. aluerunt. Taceo ἀγωγὴν Lacedæmoniorum: *Nymphæum Philippi*, Macedonum Regis, apud Miczam, ubi etiamnum hodie sedilia *Aristotelis* saxea, & obambulationes opacæ demonstrantur, & alia. Videtis Patres, vos certare cum maximis viris, dum Scholæ vestræ salus vobis curæ & commendata est. Quid igitur dubitabitis, similem gloriam vobis quæsitam? Certo ex magnis virtutibus vestris nulla est hac admirabilior, qua proxime ad Deum acceditis, præsertim jam ubi Gymnasia periclitantur, & cum ipsis Musis & Cathedris Scholarum bellum geritur, & magis, quantumvis invitus divinare soleam, periculum metuendum. Hispani nullam vitam sine armis rebantur, vos nullam sine literarum scientia existimabitis. Hinc gloriam vincitis, & aliquando dulcissima ἀκροάματα, decantante choro Angelorum & Ecclesiæ, audietis, & si cujusque fama perennarit, vestra erit immortalis. Quam igitur gratulor vobis, qui sicut olim Judæi φιλόστοργοι, vos φιλάρετοι καὶ φιλόμουσοι eratis. *Hipparchus*, *Pisistrati* filius, laudatur, quod Academiam muro circumdederit. Quid vos? qui non theatrum, à P. Cornelio Nasica inutile & publicis moribus nociturum in republ. R. ex S. C. destruendum: non φροντιστήριον Aristophanicum, qui sic *Socratis* scholam, ut inanium curarum domum, sed virtutis & Musarum, inprimis pietatis domicilium me Rectore renovabatis & splendide exornabatis. Imo cum *Philippo* Macedone inopem illam diem autumabitis, qua non aliquid huic cogitationi, ut filia vestra unigenita incrementum acciperet, daretis. Eratis vos, Viri sapientissimi, illi Abrahami, ad quos

De-

Deus Optimus Maximus inquit: Quomodo celare Abraham possum, quæ gesturus sum. Scio quod præcepturus filiis suis & domui suæ, ut custodiant viam Domini, & faciant justum & bonum. An non hæc fiebant in Schola vestra? Quod si de hac gratia Dei certus fuisset apud Iberos *Sertorius*, qui primus Magistris, ut artes liberales docerent, & ingenuos pueros educarent, stipendium de publico dedit, quanto hæc majore studio fecisset? Quanta feliciore æmulatione *Trajanus* Imperator quinque mille selectissimorum juvenum aluisset, & à Præceptoribus recte informari voluisset? Estis igitur revera inter illa tria genera immortalitate & divinis præmiis dignissima, quæ *Plato* recenset, τῶν φοςτικῶν scilicet, τῶν σπȣδαίων καὶ ἐνεςγετάτων. Quid dicam de vestra circumspectione, sed ea tantum, quæ ad μυςμήκιον vestrum pertinet? Legati Achæorum conquerebantur in Senatu Romano, *Philippum* Macedonem *Demetriadem* in Thessalia, *Chalcidem* in Eubœa, *Corinthum* in Achaia, quas tenebat civitates, non contumeliosius, quam verius compedes Græciæ appellare, unde Græcia libera esse non possit. Quanto justius, Viri ornatissimi, querimur, compedes honestis literis injectas esse, sine quibus res literaria, quæ in arctum contracta ruinam minitari videtur, salva esse non possit, inscitiam docentium, improbitatem discentium, & Mæcenatum paucitatem. *Timotheus* Musicus duplicem exigebat mercedem ab iis, qui aliorum opera usi fuissent, quod geminatus quoque labor subeundus foret, alter dedocendi, alter docendi. Quod vos præclare attenditis, & probatissimum quemq; vos pertrahitis, & quem semel tueri cœpistis, constanter tuemini. Cum interim multis usu veniat, quod isti virgini, quæ Romæ in monte Palatino ante Palatium, ab *Augusto* Cæsare magnificentissime exstructum, inclamat: *Saltem aliquis veniat, qui mihi dicat: Abi.* Nihil est autem crebra mutatione periculosius, sicut memini *Spandoam* intra annos tres & decem Rectores ludi decem habuisse, & illos quidem plerosque sine gratia discessisse. Intelli-

ligebant hujus rei neceſſitatem vobiscum *Athenienſes:* Nam cum antea ſervis commendaſſent ſuos liberos inſtituendos, lege *Lycurgi* erogata, vir publicus Senatorius *Pædanomus*, ex eorum numero, ex quibus maximi Magiſtratus conſtabant, ſapientiſſimus illis præeſſe juſſus eſt: *Romani*, fuerunt enim hæ duæ gentes excultisſimæ, illa in doctrinarum, hæc virtutum ſtudiis, ut majeſtatem ſuam ſarctam tectamque conſervarent, commendabant adoleſcentes, poſt ſumtam togam, & mediocriter in vernacula progreſſos, quam vel à Grammaticis, vel matribus, inter quas illuſtres fuerunt Corneliæ, petebant, principi Senatus, qui rerum geſtarum gloria florebat, & eloquentiæ & ſapientiæ laude ceteros anteibat, ita, ut, quoad poſſent, ab illius latere nunquam recederent, ad illius fores mane & veſperi præſtolarentur, ipſum in curiam ducerent, & deducerent, ad hunc de omnibus referrent, omnia ejus dicta, oracula & teſtimonia ducerent. Quid autem hodie? ubi regnant, quos *Ariſtoteles* ἀγνοίᾳ non καθ' ἀπόφανσιν, ſed κατὰ διάθεσιν laborare affirmat. Et ſimiles expetunt applauſores, qui inter ingenia diſcernere, an εὐφυῆ ſint, an vero ϛάσιμα, non poſſunt. Olim Athenienſes ex Scholis κλέπτειν, ἐπιορκεῖν ϗ βλέπειν τὰ ἀντία domum reportabant: O utinam hæc non tam trita, quam vera eſſent in noſtris, quod accidit ſola docentium incuria! Quid autem interim attinet ἀνάλογον crepare, ſimulare & diſſimulare, quid παρέργοις inhærere, & ex loco dignitatem & utilitatem quærere, & nihilominus gerunt ſe pro Homeris hæc ἐκτρώματα, cum vix ſint Cheryli: qui tamen tanta cupiditate expetuntur, ut mecum conſtituere aliter non poſſim, quam obrepſiſſe hominibus rerum bonarum faſtidium. Sed infelices illos, quorum ſtudia ad hos triarios devenerint. Meo quidem judicio multo incertiores abituri, quam illi apud *Terentium* à J. C. quorum unus ait, alter negat, tertius deliberandum cenſet. Hinc eſt, quod pauciſſimi aliquid veræ gloriæ reportent, non quod τὰ ὄργανα deſint, ſed ſolum κατὰ γένεσιν infeliciter progrediantur. Quid, quod fideles do-

doctores immanissimis odiis persequantur. *Plato* à *Dionysio* vocatus, postea ab eodem venundatur: *Nero Senecam* & *Lucanum* voluntaria morte damnat: *Socrates* veneno extinguitur: *Boëtius* Regis *Theodorici* jussu vitam amittit: *Quintilianus*, ut haberet, unde viveret, Scholam aperire coactus. *Lactantius Firmianus*, qui *Crispum*, *Constantini* Imperatoris filium, litteris erudivit, adeo pauper vixit, ut plerumque τοῖς ἱκανοῖς necessariis egeret. Et quid de nostris? Sed exempla sunt odiosa. Revera uno ore testantur, quotquot huic vitæ generi addicti, vere πόνον ἀπὸ τοῦ πένεσθαι dici, mercedemque reddi, quam *Pindarus* πήνην nominat. Ego quidem hæc videns, difficile dictu est, quam non tam afflictum rerum statum doleam, quam de fortunis communibus extimescam, sic ut pro Pallade & Musis Martem & Furias simus habituri. Sed vestri illius, Patres conscripti, circa scholam vestram studii non sine voluptate meminisse possum. Habuit illa præstantes Viros, inter alios, D. BERGIUM & D. WEIDENERUM, Viros clariss. vocastis me quoque ad eam provinciam ante quinquennium, pro quo honore gratias vobis ago, in qua diligenter τοὺς πολυκεφάλους, quibus recte juventus proveheretur, monstravi: & me ad clavum sedentem strenue & alacriter *Sylvester Chalcebornus* adjuvit. Fecimus, quod potuimus, nec enim omnia vitare posse vel *Argum* illum oculatissimum putemus, aut *Lynceum* perspicacem, vel illum *Strabonem*, qui ex Lilybæo naves exeuntes è portu Carthaginensi numeravit. Studui certe, ut omnia πρὸς τὸ χρήσιμον, non ad applausus referrem ἀκόλυτος, siquidem *Scipio* non sum, de quo *Livius* scribit, non fuisse solum virtutibus mirabilem, sed arte quadam in earum ostentationem positum. Adjuverunt me etiam, velut Hemerodromi vigilantes, sic enim Græci suos speculatores vocabant, qui cives monebant de periculo, M. ULRICUS MEISNERUS, qui est unus ex illis veteribus Argonautis Vitebergensibus, qui χρυσόμαλλον δέρας Sophistis abstulerunt, & MICHAEL ROMANUS Syndicus. De juventute autem ve-

ſtra nihil habeo, quod aliud affirmem, quam quod *Piſiſtratus* uxorem ducturus liberis, num qua ſua culpa fieret, interrogantibus reſpondit: ἥκιστα ἀλλὰ ἐπαινῶν, καὶ βουλόμενος ἑτέρους μοὶ παῖδας τοιούτους γένεσθαι: Minime, ſed laudans vos, volo, ut ejusmodi mihi plures ſint liberi. Et ſane ſi à maximis ad infima deſcendam, & omnia diligenter circumſpiciam, vel ſapientiſſimus in veſtra civitate mihi εὐδαιμονεῖν poſſe videtur. Tanto igitur gravius mihi accidit, ſerioque dolui, me rebus meis ſic ferentibus à veſtra conſuetudine abductum & avocatum. Sed non leviter reficior, dum confido, ut ſicut præſentes omnibus officiis amplectimini, ita abſentes non facile neglecturos, nec repente patrocinium præciſuros, eaque ſpes in me fortius augetur, ſi cogito, qua humanitate & pollicitatione me à vobis dimiſeritis: Accipietis igitur à me, Patres prudentiſſimi, velut Dii tutelares, hunc meum libellum eo animo, quo feci in hac mea infirmitate. Nam etſi alias mihi ſe multi generis impedimenta, nec ea levia, in meis rebus, quas neſcio quis Genius diſturbat, obtulerunt, tamen inter reliqua etiam hoc incommodum accedit, quod in hoc meo climacterico quarto εἰς πυρετὸν graviſſimum inciderim, & ſicut nulla calamitas ſola, leucophlegmatiam, quam hypoſarca nominant, fere mihi contraxerim, ſed tamen totus in hoc ſum, ut, Deo dante, τὴν ὑγιείαν ποιεῖν poſſim, nec mihi, quod ſatis φθαρτικὸν fuerit, ἀναιρετικὸν fiat, & meminiſſe, quare Gratiarum templa olim in mediis foris condi ſolerent. Cujus rei indicia majora exſtabunt in commentariis meis rerum Marchiæ, quibus totus jam ſum occupatus, ut in publicum quamprimum prodeant. Deus Optimus Maximus tribuat Germaniæ pacem, ceteris regnis jam paſſim labantibus & inclinatis. Vitebergæ ς. Id. April. ſub cujus nocte inſequente vir Dei, D. PHILIPPUS MELANCHTHON ante annos tres & triginta in ſomniis legit hæc verba: Τιμόθεον ναυμαχοῦντα ἁλῶναι, cum numero adjuncto XV. Cujus ſomnii ſignificationem eventus poſtea comprobavit, quando

do inclitus, & nunquam ſatis ob pietatem, magnanimitatem & conſtantiam laudatus Elector Saxoniæ quinto decimo die poſt caperetur. Anno à nato Servatore MDLXXX.

V. Prudentiæ

Deditiſſimus
M. Nicolaus Leuthingerus, L.

Ad reverendisſimum & nobiliſſimum Dominum ABRAHAMUM à GRUNBERGK, *Commendatorem in Logaw, Dominum in Zeitz & Neudorff*, &c. de obitu reverendiſſimi Domini ABRAHAMI à GRUNBERGK,

Monodia.

SI juvat in querulas voces lugubribus ire
Verbis, & luctus ſigna referre ſui,
Muſa, meis adſis votis, dum juſta paramus,
Elyſiis potuit qui decus eſſe jugis.
Turba poëtarum lacrimoſos ſolve capillos,
Si tangit mentem mœſta querela tuam.
Mæcenas nusquam per funera ſæva videtur,
Pallet in obſcuro corpus inane rogo.
Huc ades, o pietas, paſſis miſerabilis alis,
Patronum quæres dilaniata tuum.
Funde, Themis, gemitus lacrimis per colla ſubortis.
Singultu, virtus, concutiente dole.
Occidit heu! patriæ noſtræ laus maxima terræ,
Occidit & pariter viſa perire ſalus.
Confuſus mœret, qui Marchica Sceptra tuetur,
Non *Viadrus* luctum continet ipſe ſuum.
Quis CROSNÆ poſſit leges præſcribere flendi,
NATO quis lacrimas temperet ore ſuas?
Ergone te rapuit nobis lacrimabile fatum,
O GRUNEBERGIACÆ maxima fama domus!

Ergo nec in viridem puduit convertere montem
Falcem, quæ viduat fœnore, Parca, ſolum,
In tumulis patriis cum mons altiſſimus eſſes,
Attingens cœlum vertice, calce ſolum.
Vincere non poteras fatalia ſtamina, Clotho,
Nec pietas juvit, nec pietate fides.
Nil tibi nobilitas, nil viſus profuit orbis,
Quam modo repleras laudibus usque tuis.
Nil favor Heroum, *Suevi* qui regna gubernant,
Nil tibi quo gladio fortiter uſus eras.
Quid juvit vires amplas habuiſſe nocendi,
Nec Lacheſin nervos extimuiſſe tuos?
Nil adeo prodeſt, nil gloria, nilque triumphus.
Omnia cum fuimus, pulvis & umbra ſumus.
Vidimus attonitas patroni morte Camœnas,
Virtutemque nigris flere per ora comis.
Ipſe ſibi viſus contra ſe vertere curſum,
Qui late *Viadrus* gurgite findit aquas.
Murmure contremuit tellus, juga viſa moveri,
Nil tamen hoc luctu mota fuit Lacheſis.
Quam male parcendi nomen tibi contulit ortus,
Nomine quam vere ſæpius omen abeſt:
Sic quantum terris radiantia ſidera diſtant,
A factis diſtant nomina ſæpe ſuis.
Sed quid ego refero crudeles ſtamine Parcas?
Nemo naturæ lege ſuperſtes abit.
Nil adeo magnam mundo, mors atra profanat,
Nil adeo firmum robore, morte cadit.
Mors æquo greſſu mortalia limina calcat,
Seu caſa ſit ſervi, ſive ſit aula Ducis.
Cæſar ubi? lethum nigro ſubmerſit averno,
Irus ubi? fatum ſub cava buſta tulit.

Sic

Sic *Crœsum* tandem tellus concludit & *Irum*,
Nec vis funereos effugit ulla rogos.
Poſt obitus remanent ſolum præconia laudis,
Cetera prætereunt, unica fama manet.
Cedat nobilitas, dominorum regia cedat,
Omnibus extremam præparat hora diem.
Vel cito, vel tarde metam properamus ad unam,
Liberat à fati conditione nihil.
Vita datur nobis utenda, ſed absque ſtatuto,
Hic ſumus incerti, cum ſolvenda venit.
Namque ſuo arbitrio tempus diſpenſat & horam,
Quæ tribus ex Furiis Atropos una furit.
Felix, qui fatum, ſtrepitus & vicit averni,
Hunc bene defunctum vivere crede Deo.
Et veluti ſemper patet atri janua Ditis,
Janua ſic vitæ ſemper aperta piis.
Una via eſt lethum, qua cœlica regna ſubimus,
Ut bene quis moritur, ſic bene regna ſubit.
Hic ſalve æternum nobis, digniſſime Præſes,
Miles eras Chriſti, pro cruce miles eras.
Dum pugnas, cadis invictus ſerpentis ab ictu,
Sed roſeo Chriſti ſanguine victor ovas.
Et qui cum Chriſto per valles mortis abibas,
Nunc quoque cum Chriſto cœlica regna capis.
Sic luctus patriæ pallentia ſupprimat ora,
Quique es poſt obitum ſpes, ABRAHAME, patris.
Crede mihi, non eſt nulla revocabilis arte,
Quem ſemel ad lethen navita puppe tulit.
Deflevit tot Roma patres, tot Græcia matres,
Elyſiis rediit nec tamen umbra jugis.
Quin nos decurſa vita properabimus omnes,
Quo nos vel pœnæ, vel bona fata trahunt.

Quæ nobis parca dubia ſperanda corona,
Hanc ſub felici nomine victor habet.
Nos terret lacrimoſa dies formidine lethi,
Is loca devicta cœlica morte tenet.
Hinc iterum ſalve, fortunatisſime victor,
Mortuus es mundo: nunc bene vive Deo.
Eſt aliquid vitam felicis ducere fati:
Hic erit à fatis vivere poſſe labor.

In Clypeum candidum, quinque cœruleis trabibus inter ſe junctis diſtinctum, inſigne quinque nobiliſſimorum Virorum, OTTONIS S. CHRISTOFERI, ARNOLDI, JOHANNIS, & CASPARIS à CRUMMENSEH, *Dominorum in Lansberg, Blumberg, & Wernaw*, &c.

REx Scythiæ ſenior pyliis moriturus in annis,
Scilurus, ſoboles cum numeroſa foret,
De regno, patriaque ſua, ſobolisque ſalute
Sollicitus, ſervum ſpicula ferre jubet,
Lectaque ſub falcem pariter confringere natos,
Cum renuunt, frangi faſce ſoluta jubet.
Cum poſſent: ſic robur, ait, concordia regnis
Præſtabit, cladem mens malefida feret.
His etiam trabibus ſimulacra monentur amoris,
Quem vernat lauro pectora cincta fides.
Quinque trabes junctim campo, ſic novimus, albo,
Cœruleo ſeptæ nempe colore nitent.
Adfert inſanam ducibus diſcordia cladem,
Sed robur minimis addit amica fides.
Sacra ſit hæc: numero ſuperi velut impare gaudent,
Felicis clypei ſunt quoque quinque trabes.
Cœruleus color ut factis ſe nubibus infert,
Sidereæ curam ſic pietatis habet.
Utque trabes niveo fulgentes conſpicis arvo,
Pectora ſunt tenera candidiora nive.

Aſtat

Aſtat candori mentis fortuna ſerenans,
Nam niveum laudem proſperitatis habet.
Hæ junctæ faciunt ſepem : tranſcendere metam
Turpe, ſed egregium eſt omnia lege ſequi.
Commiſſumque inſtar ſepis defendere campum,
In quo pax creſcit, cum pietate ſalus.

De Angelis

Ad prudentiſſimos Viros, *Conſules & Senatores civitatis veteris Lansbergi*, Dominos ſuos colendos.

LUx erat æthereis radiis ſine corpore vita,
Quæ formata manu cunctipotentis erat.
Lux erat illa potens, virtutibus inclita multum,
Atque ſcientificis nobilitata bonis.
Lumine flammifero, niveo fulgore coruſca,
Oraque vibrati fluminis inſtar habens.
Officiis ut ſit puris per munia præſto,
Aſpectu nunquam deficiente Deo.
Hunc citharis pulſet, cœleſti carmine laudet,
Hunc hymnis cantet, concelebretque tuba.
Lux erat illa nimis multum diſperſa per agmen,
Ad ſedem faciens juſſa ſevera Dei.
Ventorum rapidis levium pernicior alis,
Candidior vultu candidiore nivis.
Heliadum patrem ſuperans ſplendore ſerenum,
Et prior egreditur qui ſtatione polum.
Venerat huc tacite maleſana ſuperbia mentis,
Quique necat primo limine livor iners.
Pars lucis demens Divum meditatur honores,
Contemnens nati fulmina magna Dei.
Scinditur hinc diſcors ſtudia in contraria cœlum,
Sumuntur pugnis acria bella ſuis.

Pars, quæ pro Satana ſtabat furialibus auſis,
Cum duce per ſtygias præcipitatur aquas.
Sed Regi Regum qui fidus adhæſerat ales,
Et ſine fine capit dona, ſub aſtra manet.
Fortius atque bonis melius majoribus auctus,
Lætitiæ numerum neſcit habere ſuæ.
At qui lucifero pulſi ductore tremiſcunt,
Et loca vaſta, vices aëriasque colunt.
Judiciumque timent triſtis formidine pœnæ,
Flagrantes odio verſicolore Dei.
His ſucceſſit homo parvis natalibus ortus,
Sed tamen æterni factus imago Dei.
Neſcit honore Deus ſummo, cultuque carere,
Deſit ubi cœlum, gloria ſurgit humo.
Sed memor hic odii Satanas hominisque creati,
Nam labor eſt odium diſſimulare malo.
Verſus ad inſidias, hominem vafer opprimit hoſtis,
Vis ubi nil poterat, fraus adhibenda fuit.
Vult hic eſſe Diis ſimilis, fit turpe cadaver,
Fit nihil & Satanæ tetra cloaca trucis.
Nunc abeat demens & Divum poſcat honores,
Qui majora petit, perdit & id, quod habet:
Sic hominem truncat, Satanamque ſuperbia perdit,
Et tamen in caſus gens animoſa ſumus.
Sed Deus errores hominum miſeratus acerbos,
Per natum recipit, rebus & addit opem.
Mandat & Angelicis turmis vitisque coruſcis,
Ut contra Satanam nocte dieque tegant.
Et vigili moneant ratione cavere furorem,
Qui phlegetonteis ſub ſtyge manat aquis.
Hinc ſunt cuſtodes hominum, noſtrique miniſtri,
Qui prohibent, ne nos vis inimica trahat.

Hos

Hos pius Isacides, somnos dum naribus efflat,
Cum fuerat Syrios quærere jussus agros,
In scala, aërio cœlorum culmine fulta,
Vidit ad alternas ire, redire vias.
Nostra domus testis, testes sunt mœnia nostra,
Quantum sub tali nomine præsidii.
Dum nos & nostros magno discrimine servant,
Curribus æthereis nostra vireta scatent.
Quin igitur patres sanctis advolvimus aris,
Et cordis ferimus thura parata Deo.

Idyllion

De *Comata Pastore Siculo*, qui, quod Musas coleret, inclusus in cavam arborem, ut fama moreretur, à Musis suis supra annum alitur, & ex vitæ periculo liberatur: ex *Theocriti* Idyll. VII.

PAstor erat *Siculus*, quem ceperat ardor habendi,
Divitiis ullis nec satiandus erat.
Is, quia pauperiem sibi dedecus esse supremum
Credebat, magnas arte parabat opes.
Mille boves pratis pingues halantibus ibant,
Et totidem pecudes ubere mulsa dabant.
Mille greges una sylvisque viisque per herbas
Errabant, sue sus, cumque bidente bidens.
Dum sibi sufficiunt prolem generando recentem,
Ex aliis aliam, vere tepente, ferunt.
Lanigeros agitant hircos, hirtasque capellas,
Et viridi pascunt dum coryleta solo.
Sed contemtor erat Divum, nec Numinis ulla
Cura, Cyclopæo cuncta furore gerens.
Unus erat vitæ cultus, lex justior una,
Spernere jus hominum, spernere jussa Dei.
Sic sceleri nulli velut improbitate secundus,
Mens virtutis erat prodiga, fraudis amans.

Utque ſolent ſtupidi, laudem fugiebat honeſti,
Laus erat una Deos fallere, vana loqui.
Nec mirum: monſtrum Trinacria terra fovebat,
Qua Cyclopæas evomit ætna faces,
Naturam cultumque ſuæ induit incola gentis,
Noſcitur ingenium ex aëre, corpus humo.
Dives agri multum tellus, agreſtis & ipſa,
Quæ colit agreſtes præſide Marte viros.
Rex Neptunus erat, qui cuſpide temperat æquor,
Diviſasque tenet cum Jove patris opes.
Fallit Neptunus dum claudicat, æquora fallunt,
Nec Siculis levior gens fuit ulla viris.
Sicanius fabricat ferrum, quid durius illo?
Quid ponto tumido ſævius eſſe poteſt?
In prædam gens hæc errantia corpora vertit,
Atque ſimul mactat faucibus illa ſuis.
Iſmariis populis populus truculentior ipſis,
Qui negat hoſpitii jura fidemque ſequi.
Cum talis paſtor, ſeu Cyclops verius, eſſet,
Nam nihil à patriis degeneravit agris.
Emerat Æmonium comatam fœnore ſervum,
Sed minime græcam noverat ille fidem.
Non erat in ſuperos pietatis amantior illo,
His de dimenſo thurea grana dabat.
Horum fana colens nolebat adeſſe profanis,
Immundus quorum ludicra mundus amat.
Inprimis Clarias ſi poſſet habere ſorores
Æquas, credebat ſortis id eſſe genus.
Has igitur cultu, ſummo veneratus honore,
Paſtoris poterat nomen habere boni.
Sed Siculum longe tectum felicius illo,
Cujus apud Scyllam cura fidelis erat.

Quidquid enim faceret, cedebat protinus illi
Rectum, Pierio cuncta regente choro.
Sentiit hunc fidem Cyclops, præfecit ovili:
Ad ſua, dicit, ages paſcua, ſerve, gregem,
Illiusque geres curam, ne fauce leonis,
Vique lupi pereat, ſetigerive ſuis.
Ne ſcabiem morbosque ferat, turpesque podagras,
Aut urat glacies frigida molle caput,
Carpathiive Noti noceant, ſubitique nec imbres,
Aut quæ tempeſtas ſolibus icta nivis.
Ut nitidus fiat, ſtipulis filicumque maniplis,
Cura ſit undoſam ſternere ſubter humum.
Educas ſtabulis vigilanter, ad illa reducas,
Et fœni faſces pabula grata feras.
Avertasque famem, quæque eſt mortalis egeſtas,
Cum fervore dies æſtuat ille gelu.
In primis Zephyriis, ad læta vocantibus arva,
Ad ſua per ſaltus paſcua mitte gregem,
Quam prius Aſſaraci Tithonia fratre relicto
Flava pruinoſo vexerit axe diem.
Ut ſub mane novo carpant pallentia rura,
Cum niveo canet fertile rore nemus.
Rore rigante venit pecori nil dulcius herbis,
Sic ſervus minime deſidioſus eris.
Ad puteos demum potare canalibus undam
Convertas, quoties ſurgit ab orbe dies.
Et medius Titan rerum contraxerit umbras,
Aut ſua purpureis cum juga demit equis.
Sic ait: atque monet vitare pericula mortis,
Et quæ tentarent verbera dura manus.
Non ignarus erat Comata Tyrannidis, olim
Quæ ſibi viſa domi ſævior eſſe viro.

Ut quem protulerant Syrtes & vaſta Charybdis,
Sub ſcopulis Lybicis, ignivomiſque jugis.
Qui Nemeſin nullam, cuiquam nec parcere noſſet,
Quando adamanteis naribus ira furit.
Ergo velut tremulæ variant Aquilonibus undæ,
Ut folia Æolio quæ tremefacta Noto,
Examines artus & territa membra tremiſcunt,
Et frigent pavidi corde gemente ſinus.
Neſcio, quid læva prædicit ab ilice cornix,
Quid præſaga mali pectora mente monent.
Sed non deſpondens animum per fata, quievit,
Et ſuperis dubius talia vota dabat:
Dii maris & terræ, veſtras huc vertite mentes,
Cum Junone tua conjuge, ſumme pater;
Et vos ruricolæ Satyri, Faunique, larseque,
Oreades & quæ flumina, Nympha, tegis.
Vos quoque, quæ ſacri Clarias Aganippidos undas,
Signa Meduſæi docta fovetis equi.
Aſpirate meis votis, o Numina ſacra,
Et tu, magne, gregi, Phœbe, ſaluber ades.
Et quas Aſcræas colui ſine labe ſorores,
His faciles cœptis addite ſumma meis.
Audiſtis mecum, ſævis qui ſævior Euris,
Quæ ſint Cyclopis juſſa ſevera mei.
Sed cum nil adeo veſtro ſine numine felix,
Vos rogo, ferte gregi vela ſecunda meo.
Sicaniis juſſis in me parere facultas
Perſtet, ne peragat me mea culpa reum.
Ut ſanas aſpirent Oceanitides auras,
Officii fungar munere rite meo.
Sit mihi prima Dei pietas, ſit ſumma voluptas,
Militiæ vincam triſtia quæque meæ.

Im-

Improba non capiant tenuis faſtidia vitæ,
Vile quod eſt homini grande placensque Diis.
Laniger hic veſtras falcatas ibit ad aras,
Atque voluntatis debita ſigna feret.
Cum teneris vitulis gratæ dabo munera vocis,
Et memori nomen ſemper habebo ſinu.
Dixerat, arreptum manibus, mactatque bidentem,
Et facit Aſcræis debita ſacra Diis.
Vota cadunt, nivea concedit ab alite cœptum,
Conatusque juvat turba novena pios.
Nec jam mille greges paſcunt, ſed millia centum,
Fit Crœſus Cyclops, qui modo paſtor erat.
Sed quoque promiſſis addebat facta Comates,
Semper & exacto menſe cruentat ovem.
Jamque decem, totidemque dies ter fecerat ortus,
Sub Pontum Cyclops littore carpit iter.
Dum rapido tondent pecudes præpabula morſu,
Miraturque alto numine ruris opes.
Divitias quantas brevibus congeſſerit umbris,
Agmine quam vario multiplicaſſet oves.
Interea, triſtis balatus perſonat aurem,
Ergo retardato ſubſtitit ille pede.
Sed querulæ voces creſcunt, clamore replentur
Valles, & reboant rure ſonante juga.
Sic videt accurrens ſervum mactare bidentem,
Et mox correptus tabe furoris, ait:
Conſilio cujus, nequam, quo nomine, prædo,
Hæc perdis tanto parta labore mea?
Tempus erit, tactam cum non optaveris unam,
Perfida mortifico cum dabo membra malo.
Obſtupuit ſervus, dictis tamen ardet amicis,
Emollire ſui verba furentis heri:

Quod

Quod feci infelix, propter tua commoda feci,
Ne foret his gregibus peſtis acerba, refert.
Meque licet lethes miſerum furialibus auſis,
Hoc quoque condemnes ad fera buſta caput:
Attamen ad magnum lætus proficiſcar Olympum,
Nectare qui Divum paſcet & Ambroſia.
Percitus hic Cyclops, concludit in ilice craſſa,
Et damnat, Scyllæ lege jubente, fame.
Jamque videbatur demortuus eſſe Tyranno,
Septima nox pulſo cum foret orta die.
Sed Deus ex ſuperis, qui proſpicit omnia vindex,
Frigida Theſpiadas mittit ad antra Deas.
Has Comata vocat, votis & nomine poſcit,
Nec deſit multa ſollicitando prece:
Audite, o Muſæ, mihi lex eſt lata, peribis,
O Clio, lethi tollere fata potes.
Me miſerum ſerva, tibi nam ſervare poteſtas,
O meme vultu candidiore juva.
Si tamen eſt viſum ſtygiæ me mittere morti,
Non tamen hæc pietas ſit ſine laude mea.
Neſcit honore Deus cultuque carere ſupremus,
Et prece vult nunquam deficiente coli.
Nec caſu quidquam facit, aut meliore lapillo,
Sed jubet invictas pondus habere preces.
Sicque fatigatus votis miſeratur amici,
Quem tolli cœli vult ſuper aſtra ſui.
Fortunisque jubet decuplo majoribus uti,
Nomina quam ſubiit deteriora prius.
Excipiunt illas Pimpleo vertice Divæ,
Nec ſpernunt humiles cum pietate preces.
Aërii mellis libamen in ore reponunt,
Et tandem pietas præmia juſta capit.

Nam

Nam Jovis exorant fratrem Neptunia ſceptra,
Carcere hyperboreo mittat ut arma Noti.
Quæ quercum circumſternant Aquilone refuſo,
Cultoris fiat quod ſine clade ſui.
Supplicibusque patrem precibus per nubila poſcunt,
Ut pro Comatæ ſceptra ſalute regat.
Annuit omniparens, exit ſurgentibus Euris
Ilice, Pierii fretus amore chori,
Æthereisque bonis & opum ſucceſſibus auctum
Dius inexhauſto Nectare paſcit Amor.
At Cyclopis oves ſcabie pertentat Apollo,
Immittens ſtabulis frigora mixta lue.
Altius ad culmen deterret ſqualidus imber,
Illotus tonſo ſudor adhæret ovi.
Præterea tondent hirſuti vellera vepres:
Et ſic grex ovium funditus ille perit.
Ecquid adhuc illude Diis & numina temne,
Paſtor is eſt ſubito, qui modo Crœſus erat.
Quisquis hyperboreis ventis delubra ſecutus
Aonidum, Phœbo das tua vota ſacro,
Et tua jejunas ſtringit penuria menſas,
Sæpius evadis naufragus inter aquas.
Terror & intentat mortem, te fata repoſcunt,
Nec tamen ex ulla parte levamen adeſt.
Sis bonus & fortis ſacro ſub numine Muſæ,
Quam nunquam terror ſperat, habebis opem.
Eſt ſua vis Muſæ, ſeu perſtes, ſive recedas,
Sæpe nocere poteſt, ſæpe juvare ſolet.
Non ingrata ſuis donis ſectatur alumnum:
Quod non prædives dextera, parca dabit.
Hic panem confert, poſt mortem nubibus infert,
Sic venit ex Muſæ numine vera ſalus.

Ad PAULUM DIDYNUM *Torgensem*, Virum & Poëtam clarissimum, *Professf. Academiæ Jenensis* de *anno suo climacterico quarto.*

QUi mihi, PAULE, decem vicibus, bis & octo recurrit,
Is portentosi sideris annus erit.
Nam licet indigno vultu quoque multa minetur,
Quotquot ab Aonio numine nomen habent:
Attamen ille meo suprema per omnia cladem
Affert, qui tenui lucet ab igne, foco.
Prætereo morbos tacitos febresque calentes,
Et nova quæ viduat patria tecta lues.
Quam non ipse levet sacris Epidaurius herbis,
Hercæi quamvis sit Jovis ille nepos.
Sors mihi spirabit ventis adversa sinistris,
Et lassis nemo rebus amicus erit.
Filius in patrem verbis consurget acerbis,
In natum vultu deteriore pater.
Qui firmo juncti naturæ fœdere fratres,
Marte, manu, lingua mutua bella gerent.
Quidquid agam nigra concedet ab alite cœptum,
Nec mensura mali, nec modus ullus erit.
Adde, quod ejectus patriis peregrinus ab oris
Experiar longis tædia multa viis.
Frigora tentabit Boreas inferre sub Arcton,
Threicius mediis dum furit altus aquis.
Quod vires Eurus capiet Nabathæus ab ortu,
Cum Zephyro seri vesperis arma geret.
Ibit & adversus Titan radiantibus astris,
Et quæ Luciferum nox vocat orta diem.
Stella Jovis felix contraria fata movebit
Sola mihi, nec erit rebus amica Venus.
Qui mihi præbuerat natales Cynthius ignes,
Et quem Maja tulit Pleione nata Jovi.

In

In caput hoc miserum læsi sua numina vertent,
Non erit accepti thuris acerra mei.
Nimboso surgunt Athamantidos æquora fluctu,
Aggemat ut tacitis ipsa carina malis.
Et quo non tendam, rapiet celer impetus Austri,
Dum lassæ navi navita vela dabo.
Hinc me Scylla rapax, infestabitque Charybdis,
In me jurabunt omnia monstra freto.
Sic veluti fertur plorasse Caystrius ales,
Ad ripas vita deficiente necem.
Sæpius implebo vanis loca cuncta querelis,
Et metuet summum funeris hora diem.
Laniger inprimis aries, qui perdidit Hellen,
Quod decus ingenio, detrahet omne, fuit.
Octipedis cerno ferventia brachia cancri,
Et quæ signa feri terga Leonis arant.
Quod nova diffusis volvent dispendia rebus,
Et membris sanis vulnera magna dabunt.
Libra caput quassum sub maxima damna vocabit,
Quæ fugio, Chiron fata suprema feret.
His inopem impellet mentem furialis Erychto,
Atque per errores me trahet alta vagos.
Et sic mente jacens & acerbo saucius ictu,
In rupta Domino quæ caret ibo rati.
Et Phrygius veluti mediis Mæandrus in undis
Volvar, dum circum me levis error erit.
Utque fugit minimo Veneris stridore volucris,
Æolioque tremit fraxina virga Noto.
Hærebunt timidis pallentia membra lacertis,
Nec poterunt uno stare serena loco.
Sæpius hic serie calcatus abibo malorum,
Quam quondam rapidis Appia trita rotis.

Nec tot ſylva feras, tot flavas Albis arenas,
Non tot purpureum grana papaver habet,
Quot patienda mihi cœco ſub turbine ſortis,
Et quoties moriar naufragus inter aquas.
Utque velim ſaxo patientior eſſe Sicano,
Nulla tamen damno proficiente ſalus.
O fortuna levis, calcato dirior Hydro,
Aſperior tribulis, quas ferus orcus habet.
Surdior æquoribus, tacitis fallacior undis,
Quo vaga, quó miſerum me violenta rapis?
Quæ mihi moliris Lacheſis ſub nomine Parcæ,
Quæ mihi de ſtygiis Atropos una Diis?
Quid tibi, Tiſiphone, mecum crudelibus oris,
Qui contra feci Numina veſtra nihil?
Parcite, fata, mihi, contexite ſtamina Parcæ,
Nec me ſub media ſternite falce via.
Seu tamen eripitis miſerum diſcrimine magno,
Seu me ſervatis, ſorte jubente, meis.
Nubila disjiciet fluviis Aquilone remotis
Extrema fauſti ſideris hora die.
Interea in caſus monitus conſtantius ibo,
Seu me ſub vitam, ſeu ſua jura vocent.
Quodque dabit tempus cum ſorte ferendo propellam,
Qui bona cum damnis ferre ſcit, ille ſapit.

M. NICOLAO LEUTHINGERO, NICOLAI F. Amico & Fratri ſuo ſuaviſſimo, *M. Caſpar Stoltzenhagius* S.

MOllior Æoliis Zephyrus nunc ſpirat ab oris,
Blandaque jucundis flatibus aura tepet.
Nunc, NICOLAE, juvet curis exſolvere pectus,
Et niveum læta ducere ſorte diem.
Si potes huc mecum feſtivis ire ſub umbris,
Atque meæ patriæ florida ſerta ſequi.

Huc

Huc ades, & nemoris juxta ſpatiare receſſus,
Sic tecum Charites, ſic comes ibit Amor.
I, pete delicias, nec gaudia differ in horas:
Vita fugit, ſero commoda quisque videt.
Tunc ubi purpurei diffluxerit optima veris
Forma, petas fruſtra lumine ruris opes.
Vere placent melius dulces in amore puellæ,
Vere placet culto fœmina culta viro.
Sæpe mihi dulces mea Trutula præbet ocellos,
Ludosque in viridi gramine ſæpe facit.
Hic duo floriferos hortos luſtramus amantes,
Liliaque & tenero carpimus ungue roſas.
Vota ſimul fiunt: O ſi lux fulgeat illa,
Qua duo feſtivus pectora junget Hymen!
O ſperata meis veniant ſi tempora tædis,
Luceat & puro lumine fauſta dies!
At bene vota abeunt, ſuperi fecere, quod inſtat,
Jamque mihi thalamos tædifer aptat amor.
Tu, ſi grata meis aſpirant Numina Muſis,
Huc ades, & genium, mi NICOLAE, colas.
Hæc erit aurato mihi vellere prompta voluntas
Gratior, Æmoniæ quod petiere rates.
Sic tibi Pierides faveant, ſic dexter Apollo,
Sic venias: ſi me non ſimulanter ames.
Tempus erit, quo te, jucunda ſorte receptum,
In thalamum ſimili lege vocabit amor.

Ad M. CASPAR. STOLSHAGIUM *Bernavianum*, Fratrem S.

AD patrias ædes Tua venit epiſtola, vates
STOLSHAGI, Clariæ gloria magna domus.
Protinus ut vidi, tua facta requirere cœpi,
Quid valet, an vivit, quem mihi junxit amor?

Vivit, ait, tædasque parans & ducere pompam,
Jamque ſacro accenſæ lampades igne micant.
Sint tibi Dii faciles, & ſint in amore ſecundi,
Gaudia per thalamum divitiora ferant.
Sic quæ fama prior, quam litera nuncia venit,
A veſtris tædis non aliena fuit.
Non volucris fruſtra concentibus aëra lætis
Mulſit, quæ fauſtis neſcit abeſſe thoris.
Mirabar placidos Zephyros vernantibus Euris,
Et ſine nube polos, & ſine nube dies.
Et tamen exciderat, quod pronuba Juno ſodali
Afforet, & tædis tempora vinctus Hymen.
Inter Hamadryades & quod pulcerrima Svevi
Iret in amplexus Trutula blanda tuos.
Nil natura facit fruſtra variantibus Auſtris,
Aut ſub damna trahit, vel bona fata vocat.
Huc adſis, pharetrate puer, ducasque triumphum,
STOLSHAGIUS victus per tua jura cadit.
Cui nemus Aſcræum blandiſſima carmina dictat,
Et nomen clari gaudet haberi viri.
Cui nec forma deeſt, nec luſibus aptior ætas,
Tyndaridis votum poſſit habere nurus.
Si citharam ſumat, fiat redimitus Apollo,
Si faciem Veneris ſidere vectet ebur.
Cinge caput myrthis, matris conjunge volucres,
Idæis ſtatuas parta trophæa jugis.
Et quæ præcedat currus & turba ſequatur,
Clamet io, feſta voce triumphe canat.
Sed quam molle jugum Paphii, modo novimus, arcus,
Vulnera quam lenis grata ſagitta facit.
O utinam veſtri poſſim pars eſſe triumphi,
Sed me cum tenui lumine febris habet.

In-

Invidet & noſtris dubio penetralibus ore,
Quæ regnat conſtans in levitate Dea.
Invideat nobis, revocetque ſub æquora navim
Quaſſatam, noſtro ſpes in amore manet.
At tu per thalamosque ſinusque relabere molles,
Et ſpolium victæ virginitatis habe.
Solve ratem pronam præeunte cupidine rege,
Dum placidum Cypris per mare præſtat iter.
Dum licet, intactis florem decerpe roſetis,
Eſt aliquid primam poſſe tenere roſam.
Gratius hoc gemmis, villo pretioſius auro,
Plurima ſic rapies oſcula, multa dabis.
Me forſan nunquam Cypris dignatur amore,
Aut juvat in querulo conſenuiſſe thoro.
Interea tædæ Parca meliora jugales
Succeſſu cedant nobiliore meis.
In noſtris aris adolebunt Cynama flammæ,
Fumabitque ſacer thurea grana focus.
In mea vota abiens Lucina vocabitur ipſa,
Quæ precibus Nymphæ parturientis adeſt.
Ipſa Ceres, Junoque ſacra cum Pallade, Phœbus,
Munera certatim, ſorte jubente, ferent.
Sic niveis remis ſpumeſcant æquora veſtra,
Et veniat lateri conſeruiſſe latus.
Veſtraque virginitas, avibus libata ſecundis,
Ex amarantheo germina portet agro.
Sic bene vivatis ſubeuntibus ordine fatis,
Sit tibi cura tuæ, ſit tibi cura tui.
Et mihi dextra Venus faveat, mihi fulgeat hora,
Ut quoque ſit nuptæ Zona recincta meæ.
Et tandem pulcre turba numeratus in iſta,
Judicium, Frater, ſubſequar ipſe tuum.

Tunc

Tunc mihi ſint olea, crines myrthoque ſereni,
Nec Lacheſis noſtras pulſet acerba fores.

Ad *Victorium Gibboſum*, male aliis inſultantem.

IRe ſalutatum dum pergit epiſtola vatem,
I, dixi, nullo præpediente, viam.
Sed quia ſub Latio cultu non purpura veſtit,
Forte coronato durior hoſpes eris.
At neque ſors omnes æque malefida fatigat,
Vivere ne ſimili conditione dedit.
Illum præpetibus pennis ad ſidera tollit,
Deprimit hunc imas ad Phlegetontis aquas.
Scilicet es dignus, virtus præclara meretur,
Sic par eſt ſummos ſumma tenere viros.
Me mala mille modis per mille pericla faceſſunt,
Et tamen hanc vitam ſpe melioris amo.
Sed quid pro meritis reddam, lepidiſſime vates,
Quod decoras Muſam pro pietate meam.
O indigna nimis, quæ nuda potentibus armis,
Non valet adverſum fulminis ire Deum.
Dum mea proſtituit verbis errata ſiniſtris,
Et vult auctori pernicioſa ſuo.
Quæ pietas? quæ nox preſſit ſub luce fateri,
Et quæ vix uni dicere nota foro.
Sit tibi mens melior, ſatis eſt ſatis, ite profani,
Non facit ad mores lingua proterva bonos.
Non ego, ne carpas, vates *Gibboſe*, recuſo,
Attamen in vulgus non recitare volo.
Et cum *Leuthigeri* patitur vim Muſa ſeveram,
Ne quoque *Leuthigero* ſcire neceſſe velis.
Te ne juvat ſoles crimen revocare ſub ipſos,
Si Muſæ neſcis parcere, parce mihi.

Im-

Immodici eſt hominis crebris jactare theatris,
Quæ mala per longas non valuere moras.
Condatur potius truculentis lingua flagellis
His, quibus eſt animus verba moleſta loqui.
Et tu, qui tantum præſtas, ſine, neſcius errem,
Nec bona quis ſciret, ni mala facta forent.
Forſitan adveniens repetit mihi verba proterve
Vatis; & in riſu neſcit habere modum.
Hic mihi mors propior, quoties peccaſſe fatetur,
Omnia cum gelido frigore membra pavent.
Te merito patior, ſed cætera nomina ferre,
Fallor, an extremæ conditionis erit.
Sum ſtupidus, fateor, ſi quid juvat illa fateri,
Si decet in nævos ire fatendo meos.
Sum rudis, & mecum rudis eſt mea ſordida Muſa,
Nec ſum materia doctior ipſe mea.
At tu forſan eris doctiſſimus arte magiſtra,
Quæ ſolet in famam mittere vela bonam.
I nunc egregiis titulis, reparato triumphum,
Victor es, atque ſuo pondere Muſa cadit.
Hic caput oſtenta redimitum tempora acanthis,
Parta trophæa Deo plurima vota ferant:
Scilicet egregiam laudem, forteſque triumphos,
Quos ſacer æternis ſcribat Apollo notis.
At tu, mi vates, ſi quæ tibi cura relicta
Pectoris, Eumenidis deſine vela ſequi.
Ex me non laudem paries, non ampla trophæa,
Lauda, devove, me nihil iſta movent.
O quoties dixi referenti verba ſodali,
Crimina deteſtor, carmina vatis amo.
Cumque meum video fœtum ſub crimine teſtem,
Non meus es refero, nec genuinus ades.

Huic, qui te primus peregrinum vertit in uſum,
Omen aves albæ non cecinere bonum.
Quid petis ulterius? Si tantum crimina noſti,
Dignus es infernis qui tumuleris agris.
Sed ſatis eſt: dentem fugiat candoris amator:
Neſcis artifici tela nocere ſuo?

Clariſſimo Viro, Domino STEINBRECHERO, Illuſtriſſimi Electoris Brandenb. Domini JOHANNIS GEORGII, *Secretario, & Conſiſtorii Eccleſiaſtici Berlin. aſſeſſori*, &c. S.

STEINBRECHERE, Ducis potentioris
Suevum ad ſceptrigerum probata cura,
Antiſtes Themidos ſacratioris,
Doctrinæque pater politioris,
Cultor *Leuthigerus* novem ſororum,
Et ſanctæ pietatis, ex parentis,
Quam Chriſtus genuit, ſinu beato,
Te multum niveo precatur ore,
Per caros patrios tibi penates,
Ut patronus ab hac die ſerenus
Muſis eſſe velis parum ſecundis.
Pro quo munere te colet viciſſim,
Dum ſolem videt omnibus diebus,
Et cum Pieriis canet Camœnis
Te nomenque tuum plaga ſub omni,
Antiſtes Themidos ſacratioris,
Suevum ad ſceptrigerum probata cura,
STEINBRECHERE, Ducis potentioris.

In Symbolum illuſtris & generoſi Domini, Domini ROCHI de LENAR, &c. *Procuratoris ſupremi & Capitanei Marchiæ, Conſiliarii Electoris Brand.* Domini ſui clementiſſimi,

Omnia à Deo.

Omnia,

Omnia, quæ capiunt triplicis confinia mundi,
Succedunt vultu proſpiciente Dei.
Quidquid habet Cæſar, cui paret maximus orbis,
Nam diviſa tenet Cæſare regna Deus.
Dum Deus aſtra ſibi, Cæſar ſibi vendicat orbem,
Hunc tamen ille Deo contribuente tenet.
Quidquid habet ſceptrum Regis, quod purpura jactat,
Curia ſub rerum pondere magna poteſt.
Quod bene jactatis ſpondet ſapientia pennis,
Sub forti virtus inclita corde valet:
Quod fors munificus facili ſub fronte ſerenat,
Sexcentisque locis jugera pulſat equus.
Denique quæ tanto volvuntur cardine rerum,
Omnia nituntur fulta favore Dei.
Nectare qui vivunt, ſed fortunatior ille,
Omnia qui dextra ſe ſcit habere Dei.

De Berolino.

Ad magnificum Virum, JOHANNEM COPUM, *J. U. Doctorem, Conſiliarium intimum Elect. Brand.* JOHANNIS GEORGII, Mæcenatem ſuum.

CÆſare qui primo *Arminius* pugnacibus armis
Milite delevit depereunte Varum,
Is primum fertur lapidem poſuiſſe ſub urbe,
Sidere cui nomen *Mænalis* Urſa dedit.
Marchio majorem fecit ſub mœnibus *Urſus*,
Is, qui *Teutonici* nomen *Achillis* habet.
Hinc crevit multis operis, virtuteque *Suevi*,
Et ſub Parrhaſio non habet axe parem.
Nil tamen hac, COPI quam gloria, clarius urbe:
Non urbs COPO, orbis ſole carere poteſt.

De JOHANNE BUCHBACHIO, Viro magnifico, illustrissimi Principis Magdeb. JOACHIMI FRIDERICI, *March. Brand. Secretario intimo*, Patrono S.

QUam bene, BUCHBACHI, nomen tibi contulit ortus,
Gratia naturæ teque salutat ope.
Ad te victuro minio cedroque notata
Unda velut rivo multa tabella fluit.
Quæ per te fluidæ mollito flumine linguæ,
Regi in Salanis insinuatur agris.
Adde, quod angustis cordis sapientia ripis
Volvitur ex cunctis alta petita libris.
Qua ceu fonte rigantur agri cum mœnibus ipsis,
Et magni sedant Principis ora sitim.
Fortunate, tibi facilis clementia cœli
Semper eat, Musis rivus ut uber eas.

Ad ornatissimum Virum, D. JOACHIMUM STEINBRECHERUM F. omnium virtutum doctrinarumque genere excultissimum, & dignitate conspicuum, &c. de *rerum suarum fortuna*.

CUm per Apollineos cupido nos ore liquores
Pegasei premeret fontis anhela sitis,
Hic ego facundos Tulli spatiatus ad hortos,
Carpebam flores pollice sæpe novos,
Quas Maja genitus Clariis plantaverat undis,
Et Charitum doctis turba rigarat aquis.
Scilicet ut Phœbus festa quandoque corona,
Per laudata meas cingeret ora comas.
Non myrthis, lauro, vel qua Parnasside textam,
Sed placidis oleæ sorte favente notis.
Sed quantum fallunt mentem mortalia cœpta,
Quæ proponit homo, sors mala cassa facit.
Me gravis excepit grandi cum turbine ventus,
Fecit & adversa prælia fronte Notus.

Hinc

Hinc modò cum Borea contra pugnavimus Eurum,
Nunc Zephyrus noſtris juvit acerbus agris.
Et nec adhuc tumidum errantes tranavimus æquor,
Sed ſequimur, quo nos ventus & aura rapit.
Te contra niveis Rhamnuſia geſtat in ulnis,
Integer ex omni parte beatus agis.
Nec tamen invideo felicis ſideris auram,
Sed noſtris fatis ſpe meliora gemo.
Fortunæque vices varias ſub murmure ſpecto,
Quod ſolum rebus perſtet iniqua meis.
Scilicet in dubio volvuntur cardine ſortes,
Nec quidquam certum novit habere locum.
Piſcator variò blanditur piſcibus hamo,
Præparat inſidias Nortia Diva pares.
Nunc bene credentem duplices attollit ad Arctos,
Mox premit ad Stygium ſub Phlegetonte lacum.
Nunc ligat aſtricta, nunc proſperiore catena,
Quem fovet in gremio, mox vagus exul abit.
Hunc rapit in præceps, huic alta cacumina ſpondet,
Quod non vis, præſtat, quod cupis eſſe, negat.
Vivere ſub Latia Lybicus cupit arce Jugurtha,
Et latio captus carcere fata gemit.
Arpinas oleam diſtractæ conſulit urbi,
Tarpeia Martis ſigna ſub arce videt.
Innocuam mortem Nilotica regna minantur
Magno, qui princeps orbis & urbis erat.
Et quæ Troja ſuis quondam pulcerrima regnis,
Nunc jacet in cineres tota ſepulta ſuos.
Hæ ſortes hominum rebus ſplendere ſecundis,
Et verſis vicibus Diris adire domum.
Eſſe quid hoc dicam? ſatius non vivere præſtat,
Quam me ſub tanto nomine caſus agat.

Sic ego: ſed dubito, contra mihi vellicat aures,
Quæ venit ex Clariis Colliopeia choris.
Perfer & obdura, Fors omni volvitur hora,
Craſtina, quæ pateris, forſitan hora levat.
Aſpice candentem radianti lumine Phœben,
Nunc lucet pernox, mox negat illa jubar.
Ludunt humanæ ſimili ſub imagine ſortes,
Et poſſunt certo non mala ſtare loco.
Quæ tibi viſa prius Ponti ſub vortice mergi,
Hæc ibunt clara lucidiora die.
Hos cœlis infert Deus, hos deducit ad orcum,
Et qui mortificat, vivificare ſolet.
Sic ait illa: decus, mecum, *Joachime*, paternum,
Sperabis nitida talia fata die.

De MARTINO RHEDERO.

EDitus in lucem RHEDERUS ſidere fauſto,
Qua tacite virides *Mulda* pererrat agros.
Divite ſub penu tangunt ubi vertice cœlum
Aëriis montes Miſnias ore jugis.
Felices fatis haurit præſentibus auras,
Nomineque ingreditur proſperiore diem.
Et ſub ſiderea lætatur munere virga,
Quæque Dii circum dona cubile parant.
Dum Majæ proles linguam, Latonia plectrum
Confert, virtutem Pallas, amica Venus.
At pietas paſſis frontem redimita capillis,
Funeribus toto corpore mœſta ſuis.
Me niſi certa, refert, cœli præſagia fallunt,
Quæ grave ſub finem pondus habere ſolent.
Cum matura ſuis ætas adoleverit annis,
Hic decus eximium Relligionis erit.

Di-

Dixit, & inſpirat patriæ virtutis amorem,
Aërio gratans, ſpemque decusque ſolo.
Et ſimul accingit mentem cœleſtibus alis,
Atque ſequi plectro cœlica prata jubet.
In quibus ætherei manant ad ſaxa liquores,
Qui ducunt vivo fonte Sionis aquam.
Sic cœli ſpretis nugis incenſus honore,
Et ſummo ſtudii tactus amore ſacri,
Carmine ſidereo cœli ſe nubibus infert,
Et factis venam paſcit & ora Dei.
Vive RHEDERE, Deo chordam cum pectine pulſa,
Cultus in hac terra ſanctior eſſe nequit.

In *Imaginem* clariſſimi & omnium Oratorum latinæ linguæ Principis, M. TULLII CICERONIS Arpinatis, cum à M. DANIELE GRYNÆO *fuſa* proferretur.

QUæ mihi producis deducta Nomiſmata plumbo,
Hæc oculis multum grata fuere meis.
Gratior his Charitum ſuccis oratio tincta,
Quam Clio magno cum Cicerone facit.
Hæc oculos paſcit, paſcit quoque lumina mentis,
Quam fors & caſus non abolere poteſt.
Ignis edit plumbi faciem, ſimul interit igne,
Sed quæ ſunt libris tradita, ſcripta manent.
Hic veris vivisque coloribus ille ſerenat,
Quem patriæ dixit libera Roma patrem.
Sic vivunt Bruti, Fabii, rigidique Catones,
Et Cicero penitus ſic tibi notus erit.

De ſtudio pietatis in Deum.

SIc pius in ſuperos ſtimulat quem gloria cœli,
Et claros titulos quisquis habere velis.

Nil

Nil tibi profuerint lauris Aganippidos undæ,
Nil myrthis cinctum, nil hederaque caput.
Nil favor heroum, vasti vel gratia mundi,
Si superis nescis reddere jura Diis.
Est bellis olim magnus Telamonius Aiax,
Sed cultum supero nescit habere Jovi.
Ergo se contra vertit furialibus armis
Extremam læso Numinis ore manum.
Parvus erat David, plebejo sanguine natus,
At placare viri noverat ara Deum.
Hinc Jovæ nutu summos sortitus honores,
Et Rex & vates maximus ille fuit.
Et sua laus oleæ, restat sua gratia bellis,
Maxima laus magni pectoris esse pium.
Cum pietate Deus confert simul omnia dona,
Hac sacer & felix & bonus esse potes.
Sed velut in patriæ vertit furor arma ruinam,
Impius in vitæ viscera viva furit.

Verbum Dei.

QUod Tyrys Heliæ nautis, Cynosura pelargis,
In sacris Verbum sit tibi sidus idem.

Ad Nigrum.

TEne vocem niveum, tenebris qui nigrior atris?
Nævus Anaxagoræ est alba vocare nigra.
Ast ego, quod solum didici, nigra nomino nigra,
Ex nigro qui fit candidus, ille sapit.
Si sordere placet, nigro sordescat, agatque
Fata, velut cursum nequiter orsus erat.

Ad Mercanium.

NOn rarum labi magnos erroribus actos,
Nec nunc in nostro protinus orbe novum.

Sed

Sed ſcelus excuſare ſuum, fraudesque caninas,
Nuncius eſt certi prodromus ille mali.
Tu cave, ne fiat lethalis aduſtio morbi,
Namque Dei bonitas non habet ulla modum.

Ad Scribam.

TU quoties ſcribis, toties quoque nomina deles,
Nam rubro ſcribis ſanguine, non calamo.

De Nigro.

HOſpes eram nigro ficto ſub nomine, non eſt
Fas tibi nequitiæ carpere vela, refert.
Dic niger ergo, nefas quid tandem dixeris, ajo,
Sic facias, inquit, quæ mea Juno vetat.
Improbe diſpereas, medium tumulande ſub Orcum,
Et quæras alium, qui tuus hoſpes erit.
Sunt ſtulta multi mente in ſua buſta profecti,
Nec quis in his viſus ſtultior eſſe Nigro.

Epitaphium reverendiſſimi & ampliſſimi, nobilitate ſanguinis, virtutumque & doctrinarum laudibus clariſſimi, ABRAHAMI à GRUNBERG, *ordinis equeſtris in Logaw*, *Domini in Zeitz & Neudorff*, Electoris Brand. JOACHIMI II. & JOHANNIS GEORGII, & JOHANNIS, *Marchionis Brand. Conſiliarii, urbis Croſnæ & vicinorum caſtellorum Præſidis*, &c.

HAc ſub ABRAHAMUS dormit GRUNBERGIUS urna,
Qui fuit illuſtri ſanguine natus eques.
Conſilio quod erat *Neſtor*, quod *Tullius* ore,
Viribus *Alcides*, & pietate *David*:
Hoc invictus ABRAHAMUS, ſeu cinctus oliva,
Seu contra Martem pro cruce ſtaret, erat.
Acceptus *Suevo*, qui ſceptriger arva tuetur.
Marchica cui virtus ſumma probata fuit.
Profuit hinc populis cum nomine juris & æqui,
Qua ſurgunt arces, inclita *Croſna*, tuæ.

Jam civis eſt Heros, ſed ſpiritus incolit aſtra,
Fama tenet mundum, cætera tumba tegit.

Epitaphium nobiliſſimi & piiſſimi Domini OTTHONIS à CRUMMENSEH, *Domini in Lansberg & Blumberg*, &c.

HIc ſitus OTTHO, decus præluſtri ſanguine natum
Gentis, quæ curvo nomen adepta lacu.
Pace loquar veſtra, quotquot præſtantibus auſis
Et factis veſtrum fertis ad aſtra genus.
Non cœleſtis erat pietatis amantior illo,
Quive miniſterio munera plura dabat.
Principibus carus, qui Marchica regna gubernant,
Quotquot & illuſtri nobilitate tument.
Carior at ſuperis, quorum ſpirante favore
Divitiis patrias pluribus auxit opes.
Quin bene de ſtudiis meritus, ſacrisque Camœnis,
Se meritis infert nubibus ipſe ſuis.
Et pietate replet cœlum, virtutibus orbem,
Nomine parrhaſiam, tumba cadiva tenet.

Exſpiravit placidiſſ. inter ardentiſſimas preces in manibus reverendiſſimi Viri, D. *Nicolai Leuthingeri* Sen.

LIBER SECUNDUS.

Ad magnificum & ampliſſimum Dominum JOHANNEM COPUM, *J. U. Doctorem*, Illuſtriſſ. Electoris Brandenburg. JOHANNIS GEORGII, &c. *Conſiliarium præcipuum*, Dominum & Patronum ſuum benigniſſ.

REgis ſceptrigeri probata cura,
Multum, COPE, meis colende Muſis,
An fidi memor es tui Clientis,
Qui donat tenuem tibi libellum,

Non

Non Cedro miniove ſubnotatum,
Aut ſubtegmine Punico involutum:
Sed quem ſimplicitas favore digna
Commendat ſale puriore tinctum:
Aurum ſi foret hoc daret paratus,
Sed neſcit chorus eruditus aurum,
Præter carmina nil Camœna novit.
Tu ſi quid tribuis petitioni,
Votis, COPE, meis fave ſerenus,
Nec tam munera prompta, quam voluntas
Spectetur Tibi maximo Patrono;
Sic æquabis honore clariore
Divos, & ſuperos beatitate.

T. magnificent. addictiſſ.

Nicolaus Leuthingerus, L.

Clariſſimis Viris, dignitate, prudentia, humanitate, aliisque virtutibus excellenter præſtantibus, *Conſulibus, Senatoribus, & reliquis Magiſtratibus inclitæ urbis Berlini*, Dominis ſuis.

CAlliope dubii varias ſpatiata per orbis
Partes, in caſas incidit inde graves.
Dum queritur, ſquallorque premit, vix obſita pannis,
Conſpicit ut preſſam pondere, Phœbus ait:
O mea Calliope, magni Jovis optima proles,
Credebare mihi numen habere ſacrum:
At nunc nominibus premeris, nec numina quidquam
Proſunt, vel docta carmen in arte juvat.
Dum non reſtat honos arti, divina poëſis
Spreta jacet, vates nomina magna premunt.
Sed tamen & pietas, ejusque pediſſequa virtus,
Tranquillum Muſis conſtituere locum.

Suevus ubi nitidas clarus perlabitur arces,
Urbi qua nomen *Mænalis* Urſa facit.
Qua ſurgunt ædes, & tecta ſequentia cœlum,
Et civis certat per decus ire boni.
Si videas Patres, Divum venerabile credas
Conſilium, patriæ dum pia cura trahit.
Ex his ISLEBIUS poſſet Jovis omen habere
Et Maja nati Syndicus ore loqui.
Sic meritis præſtat, cœli ceu nobile ſidus,
Sic ex ore lepor, gratia voce venit.
Hic ſacer ordo Patrum juris ſtudioſus & æqui,
Quem jactat virtus & pietatis honor.
Qui patrocinium linguis Muſisque relictis
Præbet, & has omni conditione juvat.
Et tibi, crede, patrocinium præbebit amatum,
Iſthinc te vertas, ſi vacat ire, Dea:
Atque ſalutatis Patribus, peto numen, opemque,
Ex virtute venit, qui tibi ſurgit honor.
Dixerat: ut tacitis votis congreſſa Camœna
Dulce ſolum Patres ſperat habere bonos.
O ſitis faciles Domini, Muſæque relictæ
Munificam digna mente feratis opem.
Cernitis, oppreſſæ quantis ſint cladibus artes,
Quam tenui maneat Muſa diſerta loco.
Pulſa loco dubia mœrens male ſede vagatur,
Qua quid fortuna durius eſſe poteſt?
En ego, quæ veſtræ poſſum prodeſſe juventæ,
Uſus Caſtalii rite monere vadi.
En ego, quæ variæ teneo diſcrimina linguæ,
Artes me tædet tot didiciſſe bonas.
Artibus ipſa meis pereo juvenilibus annis,
Integra cum cultu depereunte ruo.

Sat-

Sattius Argolicis non pulſam ſedibus eſſet,
Si quoque per patriam non in honore forem.
Quod ſi nempe favor veſter quoque deſerit omnis,
Ecce jacet noſtri nominis omnis honor.
Sed niſi me fallit mens & præſagia Phœbi
Sunt aliquid, reſtet clara vel una dies.
Vos mihi Patroni præſtabitis inde favorem,
Et mihi demetis, quæ mala multa fero.
Pro quo Calliope gratiſſima præmia vobis
Reddam, cum veſtrum nomen ad aſtra feram.
Semper virtutum, cantataque gloria rerum
Semper in ore frequens poſteritatis erit.
Ut taceam reliquas mihi junctas arte ſorores,
Quæ merita laudes pro pietate canent.
Hæc igitur craſſo quæ pollice ducta feratis,
Sed tamen Aonio non aliena choro.
Vita redit Zephyro rebus perflante caducis,
Et redeat veſtro vita favore mihi.
Sic placidam vobis contingat vivere vitam,
Neſtoreos vincant ſic bona fata dies.

De Divo MAXIMILIANO II. Imperatore Auguſto,
Sapiente P. P. P. P.

ROma, tibi Fabius celebratus Maximus olim,
Quique potens armis Æmilianus erat.
Annibalis vires alter cunctando repreſſit,
Pœnorum vertit funditus alter opes.
Roma per hos floret, molemque accrevit in iſtam,
His ſtetit, & tantis laudibus aucta fuit.
Sed decus his jactat GERMANIA patria majus,
Dum factis clarus Cæſar utrumque refert.

 Seu

Seu validum ſpectes Martem, pacemve togatam,
  Maximus & meritis Æmilianus erit.
Nobilior quantum pietatis amantior, atque
  Præſtitit ingenii divite mente bonis.
Si dubites, majorne ſit, an ſapientior, unus
  Sex linguis potuit, gloria rara, loqui.
Adde, quod imperio Cæſar ſic præfuit orbis,
  Ut melius poſſet nec Jove rege regi.
Quidquid habet pietas pacis ſacra, Cæſare tanto
  Cepit, ut hoc uno maximus ille foret.
Sunt quoque virtutes aliæ, quarum amplior ordo,
  Quam numero poſſint ſufficiente cani.
Hic Themis inſignis regnat cum prole beata,
  Utque ſimul videas, omnia Cæſar erat.
Cumque Deos retulit tantis virtutibus auctus,
  Et colitur Divum Cæſar honore ſacer.

De AUGUSTO Pio, patre patriæ, Duce Saxon. Elect. aſſertore & conſervatore Religionis Lutheranæ & ſtudiorum, &c.

DUm gaudent alii proceres rapiente veredo,
  Immanes virtus cuſpide figit apros.
AUGUSTUS veterum divina poëmata vatum
  Perlegit, & totus Dux PIUS eſſe ſtudet.
Quæritur in ſylvis illis, ſed quanta, voluptas,
  Et ſiccare meri pocula plena placet.
In verbo Domini meditari ſumma voluptas
  AUGUSTO, ſtudiis & vigilare ſacris.
Hinc octo quamvis eſſent jam luſtra peracta,
  Non pudet Auſonias excoluiſſe Deas.
Scilicet ut melius divinis tradita ſcriptis
  Noſſet, & in regno poſſet habere modum.
Hinc quidquid Latia retulerunt voce Camœnæ,
  AUGUSTI pectus callet id omne Ducis.

Hi-

Hiſtorias novit, magnorum facta virorum,
Nec quæ ſunt priſco tempore ſcripta latent.
Sic legit AUGUSTUS, ſic ſemper & ille legetur,
Hac omnes vellem vivere lege Duces.

In Familiam Regum & Archiducum Auſtriæ.

PRimus in Auſtriacos nomen ſceptrumque RODOLPHUS
Armis & ſtudiis imperiale tulit.
Et decus hoc ſummum multis ſervavit ab annis,
Magnanimosque Duces ſtirps generoſa dedit.
Ex his jam regnat magna cum laude RODOLPHUS,
Factaque Majorum, juſtitiamque refert.
Forſan ut impendet rerum mutatio triſtis,
AUGUSTUM ſerves, maxime Chriſte, tuum,
Nec ſub eo regnum perdi patiare RODOLPHI,
Quo prius acceptum nomine tale decus.

Ad RODOLPHUM II. Imp. Auguſt. Divi *Maxim.* F.

EX minimis fecit ſibi maxima regna RODOLPHUS,
HABSPURGI jactat quem numeroſa domus.
Te Regem Regum fortuna Deusque ſalutant,
Dum flores annis integer atque bonis.
Vivas Cæſareos FELIX augendo penates,
Hoc erit, ut potior ſit pietatis honor.

Ad JOACHIMUM FRIDERICUM, March. Brandenburgicum,
Archiepiſcopum Magdeburgenſem deſign.

CUm Junone Venus, cum docta Pallade certat,
Cujus, ait, præſul Parthenopæus erit?
Ad quod Juno: meus, tantas qui poſſidet urbes,
Innumeris opibus divitiisque potens.
Sed renuit Pallas: meus eſt hac indole Princeps,
Qui virtute genus vincit & ingenio.

Hic

Hic Cypris: cedant regna & virtutibus artes,
Major vis formæ, forma dat esse viro.
Tum genitor: vester quia tot bona possidet unus,
Auctior ornatus debet hic esse meus.
Inde sacer terris; post fata novissima Divus:
Quis melius posset vivere hic, atque mori?

De JOHANNE COPO, clar. J. C. Doct. *Consil. & Camer. Illustriss. Electoris Brandenburgensis*, &c.

COpia virtutum, cum verbis copia rerum
Quod surgat COPO, nobile nomen habet.
Hinc caput est aulæ, quam ditat sceptriger ales,
Os, oculus, cor, mens, auris & ille Ducis.
Justitiæ custos, recti servator & æqui,
Qui, quod conveniat, scindere rite potest.
Hinc triplici fulgens semper celebrabere lingua,
Et meliore tui parte superstes eris.
Vive diu, crescat numerosæ gloria laudis,
Nulla satis donis copia, COPE, tuis.

In clar. Virum, Dominum JOHANNEM SCHUTZIUM, *Academiæ Vitebergensis Theologum.*

SCHUTZIUS in Satanam cum spicula torquet acuta:
Hic, inquit, caveo, fulminis instar habet.

Ad JOHANNEM SCHOSSERUM, *Poëtam Laur. Acad. Francof. Oratorem* præstantiss. Præceptorem suum.

DUx & præsidium novem sororum,
Nec non Eunomiæ diserte cultor,
Ut linguæ latiæ & pater leporum,
Ad cœnam venias mihi vocatus,
Cum doctis salibus jocisque blandis,
Musas & Charites trahens politas.

Et

Et pro *Nicolai* tui ſalute
Centum, ſi libet, ut licet, fluentis
Vini pocla bibas, levare poſſint
Quæ jam laurigerum caput dolore.
Quod per palladias precor Camœnas.
Sic cum progenie nova valebis,
Sic ſolvam tibi gratias perennes,
O linguæ latiæ & pater leporum,
Nec non Eunomiæ diſerte cultor,
Dux & præſidium novem ſororum.

De MICHAELE HASLOBIO, M. Poëta feliciſſimo & in *Acad. Francoford. Poëmatum Profeſſore* clariſſimo.

TRitonis veluti lituo turbata gigantum
Turba, domum ſummi cum petitura Jovis:
Sic ad Callirhoen calamo Tritonius heros,
Eridano ſurgunt quæ nova monſtra, domat.

Ad æternum Deum in profectione Helmſtadia.

Ω θεὲ παντόκρατορ πάντων βέλτιστε κρειόντων,
Τοῦ κόσμου κτιστὴς οὐρανίουτε δόμου,
Ἡμεῖς ὡς πρόβατον δειλοίγε πλανώμενόν ἐσμεν
Τοῖς περιβαλλόμενοι τοῦ Σατανᾶ παγίσι.
Οὓς ἦγεν πέρ' ὁδοῦ ὀρθῆς σάρξ καὶ κακοδαίμων
Ὅς τεύχει, βροτέω πήματα δεινὰ γένει.
Ἀλλ' ἐν σπλαγχνίζοις ἡμῶν ἀδικῶντε καὶ αἰσχρῶν,
Τοῦ διὰ μουνογενοῦς, ὦ θεὸς οὐράνιε.
Πνεύματι σοῦ κραδίην ἁγίῳ, θυμόντε κυβέρνα
Ἡμέτερον, καθαρῶς δόγματα θεῖα μαθεῖν.
Δόστε κενὴν δόξαν φεύγειν, πλοῦτόντε καὶ ὕβριν
Ἡμᾶς οὐλομένην λευγαλέοντε κόρον.

Καὶ τολμᾶν ὄντας χαλεποῖσιν ἐν ἄλγεσιν αἰνῶς,
  Πρὸς σαυτȣ̃τ' αἰτεῖν ἔκβασιν, ἐσθλὲ Θεός.
Ἐν ποίμνητε μένειν σέοθεν θανάτȣ μέχρι ἡμῶν,
  Ἐν πίςει ςιβαρῆ καὶ ἐπιγνώσει, Ἀμήν.

Ad FABIANUM THIDENIUM Theologum, compatrem ſuum.

CUltor *Leuthigerus* novem ſororum,
Antiſtes venerande compaterque,
Ad te conſtitui brevi venire,
Conſuetis ſalibus jociſque blandis,
Qui non excipiendi erunt moleſti.
Sis contentus, ut haud vocatus adſim,
Non ob fercula me juvat venire,
Non ut pocla meri bibam fluentis,
Sed cum fructibus audiam leporum
Sermones, ſale puriore tinctos,
Et ponam, quod adeſt moleſtiarum.
  Mecum vivere ſis ſimul paratus,
Et proſcribere, ſi vacat, querelas
Ultra Tartaricum ſupraque pontum.
Ut credas, ea vita nominatur,
Quæ luctu caret & dolore triſti.
Sis libris alia occupatus hora.
Cura ſis alias gravatus acri,
Quam conditio fert, laresque magni:
Tum volvas monumenta ſacra feſſus,
Hæc, quæ conciliant fide ſalutem.
Verum gaudia tempus hoc repoſcit,
Quo natus puer eſt, datusque nobis,
Qui nos crimine liberavit omni.
Et tempus veniet tamen ſeverum,
Quo vitam colimus ſeveriorem.

Eja

Eja vivere nos juvet, priusquam
Ad mœſtum cita mors vocat ſepulcrum.
Quo nunc ſuavis & inclitus *Sabinus?*
Quo venit Lyricus? viden ſepulcra?
Et nunc ante fores ſedet micrævus,
His inſtat reditus mihi ad ſacratam
Muſis Leucoream celebriorem.
Tum quando faciem tuam videbo,
Aut miſcebis acapna verba mecum.
Quod ſi Palladiæ preces habebunt
Pondus, tum quoque pectus hoc viciſſim
Rebus ſemper in omnibus paratum:
Et te plus oculis meis amabo,
Antiſtes venerande compaterque.

In Junonem ſpondæam, ἥραν malitioſam.

QUæ quondam nunc ſævit adhuc Saturnia Juno,
Nec minus eſt Numen, ni modo majus erit.
Mens manet iſta, bonis ſemper contraria fatis,
Infernas tenebras, triſtiaque arma ciens.
Verſat adhuc odiis, fœcundaque concutit ora,
Luminaque in magnos invida torquet anus.
Nec modo perſequitur Phrygium pietatis alumnum,
Aut cœlum collo cui leve pondus erat.
Sed quoſcunque videt reliquos virtute præire,
Per mare, per terras, qua valet arte, premit.
Atque Deosque homineſque minis ſic terruit omnes,
Vel metuat rapidis qui tonat altus equis.
Hinc ſolo ſævæ nutu Junonis eunt res,
Hinc captum ducit, qua velit illa, Jovem.
Blanditiis variis nam ſemet in omnia vertit,
Tutus ut hic minime Juppiter eſſe queat.

Ut non blanditiæ valeant, valet ira repreſſa,
Crede mihi, multos perdidit ille furor.
Hac, quæcunque poteſt, tentat, nil linquit inauſum,
Hac & in auxilium Numina quæque vocat.
Hinc ardens dubitat minime implorare quod usquam eſt,
Seu ſtyga, ſeu quidvis ex Acheronte malum.
Hinc Scylla & Syrtes, prodeſt & vaſta Charybdis,
Pluto quod infernis odit & ipſe vadis.
Ut prohibere nequit penitus, tamen ilicet addit,
Hinc quascunque moras rebus & inde trahit.
Sic ſe ſæpe ſuosque fremens ac omnia vertit:
Hi ſunt Junonis fœmineique doli.
Quisquis es, ut teneas regnum, ſceptrumque, Jovemque,
Junonem placa, tu quoque Divus eris.
Illa dabit ſuperum, mihi crede, recumbere menſis,
Ne nimbi noceat vis inimica, dabit.
Uni Junoni placeas, mox mille placebis,
Uni diſpliceas, nemo favere velit.
Hujus ad exemplum populus componitur omnis,
Nec vitium ex alto quod venit, eſt vitium.
Prodimur hinc crebro mulieris ob unius iram,
Nec vult nos uno ſtare ſuperba loco.
Talia ſunt ſecli quæ tempora ducimus hujus,
Tempora qui placide ferre ſcit, ille ſapit.

In JANUM ANGELUM curialem, Dominum ſe inepte jactitantem.

OLim Romanis erat intolerabile nomen,
Curia quod toties noſtra ſuperba crepat.
Auguſtus Dominum ſe compellari vetabat,
Quem tremuit Parthus, quicquid & Iſter habet.
At quæ majeſtas hominis, fuit actor equorum,
Et Dominum dici ſe tamen ille jubet:

Stan-

Standoque ſub menſam mandata capeſcere ſervum,
Præmia Theſpiadum cui dedit ampla chorus.
Cui vix eſt dignus madidam præſtare matellam,
Cum Cathedralitiis, quos gerit ore, ſuis.
O Orphei genitor, quantum mutatus ab illo
Phœbo: qui Dominum ferre ſcit, ille ſapit.
Vive tibi Domine, & melius ſervito potenti:
Tempus, cum redit ad *limina ſervus*, erit.

In prælectionem Ethicorum ad ſtudioſam juventutem.

ET juſtus Deus, & bonus perennem
Noſtris juſtitiam ſuam indicavit,
Mixtam cum bonitate ſempiterna,
Sanis mentibus, & ſuam creatos
Mentem perpetuo jubet videre
Nos tanquam ſpeculum, & ſequi frequenter.
Ex hoc juſtitiæ ſacro perenni
Sunt ducta Ethica fonte, quæ legenda
Jam proponimus, & ſacræ cohorti,
Quæ mores ſequitur ſuaviores,
Et cui caſtra novem placent Dearum,
Commendamus, & his frui volentes
Ductis deliciis Jovis cerebro,
His per me licitum diebus eſto.
Ne quid, credite, perperam ſtudebo
Declaretur in explicatione,
Aut quod non puto, forte negligenter
Hic fiat ſtudioſius videbo,
Non quæ Phaſiacis petita Colchis,
Vel Pœni volucris placens palato,
Sed lectiſſima, digna cogitatu
Virtutum ſimulacra, cum malorum

Picturis, oculis velut notata
Experti artificis manu patebunt.

ΓΑΜΗΛΙΟΝ

In Nuptiis ornatissimi Viri, D. JOHANNIS WAGNERI, *Prætoris Belizensis*, & ELISSÆ COPÆÆ, pudicissimæ Virginis.

Συγχαιρέτω ὁ Νυμφίος,
Ἀνίςαται τὸ πάμπολυ
Τῆς χαρμονῆς καὶ ἡδονῆς.
Συγχαιρέτω ἡ παρθένος.

Χρόνος πάρεςʼ ἐναίσιμος,
Ὥρα πάρεςιν ἠπίη,
Ἀνὴρ ὅπȣ ὁ ὥρικος
Τὴν ἕξει ὡραῖαν γάμȣ.

Τȣ̃τʼ ἐςʼ ὅλον Θεȣ̃ πάρα,
Οὗτος τὸ πρᾶγμα τοῖς βροτοῖς
Ποιεῖν περίπτον καὶ μέγα
Θέλων γυναῖκʼ ἄνδρʼ ἔδω.

Οὐ γὰρ τυραννὶς, οὐδʼ ἀγὼν
Πλȣ̃τȣ, καλὸς· οὐκ ἄργυρος,
Ἢ χρυσὸς εἶχεν ἡδονὰς
Τοιȣ̃το τὰς ὀρεκτικάς.

Ὁ ἀνδρὸς εἶχεν εὐσεβȣ̃ς
Καὶ τῆς γυναικὸς εὐσεβȣ̃ς
Ὁμοῖα δέσμος δύσας τῷ φρονεῖν
Ἐῤῥωμένως δήσας νόον.

Μεγάλη τυραννὶς ἡ γυνὴ
Τῷ ἀνδρὶ τέκνα καὶ καλά,
Ταῦτʼ ἐν κακοῖσι ἀεὶ πόνος
Ἥδιςα τῷ ἐςὶν πόσει.

Τȣ̃τον μένȣσʼ ἀντίςροφος
Ἔννοια δειμάει πόλεις
Οἰκόντʼ ὀφέλλει, καὶ φύει
Τὸν πλȣ̃τον ἀλλήλοις πόνοις.

Καὶ ὅςʼ ἀναιρῆ τὸν γάμον
Οἰκόντʼ ἀναιρῆ καὶ πόλιν,
Ἀνθρώπινον θʼ ὅλον γένος
Καὶ πάντʼ ἀναιρῆ χάρματα.

Μακαίρος ȣ̃ν ὁ νυμφίος,
Μάκαιρα καὶ νύμφη λίαν
Τȣ̃τοις γάμοις πλῆθος καλῶν
Καὶ δεξιῶν εἰσέρχεται.

Πάσχει κακὸν, φέρει καλὸν,
Τὸ κοινὸν ἦδος καὶ πάθος,
Νυκτὸς καὶ ἡμέρας ζυγὸς.
Συγχαῖρε νύμφη, ὁ νυμφίος.

Ἄναξ ἀνάκτων, ὦ Θεὸς,
Παράκοιτιν ὅς πρώτῳ Ἀδάμ
Πόσει ἔδωκας, λέκτρα τε
Γάμȣς τε σωσάτω τεȣ̃ς.

In

In HOSTUM.

HOſpes eras, mox hoſtis eras, mirabile dictu,
Omnia ſic verti: nomen in omen abit.

Ad CASPAR. FLANSIUM, Præfectum Furſtenwald.

FLANSI Marchiacas latia modo vite per urbes
Nobilis, & centum plus memorande viris.
Si benefacta manent, pietas, virtusque merentur
Æternam laudem, gloria fine caret.
FLANSIUS æternum ſit dignus vivere, Pallas,
Mars, virtus, Muſæ quem pietate colunt.

Ad reverendum Virum, NICOLAUM LEUTHINGERUM Senior. Theologum, de μυσοφίλῳ ϗ χριστοφίλῳ.

FElix, ſi decorant Muſæ quem laudis honore,
Et cithara doctus cantat Apollo ſua.
Ille pigra effugiet damnoſæ flumina Lethes,
A multa laudem poſteritate feret:
At ſi Chriſtus amat, quanto felicior ille,
Si referat nomen pagina viva Dei.
Is bene conceſſam vitam duxiſſe feretur,
In cœlis laudem dum ſine fine trahit.

Ad M. BALTHASAREM LEUTHINGERUM Fratrem in Academia Francofurtana.

VIs, ut amicitiæ leges, & fœdera ſervem,
Quas leges narras, frater amande, mihi.
Tempora, fortunas, vitam furantur amici,
Quid porro leges, quæſo, jubere volunt?

Ad MELCHIOREM SCHLERUM, *Conſulem Croſnenſem*, lugentem obitum conjugis.

VEſtra, SEHLERE, Dei ſunt corpora lege revincta,
Sed ligat & ſolvit vos in amore Deus.

Is

Is ſolus, quæcunque tibi ſunt commoda, cernit,
Et bona conſervat, cum nocitura tegit.
Sæpe, quid exitium viſum portare, ſalutem
Attulit, atque ſequi triſtia læta ſolent.
Collige, teque virum præſta, clariſſime Conſul,
Crede mihi, capiti cura retenta nocet.
Eſto, tibi deſiderium quod triſte relinquat,
Suaviolum quondam, nunc tibi cordolium.
Sed, qui peccat amore nimis, peccaverit ille,
Nec tibi defuncti proderit ullus amor.
Sit modus in rebus, debet modus eſſe doloris,
Hic ſapiet, rerum qui ſcit habere modum.
Si tamen eſt flendum, vitæ primordia flenda:
Flere malam vitam, non bona fata decet.
Nec quid mutatur lugendo, ferendo levatur,
Non mutare velis, quæ mala ferre juvat.
Quid mors eſt aliud, ſi non medicina malorum,
Si bene quis moritur, qui bene vixit, erit.
Una via eſt lethi, metam properamus ad unam,
Vel cito, vel tarde mors ſua quemque vocat.
Sat Boreas turbavit, & Odera frigore ſævo
Conſtitit, & rigida ſub nive terra fuit.
Ver adſit lætum, cinctum florente corona,
Quo cœlum ridet, ridet uterque polus.
Vere novo exſpirans animam, dum frigora ceſſant,
Incipiet rurſum vivere vere novo.
Sic quicunque pius, nulla fraudabere vita,
Sola manet pietas, cetera mortis erunt.

Εἰς τὴν σπουδὴν malevolam & ingratam.

VIs περὶ τῆς σπουδῆς dici de gente Pelasga,
Omnia quam rebus nomina ſepe ferunt.

Fal-

Fallaces ajunt Græcos, tamen esse Pelasga
Gaudes, nec melior quam tibi græca fides.

In eandem.

NOn quod fœdus amat σπουδὴ, sed fœdera rumpat,
Et jubeat doctos ire quod officiis.

In ALBERTUM CALERUM, summum Virum.

MAgnus es *Albertus* re, nomine, corpore & arte,
Uni conveniunt omnia magna tibi.
Magna labor sequitur, perflant altissima venti,
Nec magnus parvo convenienter eunt.
Quassatur quercus, sed non mox concidit illa,
Ut bona ferre potes, sic superanda mala.

In *Crosnam*, humanissimam civitatem.

SEmper amata potens, mihi semper amabere *Crosna*,
O flos, o capitis, *Crosna*, corona mei.
Quæ musas ornas, omni laudaberis ævo:
Salve *Crosna*: diu, docte *Sehlere*, vale.

De CASPARO STOLSHAGIO, Theologo, Poeta, Viro optimo.

QUis novus hic vates succedit sedibus orbis,
Si tamen huic magnus vel satis orbis erit.
Qui sis, æthereo cerno te semine natum,
Et dium motus pectus habere sacros.
Carmine sic facile est superos deducere cœlo,
Heroas plectro sic resonante canis.
Seu tamen ex cœlis, seu per miracula cretus,
Vix alius melior carmine *Stolshagio*.

CHRISTIANO MUSCULO, amico suo suavissimo.

CUltor Thespiadum perennis undæ,
Mi suavissime CHRISTIANE, amice.
Fallor? quod capias profectionem
Cura sollicitus severiore,
Urbs qua grandis habet minore nomen
Ursa, Sydonias rates regente,
Sic jam jam memini referre Musas.
Tu si quid tribuis tui relictis
Musis *Leuthigeri*, potest quod unum
Hac in sorte minus sibi secunda,
Qui te mente colit sacratiore,
Has, quas litterulas dabit, parenti
Mittes ad patriam suo vetustam,
Quæ de monte & agro vocata priscis:
Quod te per Clarias Deas precatur.
Sic felix iter, & bonus videbis,
Quos vidisse velis salubriores,
Sic ad Leucoreas redibis oras.
Et te corde colet fideliore
Cultor *Leuthigerus* novem sororum,
Mi suavissime CHRISTIANE, amice.

Ad ANGELUM.

ÆRa aliena premunt si solos, *Angele*, vates,
Te minime vatem cur aliena premunt?

Ad AGRIOGELUM GLEISNERUM de horto Tragemaschalo.

HOrtum dum viridem gestis plantare, virosum
Plantas, virosus sic tuus hortus erit.

Nul-

Nullus in patria ſua acceptus.

MAjor in externis eſt gloria ſemper arenis,
Scommata ſed patriis experiere focis.

In GIBBOSUM, deformem obtrectatorem.

TE ne hominem dicam, qui pondus inutile tergo,
Corpore tam parvo, maxime Aſelle, geris?
Certe ad onus quia natus ὄνος, tibi competit uni,
Hoc ſolum differs, quod tibi lingua loquax.
Hæc quoque Lernæis ardet ſuffuſa venenis,
Ambit, rixatur: nil tibi plane hominis.
Qui ſapis, hoc omni monſtrum ratione caveto,
Nec fruſtra fieri talia monſtra puta.

In CONRADUM GESNERUM.

UNus plus omni ſcripſit *Geſnerus* in arte,
Quam reliquis lectum, qui docuere, fuit.

In matrem indulgentem.

DIrum carnificem Scholæ Magiſtrum
Vix vita mihi digna anus vocabat,
Quod natum regerem nimis ſevere.
Non eſt carnificina, ait Magiſter,
Sed dulcis medicina reproborum.

Ad GEORGIUM BLUMIUM Jun. ſummæ exſpectationis adoleſc. diſcip. ſuum.

EXcellunt libros cunctos, mihi crede, ſophorum,
Quæ magnus fecit *Tullius* officia.
Hæc animo vigili teneris evolve vel annis,
Cerea ſunt pueri pectora, cæca ſenum.
Quod puerilis amor perdiſcit, id altius hæret,
Quæque puer diſces, noveris iſta ſenex.

Optima delectent, si quis volet optimus esse,
Optimus ut fueris, optima disce puer.

Ad Fallacem.

POnis, ais, longum, quoties in carmine ponis,
Semper ais, nunquam dicere vera potes.
Sic ais, & fallax, mendax, indoctus haberis,
Vera decent doctos: quam libet aie diu.

In Patientiam.

CUm nimium premitur patientia, læditur illa,
Et læsa ingreditur sæpe furoris iter.

In anum maledicam.

SIc mihi cottidie fatis occumbit amicus,
Annos qui multos vivere dignus erat.
Hoc sed anile caput, centum quod marcet ab annis,
Nec vivit, nec obit, sed crepat & crepitat.

In Polypragmonicum.

COnsul es & Pastor, Rectorque per omnia solus,
Ac ægre dici fers Polypragmonicus.

Jocus Ludimagistri,
cum à patre indulgente increparetur.

HEus filium, tu carnifex,
Quid verberas? Tu quin, ait,
Meo voca me nomine,
Non carnifex, sed artifex.

In Magedentatum biliosum.

DEntes cum plures habeas, magis esse caninus
Optas, & quæris mensa Analecta mea.

Nem-

Nempe canem melius per nomen & omina præſtas,
Præſtantem mentem quam ratione geris.
Morde, læde, vora, dum ſis edentulus, & tum
Ambiguis fias ſordida præda lupis.
Qualia quisque facit, quoque talia facta ſequuntur.
Fac quæ vis aliis, deteriora feres.

Ad GEORGIUM BLUMIUM, optime de ſe meritum.

QUam *floris* tibi competit, *Georgi*,
Cognomen bene civium bonorum
Hoc in flore ſuaviore, Suevo
Quo ſe jungit Havelus, hic bonorum
Tu florum optimus es, magisque odorus.
Et ſint mille alii licet colorum,
Qui forma varia ſubinde gaudent,
Pro thymo lolium nigrum ferentes,
Tu ſemper niveus manes, *Georgi*.
Hinc nunquam numeraberis camino,
Sed florens Amaranthus ut manebis,
Et ſervabere corde gratiore.

In Patrem ſolicitum de filiorum ſalute.

QUi natum fecit, vitamque per omnia confert,
An nato quæſo non daret ille cibum?

Ad M. ALBERTUM CALERUM, Superintendentem deſignatum.

HEus *Alberte*, Deus vocat, i, quo te pede fauſto
Ars vocat, & dicat, creſce *Calere*, Deus.
Proh! quam ſuave tibi nomen, nunc ergo vocate
Sis bonus & felix in ſtatione tua.
Dignus, qui meliore loco, meliore feraris
Æthere, cui virtus addere plura nequit.

Ad PAULUM HAGIUM F.

OMnia si quis emit, quoque fiet, ut omnia vendat,
Paule, necesse quod est, non quod opus tibi, emas.

In FELICEM GLEISNERUM Achriogelum.

FElicem in fovea periturum dixit Haruspex,
Fama quid audisti? dic mihi vera fides.
Hic illa: Ut memini Viadrum, lymphasque referre,
Scilicet impuræ res meretricis erat.
Sed morti dixit, miseratus Apollo, propinquo,
Vive, at fata tibi non superata: Cave.

Fructus amicitiarum vulgarium.

SI quis amicitiæ sancte sua fœdera servat,
Jacturam magnam temporis ille facit.
Venturique urget properantia tempora fati,
Et multo perdit parta labore bona.

In naturalem malitiam.

UT mala multa malo facias, & plurima dicas,
Quod facis, aut dicis, de nihilo illud erit.
Qui de matre malus, semper malus ille manebit,
Sic redit in vitium, quod fuit ante malum.
Hinc mala mens, animusque malus, mala & omnia tandem,
Angelus hinc aliis esto, mihi Anger eris.

Jocus Diogenis de suis auditoribus.

DE raritate conquerens discentium,
Dioggenes jocans solebat dicere:
Dum prælegat, quod in vita sit utile,
Habere se turbam decem discentium,
Si nempe Phœbus adsit cum sororibus.

Ana-

Anacampſeros contra amorem.

SI non eſt contra Venerem medicamen in hortis,
Contra vim Veneris vim pietatis habe.
Nulla laboriferis tribuantur & otia palmis,
Otia ſi vites, non amor aſper erit.

Ad CASPAREM HOFFMANNUM, Doct. Medicum præſtantiſſ. Illuſtriſſ. Electoris Brandenburgenſis.

SEu ſpectem duplicis cultiſſima dogmata linguæ,
Quasque colis Latias Cecropiasque Deas:
Sive Machaonias ductoris Apollonis artes,
Quas velut Hippocrates divite mente tenes.
Vix teneor, Phœbo Nymphaque Coronide natum
Quin referam, Divos ſic in honore refers.
Tempora ſic noſti, quæ dandis apta medelis,
Quæque ſit herba potens, quæve ſit herba nocens.
Et ſi quis poſſet Lacheſis reparare labores,
Credo, quod *Hofmanni* cura probata queat.
Per caput hoc juro, quod adhuc circumfero corpus,
Quod vivo & valeo, munus id omne tuum eſt.
Hinc tua per triplicem volitabit gloria mundum:
Sed nec ego meriti non memor hujus ero.

Ad *Gibboſum parvum.*

ME, *Gibboſe*, vocas facilem, facilem accipe vatem,
Non facilis lingua, ſed modo, *Parve*, fide.
Sum conſtans animo, facilis ſed credere parvis,
Hoc mihi ſæpe mali cauſa caputque fuit.
Strumoſum video, gibboque uteroque tumentem,
Tu quæras alium, quem facilem eſſe putes.

In Difficilem.

QUod præſtare velis, citius præſtare memento,
Quo citius fiet, gratius illud erit.

Re-

Rectius id factum credas, quod tempore factum,
Ut differs, facti gratia nulla tui.

In Acratocothonem infidelem.

QUod non vina bibis, gaudesque abstemius undis,
Nempe facis, tecum ne tua vina bibam.

In Fallacem.

ACcœtum jactas, præstas abicton amarum,
Quam multum verbis fallor inesse fidem.

In Ferocientem Titulis.

NOn laurus facit, ars facit Poëtam,
Sic ars, non gradus, efficit Magistrum.

In BEN. GLEISNERUM Achriogelum.

CUm loqueris, magnos edis, *Gleisnere*, cachinnos,
Et cum sic rides, sis quoque ridiculus.
Omnibus arrides, sit ut accusare facultas,
Hinc tibi cum Gilvis est socialis amor.
Discito fortunam moderate ferre secundam,
Fallor, an ad laqueum flebis amara tuum.

Dictum Diabolicum hominis pravissimi ANGELI.

NIl habet hic hominis sani, qui læsus inultum
Hoc patitur, quamvis integer annus eat.
Sic ais: ac cum tu lædis, si fulmina mittat
Juppiter, & Satanas sub sua jura trahat.
Crede mihi, dudum raptus Phlegetontis ad undas,
Pro meritis ferres præmia digna tuis.

In Jesuitam P. C. Coloniensem.

AN non vis nomen Jesu vitamque referre,
Qui sine matre Deus verus, homo absque patre?

At

At tibi Pluto pater, tibi mater Roma Cynandra,
Num ſatis amſanctus nomen Ieſus habes?
Sic cum nil hominis tibi, quid Deitatis haberes?
Nempe patris ſequeris facta ſuperba tui.
Qui dum divinos demens meditatur honores,
Ad ſtygiam evadit præcipitatus aquam.
Sic ſimilis patri, ſimilis tibi pœna parata eſt:
I nunc, te ſimilem fac ſcelerate Deo.

Ad Rhenum & Spem.

SAlve, *Rhene*, pater fluviorum Teutonis oræ,
Heſperidum ſalve, Pieridumque decus.
O ſalvete racemiferis juga culta viretis,
Pars deſiderii pene ſuprema mei.
Salve terra potens animis ac ubere glebæ,
Salve Rhenicolis accola culte vadis.
Et vos turrigeræ tectis florentibus urbes,
Quas ego Neptuni vel puto Martis opus.
Jam demum video, quidquid ſpes optima dudum
Pinxerat, hinc credo, ſpebus ineſſe fidem.
O mea *Spes*, cupidi mater, ne deſere natum,
Te falſam vanum numen habere ferunt.
At mihi *Spes* etiam tandem veriſſima ſalve,
Dum ſpiro, certum ſpes mihi numen eris.

In Naſutum.

VIbraſſas omnes ex naſo evellis adunco,
Sic auges morbum, qui valet ante, tuum.

In *Atheon* & plus Ethnico deteriorem ANGELUM.

IMproba multa facis convitia, perfide, multis,
Laudem majoris qui probitatis habent.

Quos virtus, pietas jactat, mens conſcia recti,
Cum tibi non toto corpore mica boni.
Dic age, ſit quoties tibi myſtica culta Synaxis,
Hoc unum vincit cuncta nefanda ſcelus.
Donec ea abſtineas, Phœbus duo luſtra peregit,
Et res viſa tibi non aliena fide.
Hauſeris hinc melius flores, ſatiaris apluda,
Si ſuper aut ſtygio ſunt Aconita cani.
Nigrior es multum, quam peſte nocentior omni:
Nec tantum morbos ipſa Mephitis amat.
Carpimus hinc alium, vitiis ſtimulamur & ipſi,
Sic quæ quisque facit carpere facta ſolet.
Sic foris Angelica ſpecie juvat eſſe beatos,
Intus Tartario Dæmone pejus habent.

Amicitia.

HIc agit in ludo mimum, Rex inde vocatur,
Hic patris, ſpeciem nobilis ille refert.
Vix bene finivit peragendas fabula partes,
Vera redit ſpecies & ſimulata fugit.
Prætereor pauper, mox factus paupere dives,
Applaudit populus, nobilis inde vocor.
Fortuna verſa factus quoque divite pauper,
Prætereor pauper, fors in amicitiis.
Diſce malam ſortem, ſortem perferre ſecundam,
Dives honoratus, pauper ubique jacet.

De HAGIO.

AN, quoties *Hagio* ſcribis, clariſſime, ſcribis?
Sic bene, *Paule*, facis, nam placet ille ſibi.
Edidit hic carmen, clariſſimus hinc ſit oportet,
Si dicas claro, corruet inde polus.

Sic

Sic tituli crescunt, virtus decrescit honesto,
Non juvat esse bonum, si videare bonus.

Fit, Perit.

SI mox quod cupimus, statim tenemus,
Et victoria nostra fit caduca,
Quæ cum tempore gratiora fiunt.

Rivales.

OMnis amator idem votis juvenilibus optat,
Et tamen hic spinas colligit, ille rosas.

Pecunia.

SI quis habet nummos, paret, nec paret, ut optat,
Cor venterque facit, fitque Catone prior.
In vulgam facias nummos penetrare pilosam,
Et tibi vel tali cuncta licere puta.
Crede mihi, nummis nemo præsentibus obstat,
His lex, & ratio, Juppiter ipse tacet.

ΦΙΛΟΔΟΞΟΣ.

NOn vult esse bonus, cupit videri
Saltem, quem juvat esse gloriosum.

Ad *Æsculanum.*

O *Æsculane*, cur inanem me sinis?
Cur tanta claude Dis fers immerentibus?
Offerto nobis etiam Alexiterion
Contra prementem duriter penuriam.

Libertas.

NOn ego ferre queo leges, quas improba mandat,
Hinc amo, quod possum qualibet ire via.

Ad LAZARUM, egregium laceratorem ſuum.

QUæ ſcribo, carpis, jejunaque carmina dicis,
Carpere non artis, ſed meliora dare.
Te livor reddit macrum, quia ſcribere neſcis,
Hinc tibi marceſcit corde medulla tuo.
Ut tua mirentur, quæ ſeſquipedalia jactas,
Tu venias etiam, *Lazare* docte, foras.

Studiorum fortuna.

QUi Martem bellúmque ciet, præcingitur auro,
Credit Erythræo, dives & ille redit.
Cauſidicus turpis molli ſedet ebrius oſtro,
Quod tollat partum, fœnore quæſtor habet.
At dolet & mœret Muſarum caſtra ſecutus,
Quis modo Thespiadum numina vana colet?

In divitem Μισόμυσον.

NOn, ais, nulla mihi vel magna ſcientia prodeſt:
Qui nummos igitur ſcis numerare tuos.
Vix locus eſt nummis, quos improba capſa reſervet,
Et tamen hos nummos ſcis numerare probe.

In Obtrectatorem.

SIcne juvat noſtrum diris traducere nomen,
Sic impune voles ferre, ſceleſte, ſcelus.
Siccine te mores aulæ decet eſſe ſecutum,
An quia nomen habes, aulicus eſſe velis.
Qui ſe poſſit ad alterius componere nutum,
Poſſit & injuſtis auribus apta loqui.
Aſt ego: te non aula tulit, ſed ſordida caula,
Sub tunica pulcra mens mala ſæpe latet.
Non ego te jubeam caulæ dediſcere mores,
Te jubeo finem ponere vana loqui.

Si quid cum pueris fuerit ſine nomine noſtro,
Abſit, ut in rebus talibus illud eat.
At ſi dente Bionæo me lædere pergas,
Qui modo magnus eras aulicus, Ibis eris.

In Seminatorem Anabaſium & ineptum.

AUdis quod forſan verbum, mox inſeris illud
In mentes hominum, verbaque facta facis.
His, *Segere*, ſatis rubræ exoriuntur Acanthæ,
Pectora quæ pungunt, ſæpius illa necant.
Talia qui plantas, tales quoque carpito fructus,
Quæ ſerit illa manus, demetet illa manus.

In MAURITIUM REICHIUM.

M*Auritium* quoties ſpecto, puto ſidere lapſum,
Talis in ore decor, gratia tanta micat.
Quodque magis: formam pulcris virtutibus æquat,
Et Muſas cultas ingenioſus amat.
Quam res grata, venit ſi pulcro corpore virtus,
Res ut grata venit, ſic quoque rara venit.

In Cantorem clamoſum.

HInc bene quod clamas, male cantas, laus tibi ſurgit,
Non bene quod clamas, ſed canis, artis erit.

In Avarum.

NUllus avarus habet nummos, ſed habetur ab illis,
Quid? forſan ridens Euclio noſter ait.
His utatur, habet: Si non utatur, habetur:
Alter nomen habet, poſſidet alter opes.

Ad D. JOHANNEM COPUM, *J. C. Conſil. & Secret. Elect. Brandenb.*

MAgne Vir, æternis cœlum qui laudibus æquas,
O cor, & o magni maxima cura Ducis:

Accipe, quæ lusi, sed, quod peto, fronte serena:
Sic solet & magnus parva probare Deus.
Si non digna legi, quæ rustica carmina feci,
Da veniam, nec agro, qui modo constat honor.
Frigida sunt etiam, sed qualia tempora surgunt,
Sic nostri virtus sanguinis esse solet.
Dum fera sævit hyems, riget horrida terra pruina,
Difficile est Claria ludere digna chely.
Qualia sed fuerint, hilari tamen accipe vultu,
Sæpe quoque exiguis pondus inesse potest.
Quando suo incipient gaudere rosaria cultu,
Et favor in versu gratia mollis erit.
Interea fatis melioribus utere felix:
Felix, qui Musis deditus atque Deo.
Hæc faciunt terris, faciunt quoque vivere cœlis:
Sic venit ex Musis ille perennis honor.

Ad HENRICUM HAMMELIUM, *J.C. Doctorem, Consil. Archiepiscopi Magdeburgensis.*

DUm Divum dicto *Hammelium* produceret ortus,
Hunc Pandora bonis accumulare parat.
Omnia dumque parat, sociam vocat illa sororem
Fortunam, donis nomina ut apta ferat.
Ut videt, in medium ridens ignara relinquit,
Clarior, an major, vel pius ille magis.

Ad M. BALTHASAREM LEUTHINGERUM Fratrem in Academia Francoford.

ME stygius miserum morsu canis impetit atro,
Angelus & terret nigrior iste nigro.
Evocat Alecto, Juno, implacabilis ἥρα,
Quasque potest furias, armat anile caput.

Sic

Sic inter rupes circumlatrantibus undis,
Ne noceat, timeo, vis inimica maris.
Quid faciam, frater? pereo juvenilibus annis,
Viſcera ſunt capiti pernicioſa ſuo.
Nec caput aut tanti corpus, ſed mordet id unum,
Quod famæ nomen proſtituere meum.
Sed ſi quid verſus proſit, vel poſſit Iambus,
Non ſint Auctori nomina vana ſuo.

De nomine Victoriæ, quod eſt *νίκη ἀπ' οὐρανοῦ*,
M. BALTH. LEUTHINGERI.

QUod cœlo veniat victoria dicta Latinis,
Cum Chriſto diſcas vincere: victor eris.
Surgant bella: tibi veniet victoria cœlo,
Nec niſi divino nomine victor eris.
Sic ut nomen habes, non falleris, omen habebis,
Sic modo victor eras, ſic modo victor eris.
Præruptæ rupes ferro ſuperantur & igne,
Ut dolor hic urat, vince ferendo malum.
Sit Dæmon, Juno, canis, aut cane pejus & angue,
Ut jactet fulmen, fluminis inſtar erit.

Pecuniæ ſunt nervi ſtudiorum.

IN ſtudiis opus eſt nummis, ſi quis caret illis,
Eriget is nullo clara trophæa loco.
Crede, regit totum regina pecunia mundum,
Hæc regnat templis, regnat & illa foro.
Ad ſteriles demum devenit & illa cathedras,
Ni tibi ſint nummi, Muſa negabit opem.

De Avaro.

QUod ſibi condiderat, poſtquam non repperit aurum,
Aptavit collo quem reperit laqueum.

Ad

Ad JOHANNEM WAGNERUM, amicum ſuum.

HIc in Pegaſidum celebri dum vivimus urbe,
Nempe quid hoc rerum tempore, quæris, agam?
Hic arcana Dei ſcrutor, myſteria cœli,
Nominis & certo per decus ire boni.
Nunc traho carminibus ſpatioſa ſilentia noctis,
Sic traho Lucifero præveniente diem.
Sic agitur mecum, ſic omnis labitur ætas,
Hora fugit, nec quæ præterit hora redit.

De Studiis.

TEr tribus & tribus eſt mea vita dicata puellis,
Et tibi, quem colimus pectore & ore Deum.

Pietas diſcipuli grati Alexandri Magni.

ME multum, fateor, meritis debere Philippi,
Sed tamen annoſo plura, Stagira, tuo.

In Phalium.

AN niger, an niveus fueris, quis dicere poſſit,
Ni fallor, Juda cum patre Gilvus eris.

In terræ motum Miſniam concutientem.

TErra dat horrendum ſonitum, natura gemiſcit,
Occupat in multis urbibus arva tremor.
Talia portendunt quid triſte patentia ſigna?
Heu pereat, quem non ſigna ſtupenda movent.
Scilicet horrendum mugit natura, quod optat,
Quæ finem rebus ſit poſitura diem.
Et gemit ob nævos noſtros, & qua valet illa
Voce vocat, ſtygias ut caveamus aquas.
Felix, quem faciunt rerum miracula cautum,
Et verbo credit non dubitante fide.

De

De GEORGIO COELESTINO, *Doct. Theologiæ, Præposito Colon. ad Suevum*, pie defuncto.

Cœlestinus amat vivus cœlestia, cœlis
Hinc raptus citius cœlica regna subit.

In ANGELUM Anthracinum.

CAndiditatis habes nihil, & vis Angelus esse,
Cum niger es, melius Dæmone nomen habes.

In JANUM ANGELUM.

JAne vides, nec Jane vides, mirabile dictu,
Quem duplex ajunt corpore habere caput.
Est ita, non duplicem sum linguam expertus, & ora
Tot nigra, cum calidis frigida flare potes.
Cumque caput duplex habeas & duplicia ora,
Non tamen in veris recta videre potes.
Aut nimis aut nil, Jane, vides, sic vertitur ordo,
Demiror, Janus cur tamen esse velis.

Ad Magedentatum suum.

GRandia me legisse refert Magedentulus, heus tu,
Virgiliine putas, vel Ciceronis opus?
Grandia Virgilium memini comprendere verba,
Quæ sint à docto non aliena viro.
Planius at nostro nihil est Cicerone receptum,
Forte quod ignoras, grandius esse putas.
Quis tibi Marcani nimium quod grandia dixit,
Littera non bardo nota vel una tibi.
Tribula vel trabeæ, vel iniquo pondere rastri,
Credo, tuis manibus quod meliora forent.
Et tamen artificum te fortiter ingeris orbi,
Hoc non est asinum sumere velle lyram?

Sic carpas alios, donec carpendus es ipſe,
Dum carpit, recte carpitur ipſe malus.
Sed quia conſul eras, tibi cuncta licere putabas,
Erras, ipſe tibi conſule quæſo prius.
Omnia ſunt aſinis nimium prægrandia pigris,
Hinc oncant nimium lene vel illud onus.
Diſce prius, quam me doceas, & habebis honore
Quos veſtra doctos ejicit urbe furor.

In Numiſma, à reverendiſſimo Domino PETRO, *Abbate Bergenſe*, inter alia dono miſſum, cujus inſcriptio erat:
Gloria ex duris.

IN ſtudiis animis opus eſt & pectore forti,
Ut pateris ſemper plura ferenda dabunt.
Si perſers, alii tantum tibi nomine cedent,
Quam tibi ſub duris gloria major erit.

Η ΕΥΧΗ NICOLAI LEUTHINGERI Sen. *Parentis ſui* optime meriti, de filiis & Eccleſia.

MUnde vale, cœlum ſalve, ter maxime Jeſu,
Huc ades, ac animam ſuſcipe quæſo meam.
Vita hæc perpetuus tumulus bipatensque ſepulcrum,
Vivere nil aliud, quam ſine fine mori.
Ergo mori mundo didici, tibi vivere ſoli,
Tu mihi defeſſo porrige, Chriſte, manum.
Solvere feſtines, cum ſervus inutilis eſſe
Cœpero, mors lucrum, funera fœnus erunt.
Chriſte, tuæ natos manui commendo potenti,
Quos genui templis laudibus atque tuis.

Epitaphium LUCIÆ BERBAUMIÆ, NICOLAI LEUTHINGERI Senior. Theolog. Paſtoris Lansbergenſis, conjugis dilectiſſimæ, & M. M. *Nicolai & Balthaſaris Leuthingerorum* deſideratiſſ. matris, P. P.

Quis-

QUisquis es, hunc tumulum qui transis forte, viator,
Siste pedem, & tumulo verba notata lege.
Hic ego LEUTHIGERI conjunx, LUCIA, quiesco,
Et mecum casti *pignora quinque* tori.
Fertilis arbor eram, claro fœcunda marito,
Terque quaterque novus surculus inde venit.
Florida lustra duo florenti conjuge vixi,
Et septem thalami pignora cara tuli.
Ex his ornati duo sunt Daphneide serto,
Sed reliqui mecum cœlica serta gerunt.
Vera luce Deum colui, qua luce quievi,
Illa luce tuba mox revocanda Dei.
Nunc me mollis hiems siccat, mox vere redibit
Ille vigor, fructu condecorata meo.
Vivite dilecti Nati, dilecte Marite,
Et semper Templo sic habitate Dei.
Mater, disce meo fato quoque munere fungi,
Sic bona, sic lethum nil nisi somnus erit.

Epitaphium MARTINI LEUTHINGERI, pueri mortui.

COnditur hoc tumulo sancti pia cura parentis,
Dum patrios vastat pestis acerba lares.
Vix anni duo de prima trieteride deerant,
Et jam spes patriæ, spes quoque patris eram.
Nec species, aut ingenium, nec profuit ætas,
Sic nemo, cujus mors miseretur, erit.
Sed tamen & morti subitæ sua commoda restant,
Nam mala non meminit, si cito quis moritur.

Epitaphium PETRI LEUTHINGERI.

FRatribus ex septem supremus in ordine *Petrus*,
Ultimus ex thalamis, ultimus in tumulum.

Nec doleo hoc funus, ſed funera acerba meorum,
Et matrem & fratres tot cecidiſſe queror.

LIBER TERTIUS.

Ad Illuſtriſſimum Principem ac Dominum, Dominum JOACHIMUM FRIDERICUM, JOHANNIS GEORGII, Principis Electoris, Filium, *Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, Germaniæque Primatus Adminiſtratorem & Principem poſtulatum, Marchionem Brandenburgium, Pruſſiæ, Stetinenſium, Pomeranorum, Caſſubiorum, Sclavorum, Sileſiæque Ducem, & Norici caſtri Burggravium*, &c. Dominum ſuum clementiſſimum.

QUalis erat *Titus* Princeps, quo montibus olim
Urbs ſeptem florens Rege ſuperba fuit.
Marchiacis talis Princeps JOACHIMUS in oris,
Laude pari, ſimili conditione tumet.
Titus enim Cæſar, claro patre Cæſare natus,
Urbis delicium, dictus amorque fuit.
Tu Princeps clarus, claro patre Principe natus,
Orbis delicii nomen, amoris habes.
Æquat enim virtus clariſſima paſſibus æquis
Titum, ni forſan jam ſuperatus erit.
Ille Palæſtinos Romanis legibus hoſtes
Compulit Auſonio ſubdere colla jugo.
Fecit & extorres tectis laribusque paternis,
Et meritas pœnas gens recutita dedit.
Denique nemo fuit tanta manſuetior urbe,
Nemo regandi doctior arte fuit.
Sed, JOACHIME, tuas pandat quis carmine laudes,
Dum patrio pulſas lurida monſtra ſolo?
Nempe cucullatos Lernæo pulvere fratres,
Quæ Lybicis pejor gens Tiberina plagis.
Illa tuo dudum patriæ pietatis amore
Ad ſtygias undas præcipitata cadit.

Pri-

Prima ſupra mundum nobis eſt patria cœlum,
Altera poſt cœlum tecta parentis erunt.
Es meritis utriusque decus, nec turba gigantum
Quid, fruſtra fulmen vi renuente, poteſt.
Quæ modo ſpumabat ſetina fidelia templis,
Per te jam pridem ſicca remiſſa domum.
Nectar & Ambroſiam vero cum Numine reddis,
Et vivam dulci fonte Sionis aquam.
Hæc tua laus tantum clariſſima nomina vincit,
Quantum mens ventrem præſtat honore ſuum;
Fœcundum taceo thalamum, fœcundaque corda,
Quæ varia rerum cognitione ſcatent.
Tanta per auguſtum regnat clementia pectus,
Talis in ore favor, gratia tanta micat.
Ut cœlum triſti vincat ſine nube ſerenum,
Et populis vultu ſurgat ubique dies.
Scilicet eſt terris aliquid commune ſupernis,
Et redit ex ſuperis vita rogusque ſolo.
Præſidis eſt eadem ſceptri quoque portio rerum,
Sceptra ſerena jocum: triſtia damna ferunt.
Inprimis, *Titum* rara virtute ſecutus,
Non pateris triſtem limine abire tuo.
Viſus & ille dies tibi perditus eſſe ſub umbra,
Quo non munifica damna levantur ope.
Hæc eſt ex numero virtutum regia virtus,
Neſcia, dum ſemper viva merendo, mori.
Hæc cœlo pennis infert pernicibus omnes,
Quot bene de ſacro demeruere choro.
Vive diu Muſis, Princeps clariſſime, noſtris,
Vive diu patriæ, denique vive Deo.
Quodque Pater *Titi* ſolitus memorare frequenter,
Vel tu, vel nemo patria ſceptra geras.

Sic fatum, pietas, virtus præclara meretur,
Ætas quæ tantum nefciet inde Ducem?
Hos Elegos etiam pacato fufcipe vultu,
Repperies plenos nominis effe tui.
Hic avus atque pater, proavus tibi fæpe legetur,
Quæve fub Arctoo fidere facta, leges.
Mens meditatur opus, quod adhuc fine fine reliqui,
Altius hic numero te graviore canam.
Nunc, patriæ Princeps, hæc parva crepundia ferto:
Sæpius in parvis robora magna latent.

Illuftriff. Celfitudinis T.

Subditiff.

M. Nicolaus Leuthinger.
Landsbergius.

Ad Librum.

PArve liber, viridi nobis confectus in ævo,
Sorte fed immiti, nec meliore Deo.
Quo tendis nullo properatus tempore dignus,
Vix primo Clariis limine tinctus aquis.
Incultus, nullo mordaci lotus aceto,
Effe viatori cuncta timenda vides.
Nunc tibi cenfuræ rigidæ terrore fubinde
Momus acetofus bella movere volet.
Hinc exporrecto trutinabit verba flabello
Inflatis buccis ftellio, quisquis erit.
Sermo Bionœus rabidæ convitia linguæ
Pro libitu fparget, vappaque defes eris.
Angelicas taceo fraudes, morfusque caninos,
Non vitio cafus impediente graves.
En Apinas iterum depellent limine tricas,
Publica nec fuerint compita tuta fatis.

Cla-

Clamabit sciolus nasutulus, esse lituris
Hic opus, & variis polluet ora modis.
Invidiæ pœnam vates non effugit ullus:
Sed non Mæonides tutus & ipse fuit.
Nempe placent melius Thymeli Triscurria nostris,
Est inimica fere lingua trisulca bonis.
Quæ tamen hic fuerit rerum fortuna tuarum,
Sis bonus, ex duris gloria major erit.
Vade bonis avibus: rabido latret canis ore,
Atque venenatis sordibus *Anger* eat.
Et tamen invenies externis exterus arvis,
Qui patrocinium mente favente ferant.
Ars contempta domi reliquis acceptior oris,
Hinc aliis melius semper habebis agris.
Ex multis tandem virtus accepta vel uni,
Sicut in hoc magni nominis esse solent.
Qui simul audierint, facili tibi mente levabunt
Curas, & dextra munera dante feres.
Tunc abeas, quocunque libet, cantato bonorum
Munificas laudes carmine: Parve liber.

FRIDERICUS I. Burggravius Norinbergensis, cognomine *Sapiens*, Marchio & Elector Brandenburgius, insignia Electoratus in concilio Constantiæ à SIGISMUNDO, CAROLI Filio, Imper. accipit die Philippi & Jacobi, anno XV. supra MCCCC.

EDitus antiquo FRIDERICUS sanguine Regum,
Angrorum jactat quos numerosa domus:
Ad cœlum, ZAGORALLA, tuas virtutibus arces
Tollit, Cæsareas dum veneratur opes.
Accipiunt Comitem vix natum Norica castra,
Pro Domino jussum reddere jura suo.
Istius emicuit multis sapientia factis,
Dum simul est bellis consiliisque potens.

Er-

Ergo SIGISMUNDO, Germani Cæſare regni,
Qui tum virtutis cenſor acutus erat,
Majores propter virtutem cepit honores,
Et Præſes dictus, Marchia clara, tuus.
Hanc tantis rexit meritis, tantoque favore,
Illius ut multum laudibus aucta foret.
Semper & optarent ſub Præſide vivere tali,
Uno quo populi ſarcta futura ſalus.
Unanimes igitur proceres, cum plebe ſenatus,
Illa SIGISMUNDO candida vota ferunt.
Annuit optatis Cæſar: jubet eſſe Nomarcham,
Et ſi quæ proles maſcula nata foret.
Tanegra lætatur FRIDERICO Principe primum,
Atque tenet curſum molliter omne ſuum.
Facta ruina prius, multoque recondita cœno,
Vaſta fit, ut Domino non habitata domus.
Poſt quoque cum *Suevo*, *Viadro*, lætatur *Havelus*,
Læta fit hoc demum Marchia cuncta Duce.
Et quia ſæpe probata foret conſtantia bellis,
O noſtro virtus tempore rara Ducis!
Et quod, *Pannoniis* quando Rex captus ab agris,
Illius auſpicio vindice liber erat:
Sceptrigeri ſummos tulit Electoris honores,
Et Regum dictus ſeptimus inde fuit.
Hic ubi concilium celebrat *Conſtantia* Papæ,
HUSSI damnati nobilitata rogo.
Præſtitibus Majæ laribus, primisque calendis,
Et majeſtatem magna decere notat.
Huſſitas rigido contundit Marte feroces,
Hic ubi Francorum gens animoſa ſedet.
Millia, qui pugnis præſtabant, multa cecidit
Impiger ad lapidem, CAROLE Dive, tuum.

In-

Inteſtina malis ferventia bella cruentis
Sedavit forti pro gravitate manu.
Nobilium vires animoſus & arma repreſſit,
Illorum vertens funditus hoſtis opes.
Non adeo virtus odiis ſecura potentum,
Si non ex aliis prælia, nata domi.
At ſolers animi virtus eſt neſcia vinci,
Fortuna belli læta trophæa tulit.
Ille Duces fudit, quos jactat *Mænalis* Urſa,
Quaque patet rigidis cymbrica terra plagis.
Nil hic CHRISTOFERI poterat clariſſima fama,
Lethifero gladio decidit ictus equo.
Hujus *Prignitium* defenſum Principis armis,
WILGHELMUS tepidis milite fuſus agris.
Victor opes tumidas *Pomerani* fregit ERICI,
Cui fatis animus natus OTHONIS erat.
Fecerat hæc animum ſecura potentia, fregit
Hæc eadem: gravibus ſic graviora nocent.
Hoc bello diſcors *Prenslavia* capta ſecundum,
Et vaſtata fuit *Marchia* tota *nova*.
Hic ubi piniferos perlabitur *Odera* colles,
Sed nec Marchiacis pugna ſecunda fuit,
Multos Mars audax telis & fraude peremit,
Inter quos magnæ nobilitatis erant.
Res transacta tamen poſt prælia multa, ferente
Marchiaco victo jura tenenda Duci.
Interea cepit grandem mea patria cladem,
Incola *Lansbergum* fertile vulgo vocat.
Ampla viris, opibusque potens ac ubere glebæ
Urbs, & præluſtris nominis illa fuit.
Ex hac *Vandalicos* compeſcit Marchia motus,
Dum ſol luſtra facit quatuor atque decem.

Aaa aaa aa Hu-

Hujus adhuc exſtant hodie veſtigia, magnam
Æmula jam pridem ſigna fuiſſe docent.
Sed tamen æquantes *Huſſitæ* mœnia terris
Ultricis cæſi vindice Marte manus:
Hic ubi ſublimis magna *Bernovia* laude
Surgit, Pierio ſemper amica choro.
Quæ claros gignit cives, vatesque diſertos,
Et ſuccum gratum fluxilitatis opus.
Saxonicis *Albim* turgentem ſedat in oris,
Cum, BERNHARDE, nimis, Saxo, cruentus eras.
Sic modo qui pacis ductor de nomine dictus,
Omnia ceu rebus nomina ſæpe ferunt:
Reſtituit pacem populis, arisque relictis,
Quam prius optarant Marchica regna diu.
Sed non optatis locus eſt, ubi prævalet error,
Nec per bella poteſt res ratione geri.
Fregit latrones ſylvisque viisque vagantes,
Quæque prius reddit tuta, timenda forent.
Æmathius magnis peragravit viribus orbem,
Et tamen in tanto Principe nulla ſalus.
Nam raptus validi per pocula nigra veneni,
Supremum funus, funera plura dedit.
Quam quibus in vivis dederat victoria vitam,
Rettulit hunc adeo nos habuiſſe Ducem.
Delectabatur *Tangra*, cultisque ſacratis,
Quæ tua conſtituit, CAROLE *Quarte*, manus.
Sed cum quæ claris urbs adjacet inclyta ripis,
Nobile cui nomen *Mænalis* Urſa dedit.
Quæ ſuas ædes præclara *Colonia* jungit,
Cum nova ſpectarent non toleranda Duci.
Invitus demum *Tangra* migrare coactus
Huc, ubi ſe *Suevo* jungit *Havelus* aquis.

No-

Nomen & infelix retinet de fœdere rupto,
Urbs invisa bonis, officiosa malis,
Constituitque novas, qua præterlabitur arces,
Qui fert cygniferas flumine *Suevus* aquas.
Regia sic sedes est facta *Colonia* primum,
Invenies alia vix regione parem.
Sic hodie surgit JOACHIMI summa labore:
Arx arces præstat, Dux velut ipse Duces.
Hoc opus extremum FRIDERICI: mortuus illo:
Amisit quantum Teutona terra decus.
Nil prætermisit *Sapienti* Principe dignum,
Ut merito generi præferat ille facem.

FRIDERICUS II. FRIDERICI I. Filius, Marchio & Elector Brandenburgius, cognomine *Ferreus* seu *Bellator* appellatus, absque hærede moritur anno MCCCC. 10. Febr.

NOmine, non belli rebus pacisve *Secundus*
Pro patre Septemvir Dux FRIDERICUS erat.
JOHANNES quamvis major natalibus esset,
Sed bellis rigidis carior ipsa quies.
Fratri sceptrigeros Frater concessit honores,
Et vitæ studiis otia rara dedit.
Tanta fuit virtus & tanta modestia Regum,
Cesserit ut minimo major amore Duci.
Primus honoratos titulos ut Marchio gessit,
Dictus & invictus Dux, *Pomerane*, tuus,
Arbiter imperii nostri cum *Tertius* esset
Ex his, qui gratæ nomina pacis habent.
A patre quæ *Suevi* fuerat munitio cœpta,
Illius ad finem continuatur ope.
Ruderibus videas hodie vestigia parva,
Urbes qua *Suevus* perluit amne duas.

Principe quo patriæ FRIDERICO ſceptra tenente,
Mollis hiems hortis non inamœna fuit.
Arbor ut inſuetas gemmas produceret arvis,
Quæ ſolet autumno perſica poma dare.
Caltha refloreret, quæ Gallis Solſia dicta,
Et reliquis mirus floribus eſſet honor.
Sed cum ver ſtaret cinctum florente corona,
Exundans *Albis* plurima damna tulit.
Nec modo damna dedit florentibus urbibus unda,
*Stendalii*ve ſacris vis inimica fuit.
Sed per vervacti ſegetum ſpatiata receſſus,
Cœpta Colonorum vota fefellit aquis.
Hinc cum ſol peteret calidos ſpatioſius ignes,
Et campus gereret ſpicea ſerta comis:
Corrupto tractu cœleſti lethifer annus,
Cum dira preſſit patria tecta lue:
Sæpe Ducis culpa patitur reſpublica damnum,
Cum ſpreto ſequitur turpia facta Deo.
Sed tanto murus FRIDERICUS aheneus æſtu,
Cujus res precibus publica ſalva fuit.
Ille Palæſtinam vidit, veſtigia Chriſti,
Et dedit optatis oſcula multa locis.
Sarmatiæ proceres magnis ab honoribus aucto
Unanimes regni ſceptra tulere ſui:
Ille ſed excuſans, quod canis obſitus eſſet,
Candida vota tibi, Dux CASIMIRE, dedit.
Dux fortis, clemens, juſtus bellator & ingens,
Immenſum patriæ quo duce crevit honor.

ALBERTUS, FRIDERICI I. Filius, Marchio & Elector Brandenburgius III. *Teutonicus Achilles* cognomine, natus anno XIV. mane 7. hora, 13. Calend. Decembris, vixit annos 71. mort. anno LXXXV. ſupra MCCCC. Francof. ad Mœnum in electione *Maximiliani I.* 2. Martii, ſepultus Hailsbrunnæ.

Poſt

POst Fratrem Princeps capit Electoris honores
ALBERTUS, cujus *Francia* fulta manu.
Magna licet Fratris virtus, & magna Parentis,
Attamen ALBERTUS nomine major erat.
Bello consilioque potens: erat hostibus horror,
Ac simul audirent bella movere sonum.
A qua parte fuit, victoria certa secuta,
Res ferro valido cum peragenda fuit.
Ater ut Æacides erat insuperabilis armis,
Quodque Duces omnes non potuere, dabat.
Sit jacuisse thoro melius, sit tutius illis,
Quos cithara pulcra noxque Venusque juvant:
Huic manibus clypeos & acutæ cuspidis hastam,
Et galeam pressa sustinuisse coma.
Fœcundis thalamis insignia facta placebant,
Partaque bellando gloria Nectar erat.
Indiciis multis factus cum certior esset,
Plures magna sibi bella movere Duces:
Ac esset suasum, tantis cum viribus impar,
Consultum pugnis abstinuisse fore:
Vos, ait, ALBERTI quot nomen habere putatis?
Quo ferar, ex duris gloria major erit.
Dicite, mox veniant, solus contendero multis,
Et soli cedat gloria tanta mihi.
NORIDOS urbs castro vires experta frequenti,
Illius & novies milite pulsa fuit.
Tot quamvis Comites animis attraxerat altis,
Urbes tot belli materiamque dabant.
Cum civis lingua dixisset forte feroci
ALBERTUM tenuem paupere sorte virum;
Stultus, ait Consul, taceas, ALBERTUS is unus
Est instar, quot fert Teutona terra Ducum.

 Et

Et factum, castris septemque decemque potentes
Conjunxit causa conciliante Duces.
Et velut Heroo FRIDERICO Principe natus,
Sic retulit faciem factaque magna patris.
Sic leo non gignit pavitantem corde columbam,
Talis progenies talia facta facit.
Non tamen hos mores semper, qui vult, à parentum
Conspicimus motu sæpe referre novo.
Hunc, vix natus erat, Mars ad sua castra vocavit,
Militiæ docuit jura, fidemque sequi.
Vix puer, intrepidam mentem præstantibus armis
Comprobat, & lacerus vulnera mille capit.
Non secus Annibalem memorant venisse sub arma,
Officio functum militis esse boni.
Mox *Burgundiones* Ubiorum terruit arvis,
Imperii Rector cum FRIDERICUS erat.
Et *Moguntiaco* gessit cum Præsule bellum,
Cui Rheni ductor fœdere junctus erat.
Ultus & est *Bavarum* LUDOVICUM fortiter armis,
Qui Mogo belli suppeditabat opes.
Illius infesti senserunt signa *Poloni*,
Corde dabant trepidi cum pavitante fugam.
Principis *Elisii* turmas concidit equestres,
Imponens illis pro ratione fidem.
Pannoniis sub agris bellum pro Cæsare gessit,
Et, MATTHIA, tuis terror & horror erat.
Frena recusabat pecoris *Pomerania* dives,
Victa dedit dura conditione manus.
Nec pacata quidem manserunt *Saxonis* arva,
Cum JOHANNE manu prælia fausta ferit.
Hussitas domuit, formidatosque *Bohemos*,
Legibus hos jussit vivere pace suis.

No-

Nomen ad ALBERTI ſpumans excanduit *Iſter*,
  Rhenus, ut in madida canna palude, tremit.
Pruſſia, cœruleis quæ ſuccina gignit in undis,
  Vertere ſub miſeram terga coacta fugam.
Non locus eſt, rêſtant partis monumenta trophæis,
  Quæ dedit invicti gloria ſumma Ducis.
Prælia dum pugnis commiſit plura ſecundis,
  Quam reliquo procerum viſa fuere gregi.
Teutona cum miles vaſtaret *Noricus* arva,
  Hic ubi Francorum gens populoſa ſedet,
ALBERTUS turmam contra progreſſus equeſtrem,
  Unus & alter eques cinxit utrumque latus.
Innixus jaculis & acutæ cuſpidis haſta,
  Ex hoſti totidem poſcit ad arma viros.
Dixerat, Heroës totidem præſignibus auſis
  Arripiunt forti Martia tela manu.
Viribus in validum ſurgunt prægrandibus hoſtem,
  Ut ruit in prædam, quem tenet ira, leo.
Uſus hic ALBERTUS fati melioribus alis,
  Hoſtem turbat equo, rumpit & enſe latus.
At reliquos querulæ ſortis fortuna ſecuta,
  Victorum bello qualiter eſſe ſolet.
Ipſe cruentatus turmas perrexit ad ipſas,
  Et multo tepidos funere fecit agros.
Donec ad extremum per centum cominus enſes
  Progreſſus ſtrictos, vellere ſigna parat.
Auſus inauditum facinus ſub pectore magno,
  Cur turmis ſolus prælia fauſta ferit.
Unus & invictis nixus concurrere caſtris,
  Virtutis retulit ſigna tropæa ſuæ.
Sic laudem peperit virtus, victoria palmam,
  Cupreſſo meruit myrrhea ſerta fuga.

Nec

Nec ſemel hoc meruit muralem Marte coronam,
Aut jactata togæ mitis oliva fuit.
Eſt locus in medio tractu, qui Teutonis eſſe
Fertur, ubi proceres *Norica* regna premunt,
Et vaſti ſurgunt per ditia mœnia colles,
Aſpectant quorum florida prata ſinus.
Hinc fuit urbs olim foſſis munita profundis,
Ni fallor Comitis nomen ab arce tenet.
Huic vires dederat validas, equitumque phalanges,
Norica præſidium grande cohorte nova.
Tutior ut contra molimina Francica ſtaret,
Nec vincente Ducis milite præda foret.
Hanc parere tibi miſſo præcone jubebat:
Verba ſed ALBERTO non toleranda tulit.
Tum portis condens ſe mœnia civibus implet,
Robore confidens aggeribusque ſuis.
Objectis foſſis exſpectat turribus hoſtem,
ALBERTOque parum mentis ineſſe refert.
Ergo juravit fumantia culmina victæ
Urbis cum tectis æquiparare ſolo.
Et max accingit pugnacibus undique ſignis,
Nec patitur longas obſidione moras.
Huc turmas mittit fortes, mittitque cohortes,
Atque locis aliquot prælia ſæva parat.
Accurrunt animis pariter certantibus omnes,
Hanc prædæ ſummam quilibet eſſe putat.
Dant cuneum, muris denſa ſub mole feruntur
Scalæ, parte ſed hac ignis obortus erat.
Ad portas alii currunt, civemque trucidant,
Pars torquet nigra ſpicula nata lue.
Dux inter primos ad munitiſſima quæque
Fungitur officio militis atque Ducis.

Nec

Nec mora, cum vallum Princeps ſuperavit & alta
Mœnia, cum paucis primus in urbe ruit.
Unus & infeſtis pugnavit fortiter armis,
Donec & ex aliis concidit illa locis.
Pugnas acceſſit primus, victorque receſſit
Ultimus, ac patriæ vita ſalusque fuit.
Alterius frontem porrecta fronte feribat,
Formidans rigidi nullius arma viri.
Et lacerum corpusque, caputque, manusque tenebat,
Hoſti nec viſus vertere terga ſuo.
Et majora quidem fecit præſignibus auſis,
Quæ ſera Mneme poſteritate canet.
Hinc quoque *Teutonici* cepit cognomen *Achillis*,
Nempe quod Æmonio non ſit Achille minor.
Et quamvis tantus taliſque foret, tamen illi
Optima pax rerum non inimica fuit.
Illo perpetuum fœdus faciente ſerenat
Heſſi cum *Suevo*, *Saxonica*que domo.
Sed nil tam magnum, quod non violabile magnum,
Non homo quod violat, mors violenta rapit.
Nil adeo ſanctum, nihil eſt durabile terris,
Omnia dum fuimus, nomina ſola manent.
Cetera prætereunt: non arma, nec horridus enſis
Liberat à mortis conditione virum.
Arbiter imperii ſic dum moderatur habenas,
Infelix bellis qui FRIDERICUS erat.
Accipit & regni faſces tradente Senatu,
Maximus & qui tunc *Æmilianus* erat:
Occidit ad Mœnum fatis clariſſimus Heros,
Et nec magna quidem quod diuturna docet.

JOHANNES, ALBERTI Filius, Marchio & Elector Brandenburgius IV. cognomine *Magnus*, natus anno MCCCCLV. regn. 13. vixit 44. sepultus Lenini.

CUm Pater ALBERTUS fatis concesserat atris,
 JOHANNES Princeps Marchica sceptra gerit.
Nomen & obtinuit *Magni*, tribuente Viadro,
 Magnus enim bello, magnus & arte togæ.
Robora cui dederat specie pulcherrima grandi,
 Quæ rebus mater semper amica novis.
Is Martem renuens, pacis fuit inde sequester,
 Sed tamen & bellis gloria parta fuit.
Qua patriæ meruit, Patre decernente triumphum,
 Urbi qua nomen *Mænalis* Ursa facit.
Namque *Bohemorum* vires confregit & arces,
 Hercyniis juvit nil habitare jugis.
Elatos multum *Pomeranos*, frena negantes,
 Compulit imperio subdere colla suo.
Adjecit regnis tua, *Crosna*, vireta paternis,
 Vix quibus Aoniæ commodiora chely.
Exuit & regnis JOHANNEM fortis avitis,
 Exilium *Viadri* sub vada prisca dedit.
Pertæsus vero belli, Martisque laborum,
 Hæc retulisse suis verba subinde ferunt:
Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ,
 Vivitur & bellis, pace tamen melius.
Et licet à galea prudens & abhorruit armis,
 Non tamen hinc dici degenerasse potest.
Ingens bellorum stimulabat gloria patrem:
 Dulcius at nato vivere pace fuit.
Si recte memini laudem sectatus uterque,
 Et numeris Clariis dignus uterque cani.
Pax seu Mars colitur, faciet tibi nominis ortum,
 Laus bello: paci gloria major erit.

Plus bello turbæ, plus pace quietis habemus,
Si non pax, bellis conſtituenda venit.
Quod ſi pax regnat, dominatur & optima rerum,
Bella relegentur ſub nigra regna ſtygis.
ALBERTUS Martem coluit præſtantibus auſis,
Accipit hinc capitis vulnera mille ſui.
Scilicet ut comptos circum redimita capillos
Frondibus Odriadum pax ſtabilita foret.
Hanc ſibi tutandam JANUS cum laude putabat,
Hinc inerat JANO gratia mille modis.
Hinc totus ſtudiis animo ſe dedidit alto,
Et voluit factis proximus eſſe DEO.
Hinc decus Attiloquæ linguæ dedit Auſonis Hermes,
Artibus inſtruxit doctus Apollo bonis.
Ut ſaperet Pallas, rebus præſtaret agendis,
Edocuit, Pietas cœlica noſſe DEUM.
Imperio virtus populos placare feroces,
Acceptum populis ſed Charis eſſe ſuis.
Talibus inſtructus donis æquavit olympum,
Nec Dux regnandi doctior arte fuit.
Æmathius validis domuit qui viribus orbem,
Non ſibi qui reliquis imperitare poteſt.
Vincere non iras animis Telamonius Aiax,
Quod non ſexcenti viribus, ira poteſt.
Hunc nec amica Venus fregit, rabidæque procella
Iræ, quæ multis exitioſa fuit.
Juſtitiæ lancem penſans, artesque togatas,
Marchiacam factis pluribus auxit humum.
Attulit inprimis fandi vis ſplendida laudem,
Par gravitas ſuavi mixta lepore fuit.
Attica dulciloquæ cedat facundia vocis,
Quo Pandioniam Marchia vincat, habet.

Quodq; fere proprium, qui Marchica regna gubernant,
Ut ſedeat labris eloquioque nitor.
Hujus ſunt viſæ Charites attingere linguam,
Qui reliquos varia vinceret arte Duces.
Imperii quando FRIDERICUS habebat habenas,
Publica res omni parte minuta foret.
Pannoniis bello clarus raptabat ab oris,
Iſtri qui rigido Marte regebat opes.
Vandaliæ contra vires contraxerat omnes
Sarmatiæ Rector, qui CASIMIRUS erat.
Eliſias urbes bello ſpectabat uterque,
Hinc ad *Sileſiæ* caſtra locata caput.
Sed Dux ERNESTUS, fortem qui regnat ad Albim,
Et quem JOHANNEM Marchica regna colunt,
Conſcriptis equitum turmis ad caſtra profecti,
Ut pacem mallent, auctor utriſque fuit.
Hic tres JOHANNES Princeps oravit ad horas,
Milite ſub cunctis conſpiciente locis.
Dicentem multum mirata corona bonorum,
Et Ciceronæas qui venerantur opes.
Teſtibus his Charites fontanis ora rigarunt,
Et ſedem tenuit ſuada per ora Ducis.
Marchica ſic fecit mellito flumine lingua,
Quæ non armorum robore facta forent.
Urbibus Elyſiis dicendo reſtituit rem,
Limitibus manſit patria ſalva ſuis.
Sceptriger ipſe Deos cœlis æquavit honore,
Totius imperii nobilitatus honor.
Venerat in gravidam pugnis civilibus urbem
Stendaliam motus ſeditione gravis.
Hanc capit, & ſedat turbas, ſævoſque tumultus,
Exemplisque docet non temerare fidem.

Egre-

Egreditur fines perjura licentia vulgi,
Plus ubi cum bellis Eumenidea valent.
Ad Tangram longis igitur consumptus ab annis
Venit, & ad muros mortuus, *Arne*, tuos.
Sub mortem, fluctu veluti superatus aquarum,
Nulla resurgentis meta doloris erat.
Et semel ibo, refert, tuto sub tramite patrum,
Numine me sancto concomitante, viam.
Jam ruptis oculis, letho pulsante cadiva,
Dum superat vita deficiente rogus:
Evocat ad voces aula spectante supremas
Natum, & sic orsus pectore verba loqui:
Nate meæ vires, mea prima potentia regni,
En ego, more patrum, sub nigra fata vocor.
Nec tamen idcirco tristi sub morte manebo,
Sed mihi mors lucrum, funera fœnus erunt.
In mundum veni nudus, sub turbine vitæ
Jactatus, tandem fata suprema peto.
Sed spero certam Christi per funera vitam,
Militiaque sub hac cœlica serta geram.
Et patriam quamvis & patria regna relinquo,
Plena querelarum sollicitique mali;
Attamen in cœlis sedes exspecto beatas,
Conferet æternus quas sine fine Pater.
Te vero genui, tantaque sub indole fovi,
Ut post me coleres Numina sacra Dei.
Si quando jussus regnis migrare paternis,
Ut, me sublato, patris imago fores,
Et me regali tumulares mole sepulcri,
Nec sineres nostrum nomen inane mori.
Ergo cum, Fili, me jam fatalia poscant,
Fabula non cari jussa parentis erunt.

Sed responsa velut Divum sub corde repones,
Et patris referes esse statuta tui.
Non ego te jubeam cladem vitare propinquam,
Ne tibi sis, videas causa caputque mali.
Si recte memini, ferme contingit id illis,
Numine qui spreto turpia facta probant.
Scilicet ex superis recti sapientia manat,
Hinc pete, si debet res sapienter agi.
Fecisti teneris equidem laudatus ab annis,
Unde ætas etiam posset adulta cani.
Cur mentem, siquidem matura adoleverit ætas,
In pejus vitium præcipitare sinas?
Sponde digna tuis præstantibus omnia cœptis,
Atque genus tecum crescat honorque tuus.
Non ego res nostras victas, aut regna fatebor,
Sospite dum virtus pectore tanta sedet.
Cumque trahat natura animos, prælustribus ortum
Patribus haud alium mens generosa dabit.
Ad fontem duxi, doctas qui suggerit undas,
Fortis Abantiadæ quem pede fecit equus.
Quaque sacro vernant illustria fronde tropæa,
Laus floret mediis cincta favore viis.
Tu modo de recto videas ne tramite flectas,
Est aliquid tritis posse manare viis.
Lascivo juvenis defecit Scipio luxu,
Devicit cujus punica sceptra parens.
Degener est Cicero juvenis prætore notatus,
Et dictus summum dedecus esse patri.
Tu memor illustri generis te stemmate cretum,
Quod claret belli nomine, laude togæ.
Sæpius in mentem venient tibi facta parentis,
Qui voluit factis proximus esse Deo.

Ver-

Verſabis multum laudes, pulcrosque triumphos,
Quos avus Albertus Marte favente tulit.
Excitet in patriam virtutem animosque viriles
Patruus, & proavus, qui Fridericus erat.
Et tibi ſors majora dabit, majorque facultas,
Area per laudum nomina major erit.
Tu modo, quæ virtus tanta ſub origine ſpondet,
Vilia non animo deteriore putes.
Inprimis juſta populos ratione guberna,
Crede mihi, hinc multum proſperitatis habes.
Qualem præterea ſervat fortuna tenorem,
Tu perſtes ſoboles digna parente tuo.
Te committe Deo, ſoli cui fidere tutum,
Quæ totus, fallunt omnia, mundus habet.
Non regnes ſceptris, tacito quaſi carcere clauſus,
Et nutu cauſas inferioris agas.
Perdit jus, aliis qui recta negotia tradit,
Nec ſolet eſſe ſuo purpura muta loco.
Officiis omnes auge, quos inclita virtus
Exornat, patriæ vel ſua facta probant.
Sic tibi devinctos titulo virtutis habebis:
Quod non vis faciet, munera parva dabunt.
Non onera cives ſanos cum mœnibus ipſis,
Sub juga nobilium vel patiaris agi.
Sis juſtus clemensque pater ſub nomine Regis,
Da ſua jura tuis, da ſua jura Deo.
Denique tu qualem vultum tibi numinis optas,
In cives tali te pietate geras.
Sic erit, ut regnum placide ſine cæde gubernes,
Non aulam turbet craſſa querela tuam.
Ut nati natorum, & qui naſcentur ab illis,
Perpetuas aras pro bonitate ſtruant.

His,

His, Joachime, vale, melioribus utere fatis,
Me vocat ad cœli cœrula templa Deus.
Dixerat, & fuſis circum complectitur armis,
Et ſexcenta gemens oſcula ſumma ferit.
Atque ſimul lætus vacuas dilapſus in auras,
Ad cœli partas approperavit opes.
Dignus in æternum patriæ qui viveret arci,
At nunc æternum vivit in arce Dei.
Felix, qui fatum, ſtrepitus & vicit averni,
Hunc bene defunctum vivere, crede, Deo.

JOACHIMUS I. JOHANNIS Filius, Marchio & Elector Brandenb. V. cognomento *Teutonicus Cicero*, naſcitur anno M CCCC LXXXIV. 9. Calend. Martii, regn. 36. mortuus M D XXXV. ſepultus ad Suevum Coloniæ.

POſtquam Marchiacis primum natalibus ortus
Marchio ſeptemvir, qui JOACHIMUS erat:
Lætatur virtus, Charites, artesque diſertæ,
Et ſimul Aſtrææ Pœoniæque Deæ.
Barbarie pulſa, viſæque reſumere vires,
Quas prius amiſſas non habuere ſuas.
Nam non Teutonica ſolum fuit ille diſertus,
Et Latia potuit fundere voce ſonos.
Edita publicitus numeris oratio doctis,
Præſidii quid habet lingua latina, docet.
Quando latrociniis inviſa potentibus eſſent,
Atque viatori cuncta timenda forent:
Ille repurgavit ſaltusque viasque cruentas,
Latrones ultus cum gravitate fuit.
Sic pia cum multos ſervaret dextera cives,
Promeruit meritis civica ſerta ſuis.
Cumque foret Princeps omni doctiſſimus arte,
Quæſitum ſtudiis addere plura fuit.

Hinc

Hinc modo non didicit linguas Musasque togatas,
Aut alias populo quodque necesse foret.
Artis scrutatus penitus linguæque recessus,
Et quæ vix doctus noverat, is poterat.
Ignotas etiam causas didicitque remotas,
Omnia discendi tanta cupido fuit.
Sacrarum tenuit sacrata volumina legum,
Noverat hinc æque reddere jura suis.
Noverat historias, & longum gesta per orbem,
Seu tua, Tybri, pater, seu tua, Nile, forent.
Seu quid in Ausonio cedro cecinere Camœnæ,
Seu Grajo vates quid retulere pede.
Sceptriger has, mentis JOACHIMUS viribus usus,
Ut matris cunctas ubere suxit opes.
Sidera cunctatus tacitis famulantia fatis,
In multos vidit fata futura dies.
In quibus æquavit Reges, quos ostia Nili,
Assyriæ Clariæ quos coluere domus.
Doctrinis multum poterat, doctisque favebat,
Constituens illis præmia digna Duce.
Atque sacras artes, levium delubra sororum
Fovit, ut ex Thuscis regibus ortus eques.
Indole quos rara vidit præstare, benignus
Jejuna vetuit conditione premi.
Effera barbaries Erymanthida versus ad Arcton,
Jam provecta tenens Marchica regna, foret.
Is nisi struxisset præclara palatia Musis,
Qua Viadrus rapido gurgite volvit aquas.
Arctoo quales non orbe putantur haberi,
Qui loca sint vatum fertiliora, situs.
Quo sic de patria meritus, cultisque Camœnis,
Ut nequeat calamo sufficiente cani.

 Er-

Ergo dum fuerit, qui vertice ſidera tangit
Parnaſſus, fuerint ex Helicone Deæ.
Non minus Æmathio, rigido qui Marte celebris,
Ibit ad Eoas Heſperiasque domos.
Hunc AUGUSTA fuit multum mirata canentem,
Dum Ciceronæo perculit ora ſono.
Namque Periclæo facundia ſtabat in ore,
Suavior Hyblæis lingua diſerta thymis.
Cæſaris os dictus QUINTI, CICEROque ſecundus,
Et patrio viſus quem ſuperare ſono.
Pacis amans Princeps, in quo clementia mallet
Vincere, quam ferrum, pectus agreſte pia.
Quem non mille feræ, ſeriesque immenſa laborum,
Non hoſtis potuit vincere, vicit amor.
Hic ſibi perpetuo ſimilis, non empta voluptas
Luctu, ſectanti mille moleſta viis.
Nam quovis fuerit titulo tibi parta voluptas,
Limine mox ipſo tædia multa feret.
Sed referens animum ſtudiis Muſisque ſerenum,
Civibus utilium nobilis auctor erat.
Delectabatur multum popularibus auris,
Nobilium renuens frena ſuperba jugi.
Publica privatis præponere commoda rebus
Jam quoque ſub medio cura ſuprema rogo.
Hinc ſemper laudum Divos æquabit honore:
Quod mortale fuit, funere Suevus habet.

JOACHIMUS II. JOACHIMI I. Filius, Marchio & Elector Brandenburgius VI. cognomento *Teutonicus Neſtor*, naſcitur anno XV. ſupra M D. mane 6. hora, 9. Januar. regnavit annos tot, quot pater, moritur LXXI. 3. Non. Jan.

QUalis erat Neſtor lingua belloque Pelasgus,
Teutonius talis Dux JOACHIMUS erat.

Seu

Seu quid consiliis felicibus esset agendum,
Quæve foret forti res peragenda manu,
Consessuve Ducum loqueretur Cæsaris ore,
Consiliumque bonis jungeret ille suum,
Aut res discrimen pateretur publica summum,
Atque videretur jam ruitura malis,
Illius emicuit multum sapientia, multus
In rebus tantis eloquiique nitor.
Quantum præstaret belli præsignibus ausis
Pannoniis, norunt Turcica regna, jugis,
Urbibus ex Pelopis claraque Propontidis arce,
Austriacos fœde dum populantur agros.
Intrepidus sortem Princeps miseratus iniquam,
Impavidi cepit nobile Martis opus,
Cæsaris auspiciis equidem, jussuque Senatus,
Sed stimulos virtus dissimulata dabat.
Quæ licet & multos ornaret bellica Reges,
Hoc Duce Christiadum res tamen aucta fuit.
Occubuisse ferunt bis millia quina Getarum.
Teutonius mansit milite salvus eques.
Quæ laudata prius virtus à Cæsare Quinto,
Illius auspiciis præmia digna tulit,
Auratis phaleris, auratum calcar, & ensem.
Gloria quæ, Phœbo judice, summa fuit.
Inde triumphantis redeuntem Marchia curru
Accepit, longum jussit honore frui.
Postea tormentis concussit mœnia *Pesti*,
Et minime victor desidiosus erat.
Parce viro, livor, quicunque cupidine ductus
Injuste Marti detrahis omne decus.
Invideat Latius Germanis Regibus orto,
Qui scit Teutonio subdere colla jugo:

 Cui

Cui Mars in lingua pedibusque fugacibus omnis,
Nec fingat factis crimina falſa bonis.
Pace, *Jovi*, dicam veſtra, præſtantior armis
Alter in arctoa vix regione fuit.
Præſtitit hinc *Suevum* vel ſolo nomine tutum,
Dum terrent omnes fulmina Martis agros.
Non hoſtis patriis Hiſpanus viſus in oris,
Marte relegato pax ſtabilita fuit.
Majus ob id nullo caſurum tempore nomen,
Ac ſi conſperſus ſanguine plebis, habet.
Sic quamvis multum victricibus inclitus armis,
Pace tamen Princeps clarior inde fuit.
Os erat eloquii, mens rerum docta ſacrarum,
Multijuga plenum cognitione caput.
FUNCCIUS erudiit puerum juvenilibus annis,
Quo didicit recte verba latina loqui.
Cumque ſuprema foret librorum cura bonorum,
Parte tamen prima Biblia laudis erant.
Hinc cum feciſſet juvenem maturior ætas,
Lanugo tegeret conſpicienda genis,
A Patre deductus ſectatur Cæſaris aulam,
MAXIMUS hic ſceptris ÆMILIANUS erat.
Is neptem pactis ſpondet dotalibus illam,
Quæ prius ad tumulum, quam venit ad thalamum.
Toxica Colcha ſibi Capuanis dum metit agris,
Auſoniæ Circes dum Babylona colit,
Dum juvat Italici pecuaria viſere monſtri,
Atque Quirinali pulvere nata fovet.
Nigra venena placent peſtanis blanda frutetis,
Mellaque Lernifero Theſſala flore probat.
Divi *Lutheri* ſacrata volumina legit,
Elias noſtri temporis ille fuit,

Cu-

Cujus ab æthereo divina poëmata lauro
  Perpetuis foliis non moritura virent:
Quæ vivos ægris ſpirant animabus odores,
  Cœleſtique piis plena liquore ſcatent;
Pro ſtyge quæ cœlum, vitam pro morte miniſtrant,
  Nosque fide faciunt juſtificante novos.
Hos quoque, qui vendunt animas, Sybarisve ſalivam,
  Limitibus patriis juſſit abeſſe procul.
Pontificem, clerumque ſuum, raſosque relegat,
  Et quidquid monſtri mons Lateranus alit.
Munificis opibus ſacra Palladis atria doctæ,
  Qua vada Francorum ſunt ſita priſca, juvat.
Præmia conſtituens non inferiora Poëtis,
  Ac hic, qui Thuſco ſtemmate natus eques.
Nec fuit his terris quis munificentior illo,
  Quem ſic de ſtudiis demeruiſſe putes,
Sive Machaonias artes, ſeu ſidera noſſent,
  Aſtræas leges, aëriasve vices,
Qui ſic deſertas artes, exedria linguæ
  Reſpiceret ſumptu divite, mente pari.
Scilicet ignotas formas, viresque latentes
  Addiderat ſtudiis arte potente ſuis.
Et quod ſæpe pudet Reges, quos aula fatigat,
  Non puduit docti nomen habere Ducis.
Æmulus is poterat radio deſcribere mundum,
  Occultos animi vi penetrare polos.
Quicquid in hiſtoria Clio cum Tempore pinxit,
  Nemo, qui melius tale tenebat, erat.
Neſtora mollifluæ vincebat flumine linguæ
  Æmonios ſenſu præveniente ſophos.
Cor erat invictum quæcunque pericula ſano
  Pectore cum rigidis exſuperante minis.

Improba si qua duas traheret contentio partes,
Consiliisque bonis discutienda foret,
Hunc ut Atlantiadem proceres cum lege petebant,
Huic sua credebant jura, fidemque suam.
Dissidiis inter patruos atrocibus ortis,
Imperio quorum *Saxonis* ora tumet,
Principe Magnanimum Victore sub arma vocante,
Is velut ex cœlis arbiter æquus erat.
Milite cum premeret peregrino *Saxonis* agros
CAROLUS, imperio qui sua jura dabat,
Sanguine turgerent sylvæque viæque gementes,
Vincula captivus ferret & Albis aquis,
Ensifer intrepidus vitæ discrimen adiret,
Hoc placata fuit Cæsaris ira Duce.
Is servavit *Anhaldinos* cum Principe fines,
Ne fierent hosti præda petita suo.
Illius ad fortem, qua non munitior, Albim
Urbs experta graves obsidione manus.
ALBERTUM, cujus parebat *Francia* sceptris,
Auxiliis juvit consiliisque bonis.
Inter *Saxoniæ* proceres *Francos*que potentes
Arbiter, his auctor pacis utrisque fuit.
Ad *Salam* veteris renovavit fœdera pacti,
Fœdera, quæ Lanus, Suevus & Albis habent.
Luctificum *Danus* bellum *Suecus*que gerebant,
Per terras acie, classe furente fretis.
Et supra decimum vestigia rettulit annum,
Hujus ope in fœdus dum coiere manus.
Denique non alios tantum, se vincere norat,
Nec potuit virtus altior ire Ducis.
Testatur synodus Suevi, testatur & omnis
Accola suprema de pietate patris.

Te-

Teſtantur procerum Regumque ſynedria, magno
 Cæſare, conſilio de ſapiente Ducis.
Et quia de Turcis tot funera miſit ad orcum,
 Mars decus hoc luget deperiiſſe ſuum.
Ipſa Venus fundens gemitus fert oſcula ſaxo,
 Nomina ſub tumulo fletibus orta rigat.
Eſt & Callirhoe triſti redimita cupreſſo,
 Phœbus ad hanc tectus myrrhea ſerta gerit.
Cujus fulgebant Tyrio ſubtegmine veſtes,
 Ferrato cingit tempora fronde chorus.
Patria ſæpe gemens repetit funebria damna,
 Plebs dolet amiſſum nobilitate Ducem.
Ex ſacro demum comites Helicone patronum
 Lugubri plorant conditione ſuum.
Ipſemet accepit grandem per pectora luctum,
 Germani regni qui moderatur opes,
Seque putat multum meliori parte minutum,
 Pectore præluſtri deſtituente caput.
CAROLUS hunc unum Cæſar referebat amandum,
 Noverat eloquii quem penes eſſe decus.
Si quæ cauſa gravis ſenſu variante dabatur,
 Hic velut oraclum, Neſtor & alter erat.
Hoc ſine non poterat præclarum condere quidquam,
 Quæ micat in Regum ſedibus alta Themis.
Hunc FERDINANDUS patrem moriturus adeſſe
 Et monitis ſoboli conſiliisque jubet.
Arbiter imperii, MAXÆMILIANE *Secunde*,
 Auctorem rerum, quas tuearis, habes.
Regibus externis carus, tulit inde *Polono*
 Inſignes titulos contribuente novos.
Nec decus his annis habuit Germania majus,
 Cujus conſiliis plus daret illa bonis.

De-

Denique ſi recte memini præſagia Phœbi,
Nulla ferent talem Marchica regna Ducem.
Jam cinis, & tanto noſtro de Neſtore reſtat
Nil niſi virtutum gloria, grata bonis.

JOHANNES GEORGIUS, JOACHIMI filius, Marchio & Elector Brandenburgius VII. cognomento *Pater patriæ*, naſcitur anno MDXXV. hor. 1. pom. 4. Non. Septembr. regnare incipit feliciter anno LXXI.

JOHANNES Princeps dictusque GEORGIUS, ingens
Poſt patrem patriæ ſpesque ſalusque fuit.
Naſcitur, ut ſentit ferales *Francia* motus,
Agreſtes acie paſſa coire manus.
Funera luget adhuc mediis *Thuringia* campis,
Undique cultori facta cruenta ſuo.
Hinc Viadri docti claras eſt miſſus ad undas,
Qui fovet Heſperidum Pieridumque chorum,
Artibus omnigenis ſtudiisque referta juventus
Hoſpitio poterat non meliore frui.
Hic tulit inſignes titulos, quæ gloria ſemper
Non niſi præclaris accidit arte viris.
Gymnaſii geſſit clariſſima ſceptra, paterna
Rectius ut regeret tempore frena ſuo.
Willichio commendatus, vatique *Sabino*,
Qui fuit immenſum lumen uterque ſcholæ.
Hinc favet Aoniis, laudum quæ carmina portant,
Quæ non cum genio ſunt moritura ſuo.
Profuit & ſacris, qua perluit *Odera* valles:
Irruit *Albis* agris: flectit *Havelus* aquas.
Sceptrigeros tandem poſt patrem cepit honores,
Et ſperata diu ſpesque ſalusque fuit.
Heroum ſoboles vulgo quia noxa feruntur,
Exemplo docuit poſſe negare fidem.

Lip-

Lippoldo cæſo, Judæos cedere juſſit
Finibus, ac vultus pro gravitate fuit.
Raptores etiam patriis legavit ab oris,
Et ſibi felicem fecit ad aſtra viam.
Egregiis operis patriam, virtutibus auxit,
Viſa ſit ornatu Marchia fulta novo.
Splendida facta, prius ſylveſtribus horrida dumis,
Quæ caſa, nunc poſſit Principis eſſe domus.
Is Phœbi tectum, quod Muſica caſtra tuetur,
Reſtituit, reditus juſſit habere novos.
Quæ caret exemplis, grandem vim contulit auri,
Diſperſas *Viadri* quæ ſtabiliret opes.
Illius eſt ſumptu foſſis munita profundis
Arx, ubi ſe *Suevo* jungit *Havelus* aquis.
Ad *Viadrum* fecit firmæ novo mœnia *Wartæ*,
Quæ ſunt Neptuni vel grave Martis opus.
Attulit & celebres ornatus urbibus amplis,
Quas videas arces, fecit & ille novas.
Et quod habet titulis clariſſima Marchia culti,
Ne dubites tanti munus id eſſe Ducis.
Denique Parrhaſiis nemo magis inclitus oris,
Sinceræ curam relligionis agit.
Vive, *Pater patriæ*, tali ſub nomine felix,
Ut felix poſſis vivere, vive Deo.

De adventu in patriam Illuſtriſſimi Principis, Domini JOACHIMI FRIDERICI, JOHANNIS GEORGII Filii, Principis poſtulati Magdeburgenſis, Primatisque Germaniæ, &c. Marchionis Brandenburgii, Ducis Pruſſiæ, &c. Rugiæ Principis, Norinb. Burggravii, Domini ſui clementiſſimi.

ERgone vera fuit, quæ noſtras perculit aures,
Quæ Ducis adventum nuncia fama tulit?

Gratia ſit rerum genitori ſumma bonarum,
  Illa dies nobis omine viſa bono.
Exſpectata dies, toties totiesque petita,
  Speratum tandem ſuſtulit orta caput.
Nubila non ſemper convexa ſuperna reducunt,
  Candida poſt nubes tempora ſolis eunt.
Cernis ut in calathis decoratæ frondibus aræ,
  Jactatis paſſim ſparſaque templa roſis.
Craſſa dies refugit, cœlum ſine nube recedit,
  Hoc tuus adventus, Dux memorande, facit.
Compita lætiſono reſonantia ſingula plauſu,
  Lætitiæ ſtatuunt proſpera ſigna ſuæ.
En lætatur ovans merito, quæ jubila fundit,
  Et pia pro reditu patria vota facit.
Diffluat imbriferos clamat modo cura per Auſtros,
  Non fert mollifluos aura moleſta dies.
Fulgeat aulæis paries, pictisque tapetis,
  Atque pio multum ſtrideat igne merum.
Ipſæ Pierides etiam ſua plectra reſumunt,
  Carmine teſtantes gaudia plena ſuo.
At quibus excipiant numeris, & laudibus ornent,
  Nomine quo dignum te ſuper aſtra ferant?
Quæ tibi pro meritis grates, Dux inclite, pandant?
  Quod Muſis noſtris otia rara facis.
Non fit carminibus vatum tua gloria major,
  Non, quo poſſit, enim, creſcere majus, habet.
Nec vult illa meæ ſub inermi pectine chordæ,
  Carmine vult virtus nobiliore cani.
Quale vel *Haslobii*, cui præſtat Apollo vigorem,
  Quale vel Auguſti grande Maronis erat.
Aut ad Callirhoen pandit Perſeius Heros,
  Mæonio *Albinus* vel pede quale facit.

Me

Me tamen hoc pietas, & mens ſibi conſcia grati,
Officii cogit ducere penſa mei.
Salve, magnanimo Regum de ſanguine Princeps,
Quo vix majorem ſecula longa dabunt.
Num memorem proavos & avos, pulchrosque triumphos,
Sed non ex ſolo ſtemmate pendet honos.
Vidi præluſtri natum de ſanguine Regum,
Atque genus fœde commaculare ſuum.
Nomine tu, Princeps, proavos virtutis adæquas,
Marchiacos præſtas & gravitate viros.
O te felici patriæ ſub ſidere natum,
Quod ſpondet ſceptris fata ſecunda tuis.
Dux Pandioneus, quo res crevere Pelasgæ,
Socratico multum nomine lætus erat.
Jucundamque ſibi, puero quæ fulſerat, horam,
Plus quam congeſtas, eſſe ferebat, opes,
In qua Doctoris ſapientis, Apolline teſte,
Doctrinis poterat colloquioque frui.
Nec minus *Hubneri* clari doctrina celebris
Pectore ſub placido gaudia multa ſerit.
Teque ſub illuſtri magnis natalibus ortum
Stemmate, majorem mens bene docta facit.
Lactea vix primos infantia liquerat annos,
Cum noſſet Latio lingua tenore loqui,
Summus & ardor erat, generis ſub origine tanta,
Præſule quæ magno diſcere digna forent.
Hinc mox præpoſitus ſacris pietatis in arce,
Qua *Viadrus* ſpumat, ſerpit *Havelus* aquis.
Junior in tanto oſtendis molimine rerum,
Ætas quid mediis poſſit adulta foris.
Dum tibi commiſſos ornas cum mœnibus agros,
Quæ tua laus tangit ſolis utramque domum.

 Er-

Ergo SIGISMUNDO supremis Principe fatis
Functo, qui præsul Parthenopæus erat:
In sacro lætus patruo succedis honore,
Uno te postquam pectore vota petunt.
Et Nasica velut summis virtutibus alter,
Dictus es in patriis optimus esse focis.
Ausonia mediis sua castra locarat in agris,
Qui Latii generis punicus hostis erat.
Isthinc nec poterat bellisve minisve fugari,
Res tacitis libris donec aperta fuit:
Non hostem pulsum Romanis arcibus iri,
Ni Cybele picto cum Corybante foret.
Urbs ubi secludit septem munimine montes,
Et Troja stirpem principiumque trahit,
Quo portanda Phrygum de turribus esset ab illo,
Qui merito patriis optimus esset agris.
Sic decretus honor summus, referente Senàtu,
Nasicæ, cui vix barba resecta genis.
Qui matrem Phrygiam Cretæa transtulit Ida,
Illa Palatinis est ubi culta jugis.
Sic patriam mœstus tandem revocatus ad urbem,
Annibal, Italiæ liberat arva metu.
Sed quantum lunæ radianti lumine Phœbus
Præstat, Dux tantum præstat honore Ducem.
Is Latio, cum Teutonio tu sanguine natus,
Quo magis est alius non pietatis amans.
In lapides & saxa fere, Sybarisque salivam,
Cum rasis ea gens relligiosa fuit.
Tu renuens Paphio Tarpæi basia scorti,
Æthereo recolis Numina vera tholo.
Et Lateranenses vomitus, salesque relegas
Ad Trojæ natum sub Phlegetonte genus.

Prin-

Principis exemplo veſtigia clara ſecuti,
Sint ſtygio proceres Dyndima veſtra loco.
Durius occumbit non una morte necatus,
Sed gravius nihil eſt, quam ſine fine mori.
Poſthabitis Phrygiis hoc verſas cordis in arce,
Dum patria Princeps gaudia carpis humo.
Hinc magnos inter ſemper numerandus Atlantes,
Qui Tibrim rigidis ſuſtinuere minis.
Proque Palatino monſtro, fulgetra vomente,
Templa Palæſtino vis tua ſacra Deo.
Hoc uno quantum laudis tibi nomine ſurgit?
Hoc, mihi crede, potes proximus eſſe Deo.
Hinc merito tantis gratantur honoribus urbes,
Virgine quæ clarum nomen & arce tenent.
Et quod amandus eris, te lux excepit amandi,
Quodque tuos redames, fulcit amator opes.
Cetera quis memoret vaſtum cantata per orbem?
Principe te vires pax ſtabilita capit.
Mille modis aliis armata potentia præſtat,
At tibi quo poſſis condere pacis opes.
Qua pietas vires, legumque verenda poteſtas,
Sumit, & Aonii gloria noſtra chori.
Cumque ſatis metui poſſis, in amando quieſcis,
Orbis delicii ſic bene nomen habes.
Hinc ſicut regnum placide ſine cæde gubernas,
Sic tibi cunctorum pectora vincta tenes.
Sic amor, haud ferrum, florentes ſuſtinet aulas,
Vis ſemper ſceptris exitioſa fuit.
Eſto, quod ferrum Regem defendat & armet,
Sed tamen hoc melius præſtat amore fides.
Quid, quod Palladium regali munere ditas,
Artibus hoſpitium Pieriiſque feras.

Odera dulciſonis ubi præterlabitur undis
Mœnia, qua Francis nomen adepta jacent.
Quæ tua laus ſuperat Reges, Regumque trophæa,
Hoc uno ſimilis crederis eſſe Deo.
Nempe vides, quantis preſſæ ſint cladibus artes,
Quam pereant, omni deſtituantur ope.
Quod major nullis, quod nunc contemptus ab annis,
Nec ſtudii ſacri tanta ruina fuit.
Quod virtus inculta pigro jacet obruta cœno,
Nequitiæ claſſes vela ſecunda ferunt.
Quod ſordent Muſæ, virtuti fama maligna,
Nullus adeſt, qui det munera, nullus adeſt.
Hinc, JOACHIME, tuam tangit miſeratio mentem,
Hæc mala, quaque potes parte levare, levas.
Exemplo producis avi cum carmine plectrum,
Ingenuos homines ingenioſus amas.
Munera conſtituis ſtudiis, das ampla poëtis,
Limine non triſtes paſſus abire tuo.
Quis curam referat mihi pro pietate paternam?
Noctes atque dies quam patris inſtar habes.
Et quod adhuc pietas, leges, cultæque Camœnæ,
Hoc eſt virtutis juſtitiæque tuæ.
Macte tua virtute, decus præluſtre, paterna
Magnus es, at cœlis gloria major erit.
Ulterius ſerva, nec te modo ſubtrahe nobis,
Ulterius præſes nominis eſto ſacri.
Poſt ſuperos duce te rupes Parnaſſia ſalva:
Hoc amor, hoc animi vis generoſa facit.
Vive diu nobis, te patria ſoſpite creſcat,
Hac firma ſplendor creſcat honorque tuus.
Certius impendet rerum mutatio triſtis,
Quam fuerat folium, docta Sibylla, tuum.

Nam

Nam portenta monent offenſi Numinis iram,
Et prodit motu terra futura ſuo.
Prætereo nunquam ſpectatum impune cometen,
Prodigiis nullus caſſus in orbe locus.
Vive diu: nihil Heroo ſtat Principe majus,
Quod tamen eſt, magni numeris omne Dei eſt.

De JOHANNE SIGISMUNDO, JOACHIMI FRIDERICI Filio, Marchione Brandenburgio, Duce Pruſſiæ, &c. Burggravio Norinbergenſi, Principe Magdeburg. deſignato, qui naſcitur ao. MDLXXII. 6. Id. Novembr. 7. hora pomerid. felici auſpicio.

EXoptata refers magnorum nomina Regum,
Nomina quique refers, omina & illa geris.
Quanta SIGISMUNDI gravitas, clementia, virtus,
Marchio qui præſul Parthenopæus erat:
Barbaries monſtri Latii quo vindice pulſa,
Relligio victrix læta trophæa tulit.
Quanta fuit quoque JOHANNIS prudentia, *Wartæ*
Mœnia qui fluvio firma ſuperpoſuit.
Ut terror Regum tellus, quos Teutona jactat,
Et qui Sarmatiæ ſceptra, *Polone*, geris:
Gloria tanta tibi ſurgit pernicibus alis,
Ut ſit magna ſatis, tempore major erit.

Ad Generoſum & inclitum Baronem, Dominum GEORGIUM ANDREAM à PUCHEIM, *Dominum in Gollersdorff*, &c. Dominum ſuum benigniſſimum, de φαινομένῳ ignito in aëre, triſtique impreſſione Meteorologica per omnem Horizontem, 4. Id. Septembr. anno MDLXXX.

SCire ſuprema ſuæ curſum ſapientia vitæ eſt,
Ne poſſit ſortis non memor eſſe ſuæ.
Is bene felicis traducit temporis ævum,
Qui mala declinat, commoda ferre poteſt.

Vix

Vix locus ex centro radiantia ſidera ſpectat,
Qui bona cum fructu proſperiora tulit:
Quam quibus eſt pridem Germania noſtra beata,
Sed labor eſt æqua talia mente pati:
In pejora ruit fato natura ſiniſtro,
Labitur, & lapſus non modus ullus erit.
Donec rapta, velut ſævis Aquilonibus ortis,
Mole repentina, præcipitata ruat.
Sed quam triſte cadit rebus ſentire ſecundis,
Quæ mala per noſtrum ſunt valitura caput.
Craſſa nimis craſſo ſub pectore corda fovemus,
Saltem vicinis ingenioſa malis.
Sæpius opprimimur, quam cauſas ante videmus,
Atque prius morimur nos rapiente rogo.
Scilicet in propriam ſemper mens prona ruinam,
Et nimium leva ſtulta ſalute tumet.
Nec minus atque ſilex, aut quæ Marpeſia cautes
Mota, perit caſu contumulanda ſuo.
Dum non juſtitiam, non Divum curat honores,
Nec rigidas Arcto præpediente minas.
Expergiſce tuis tandem te, patria, fatis,
Et pœnis ſtudeas cautior eſſe tuis.
Plurima ſupremam proſtant minitata ruinam,
Hæc tu ne vacuo vana timore putes.
Ao. 1580. Vidimus ignivomo cœlum diſcedere hiatu,
Omine lugubres aſperiore faces.
Non axem ſolum late terrere trionum,
Omnia ſunt faciem viſa tenere necis.
Qua Phœbus radiis ferit alta cacumina primis,
Luciferoque vocat præveniunte diem.
Occiduusque premit Tarteſſia littora, luce
Completa fuſcis dum juga ſolvit equis.

Qua

Qua rigidus Boreas erumpit, & humidus Auſter,
Spirat ab Eoo ſucciduoque jubar.
Dum ſeram facerent obſcura crepuſcula noctem,
Æmula ſub tremulis ignibus orta dies.
Qui mox fervebant triſti pallore coruſci,
Mox longe rubri ſanguinis inſtar erant.
Sulfureis quales ruptis fornacibus alta
Inter Cyclopes ejicit Ætna ſuos.
Muſa mihi memora cauſas eventibus ipſis,
Sæpe ſolent pœnas talia facta ſequi.
Sic ego: cum Clio, comitum quæ prima ſororum,
Ferrato vultus incipit ore loqui:
Vidimus hos ignes, clarii cupidiſſime fontis,
Veſtra quibus tellus eſt peritura brevi.
Nec natura facit quidquam furialibus auſis,
Quod non ex cauſis & ratione facit.
Nec fruſtra vanis excanduit ignibus æther,
Aut impune faces enituere novæ,
Flammarumve globis altus diſcurrit olympus,
Prodroma ſunt certi talia ſigna mali.
Namque quod ore gravis funeſto palluit aër,
Accidit, ut foliis, quæ fera læſit hiems.
Talis pallor erit, cum diruit ardor edendi,
Jejuna ventres exſtimulante fame.
Qui velut ignis edax, tantoque voracius ardet,
Copia quo major præbita, plura rapit.
Infecto tractu cœleſti, lethifer annus
Atque venenatis ſordibus atra lues,
Ignis ut aſtra cremat, pallentum corpus aduret,
Subjiciet ſtimulis mœnia vaſta ſuis,
Palloremque genis faciet, maduere profuſis
Rupta, cum lacrimis, exululante coma.

 Vix

Vix squallore Charon sævus, qui corpora cymba
Subvectat, poterit funera ferre rati.
1564. Sic dedit ad Rhenum ferali funere stragem,
Luctificum spargens spicula nigra malum.
1093. Si prius Europam sævæ contagia pestis
Turbarunt, homini tristia mille modis.
1098. Talis & in multis aër corruptus, & humor,
Et vapor attractus febris origo fuit.
Sed quod sanguineos prætendit imagine vultus,
Dici quam possunt, sunt graviora chely.
Limen ad adversum pandent certamina Martis,
Atque Gigantea bella gerenda manu.
Nempe quibus pestis ventrisque vorago pepercit,
Ut pereant belli Marte furente manu.
Advenient Turcæ, positique sub axe Tomitæ,
Euxinus Rhenum sub sua vincla trahet.
Jamque novo totos impleri milite campos,
Et Pelagus video classibus omne tegi.
Cerno viros captos, captivas cerno maritas,
De gremio matrum pignora chara trahi.
Adde quod his Albim spumantem sanguine specto,
Undat quo magni post pia fata Ducis.
In mala scindentur stultæ contraria mentes,
Spirabit lethum plebs moritura suum.
1529. Sic Thrax obsedit pugnis immanibus urbem,
Quæ sita præluſtri turre *Vienna* jacet.
1536. Dives & Illyricis ubi jungitur *Austria* terris,
Funera prostrata plurima pace dedit.
1536. Sic quoque turbatur civilibus *Anglia* turmis,
HENRICO sceptrum Rege tenente, potens.
1560. *Gallia* sic nuper, FRANCISCO Rege perempto,
Exitiosa sibi seditione fuit.

Sic

Sic *Moſchus* ſylvis ſævoque Boryſthene vectus *1560.*
Signa *Polonorum* terruit hoſte novo.
Sic inter *Danos*, *Suecos*que recruduit ingens *1560.*
Mars, acie terris, claſſe furente mari.
Sed quod per latum ſerpunt incendia cœlum,
Pertinet ad luctus, Teutona terra, tuos.
Vix locus unus erit, quem non mala tanta faceſſent,
Quem non bella, fames, peſtis acerba premet.
Triſtior illa tamen lacrimoſo funere multum
Lugebit magni fata ſuprema Ducis.
Sic apud æquoreos *Anglos* Regina repenti *1536.*
Opprimitur, nullo præpediente, rogo.
Sic *Paulus* vivis concedit nomine flamen *1548.*
Tertius, ac alius Pontificale gerit.
Forſan & hanc orbis poſſet tolerare ruinam,
Si jactura Dei non facienda foret.
Nam Muſis Clariis ad vilia lumina pulſis,
Barbaries cathedris eſt nocitura piis.
Non erit artis honor, ſubſidet ſpreta Poëſis,
Regnabunt Lycio pernicioſa choro.
Sentiet inprimis probitas diſpendia crebra,
Et quibus eſt curæ relligionis honor.
Pectus & inſpirat mentemque, canitque futura
Spiritus æthereis ſedibus ille Dei.
Præpetibusque ſtudent pennis ſe credere cœlo,
Numinis adflatu proximiore ſacri.
Hos Trojana Phrygumque levis fortuna ſequetur,
Errabunt animis ob mala fata ſuis.
Defunctique licet magnis multisque procellis,
Attamen & terris hos graviora manent.
Lumine defecto pietas condetur ab umbra,
Et quo conſpicias, omnia noctis erunt.

Obſcuris illic quærent ſub vallibus umbræ
Doctrinæ lucem juſtificante fide:
Et quia non liceat telluris operta ſubire,
Non niſi divina mente notante viam,
Forte volent facibus tenebras obvertere noctis,
Humana mentis ſub ratione ſuæ.
Quæ quæſita volens ſequitur, facilisque repertu,
Extabit magni cauſa, caputque mali.
Hæc inter doctos incendia craſſa movebit,
Fax erit, hic mundus qua periturus erit.
Luſtra peracta quater, faciem cœli ſub eadem
Nocte parem quando ſeptimus imber habet.
1560. Mox fera bella facit divinis *Gallia* rebus,
1560. Ob ſacra diſſidiis *Albis* & *Ilmus* agunt.
Bella feret linguæ Lernææ gurgite *Mœnus*,
Qua ſonat *Helvetiis* mox Aſinina jugis.
Et furialis Eris, junctim feralis Enyo,
Toxica miſcebunt Theſſala fraude nova.
Utque ſuis arvis concordia cœpta, ſtudebunt,
Exulet, ingentis nomen opusque Ducis:
Exulet & candor, virtus, prolesque beata,
Et tandem cœlis exulet ipſe Deus.
Vadentes vates æquabit paſſibus æquis
Per Ditis populus cum ratione domos.
Forte quod his obſtat, duro convellere ferro
Improba Mars, Fato damna vocante, volet.
In ſua graſſantem cernes ſic viſcera mundum,
Quam prius igne ſuo corruiturus erit.
Corpora ſcrutari tandem fatalia ceſſo,
Cum mala non finem ſint habitura ſuum.
At tu pone metus, ſic digladiantibus armis
Aonii fuerit portus & aura chori,

No-

Nobilis illuſtri de ſtirpe GEORGIUS, alta
Indole, ſuprema nobilitate *Baro.*
Illius adnixu res ſtabit publica lapſa,
Et verſu vivet tempus in omne tuo.
Hæc Clio: *Generoſe Baro*, præſagia Muſæ
Non ſint luminibus vilia ducta tuis.
Et quam concepit verbis ſolantibus, illam
Expleat affectus ſpem ratione tuus.
Sic tua mandabit manſuris nomina libris,
Sic meritus nunquam commoriturus honor.
Sic quæ portendunt demum ſub ſidere ſigna
Vitabis, patrii luxque decusque ſoli.

LIBER QUARTUS.

GUILHELMUS ZUICHEMUS Tig. de Olore **NICOLAI LEUTHINGERI,** Viri optimi & clariſſimi.

PRoducit plures claros fœcundus olores
Marchiacis *Suevus* nobilitatis agris,
Qui dulces præſtant Phœbæo carmine cantus,
Quales vix reliquus Muſicus ordo capit.
His quoque voce ſuos ſuavi concentibus addit
Cantus, dum præſtat carmine, noſter Olor.
Neve ſit inferior reliquis, quos gignit olores,
Et fluat æquoreis gratia vocis aquis.
Eſt aliis claros undis miratus olores,
Auſus & illorum pellere fonte ſitim.
Sic ſpatiis haurit diverſis Leucoris undas,
Sic ſitiens guſtat pectore, Miſa, tuas.
Umbris pampineis redimitus & *Odera* quercu
Excipit, imponens ſplendida ſerta comis.
Non renuit flavas merces qui volvit Eliſter,
Aonii clarus fertilitate chori.

Ilmo ſic hoſpes *Salanis* pocula Muſis
Qui dat: & ex alio flumine potus abit.
Advolat hinc tandem noſtras ornatus ad oras,
Urbem qua *Rhenus* perluit amne ſuo.
Quem cum vidiſſet Phœbus guſtare liquores:
Hic fœcundus erit tempore, dixit, Olor.

Baſileæ.

Reverendiſſimo Patri ac Domino, Domino PETRO, *Monaſterii* liberi, veteris, Cæſarei, *Bergenſis* ad Albim apud Magdeburgum, *Abbati* clariſſimo, Lutherano &c. Domino ſuo clementi.

SI te cura trahit memor clientis
Ad menſam nitidam tuam vocati
Quondam *Leuthigeri* fidelioris,
Noſtros hendecaſyllabos minutos
Clemens accipies favente fronte,
Abba PETRE, meis colende Muſis.
Quem ſacris voluit Deus præeſſe,
Quem commendat in ore ſingularis
Dicendi nitor, elegante lingua.
Quem commendat apud Viros celebres
Virtus, nobilitas, Deique cultus:
Et quid pro meritis tuis, *Patrone*,
Præter verſiculos tibi remittam,
Non pingues ſale candido leporum,
Sed faſtidia quæ ſubinde gignunt.
Quid præter numeros ferat Camœna?
At tu, *ſancte Pater*, favore clarus,
Et multum celebris benignitate,
Inſignis pietate prædicata,
Hunc ne deſpicias meum laborem,
Quem dono tibi ſub novo libello,

Me totum tibi conſecrans per illum.
Sic cum conjuge nobili & pudica,
Sic cum pignoribus thori ſuperſtes
Sis felix ſine nubilis querelis,
Et portet tibi Muſa pleniores
Qui laudum fuerint libros tuarum,
Abba PETRE, meis colende Muſis.

Clement. T.

Addictiſſ.
M. Nicolaus Leuthingerus.

Magnifico & clariſſimo Viro, LEONHARDO TORNHEUSERO, illuſtriſſimi & potentiſſimi Principis Electoris, Marchionis Brand. Domini JOHANNIS GEORGII, &c. Ducis Pruſſiæ, &c. *Medico,* Domino ſuo benigniſſimo.

INgens nobilium decus Virorum,
Magni ſceptrigeri Ducis medela,
Quem cœlum veneratur, aſtra laudant,
Horti ſuſpiciunt thymis refertis,
Impendentia fata quem verentur,
Et vatem memorant ſuum ſacratum.
Unum præſidium novem ſororum,
TORNHEUSERE, mihi colende ſemper,
Noſtris hendecaſyllabis minutis,
Quos non cum ſalibus lepor venuſtus,
Aut litura coërcuit polita,
Aſpectu faveas ſereniore:
Cura nempe gravatus acriore,
Multis implicitus negotiisque
Dum me ſollicito dolore mentis.
Imo pectore cogitata prenſant,
Quæ ſortem referant benigniorem;

At

At tu, cura Ducum, favorque Regum,
Artis Pæoniæ decus ſupremum,
Quem ſic Muſicus ordo laudat ore,
Ut palmam videaris aſſecutus
Inter tot patrii ſoli patronos,
Vel hunc accipias meum libellum,
Qui laudare ſoles bonos labores,
Et volvas facie benigniore.
Sic vivas titulo potentiore,
Læterisque tua beatitate.
Sic me confiteor tuum futurum,
Dum ſtant alta Lycea ſacra Muſis,
Hic ubi Leucorides colit juventus.
Et te perpetuum meum patronum
Unum voce ſonantiore dicam,
TORNHEUSERE, mihi colende ſemper.

T. Magnif.

Addictiſſ.
Nicolaus Leuthinger. M.
Landsberg.

Ad Liberatorem & Servatorem mundi de Vere.

VEris adeſt ſplendor, nitidiſſimus incipit annus,
Et propius nobis lumine Phœbus adeſt.
Ingrediturque ducem pecoris, qui perdidit Hellen,
Qua pontus nomen fertur habere ſuum.
Inducit radiis calidum propioribus æſtum,
Expellit triſti frigora dura lare.
Æquatur luci denſiſſima noctis imago,
Redditur hinc rebus, qui fuit ante, vigor.
Arbor odoriferos geſtit producere fructus,
Dum reparat viduum frondea tecta nemus.

Qui

Qui deformis erat totus, nunc incipit annus
Eſſe novus, ſecum cuncta novanda trahit.
Fili Chriſte Dei, qui noſtra redemptio verna,
Mentibus o adſis lumine, Phœbe, tuo.
In noſtrum venias pectus, tibi jure dicatum,
Nomine turba ſumus ſanctificata tuo.
Juſtitiæ Phœbus, lumen de lumine verum;
Mortua vivifica lumine corda tuo.
Redde tuis animam, rigidæ vim deſtrue mortis,
Nam ſine te nigra mortis imago ſumus.
Auge lætitiam, vivum reparando vigorem,
Qui pridem læſus fraude Draconis erat,
Qui recolis vitam lætus ſuper omnia victor,
Et tecum vitæ gaudia verna trahis.
Ergo tuam ſolus revocaſti ad lumina maſſam,
Solus ut hoc vitæ perfrueerere bono.
Abſit, ut in mentem veniant mihi talia triſtem,
Vita mihi Domino, te redeunte, redit.
Vite coit palmes, palmes ſic pendeo vite,
Palmes ego, vitis tu, mihi vita fides.
Frigus abit, Flatusque movet præcordia ſanctus,
E cœlis ignes excitat aura ſacros.
O victor, Regum Rex, o Deus optime noſter,
Quam vellem meritis dicere grata tuis.
Verum quantus amor faciendi prompta, relictum
Sic nihil in cunctis viribus eſſe vides.
Sed qui parvus eras terris, & parva probabas,
Hæc quoque parva ſines eſſe probata tibi.
Hinc modo lætor ego, vivo ſub pectore læto,
Quid triſtetur enim, qui bona tanta tulit?
Ver erit extra annos, ſuper omnia climata mundi,
Quo vernant animæ, gaudia verna virent.

Ver erit æternum, quod qui ſperaverit, illinc
Virbius æterni gaudia veris habet.
Hoc ſpero: pura ſic mente placentia dicam,
Integer & niveus carmina grata canam.

Gratiarum actio pro paſſione & morte Domini & Dei noſtri Jeſu Chriſti.

QUas tibi, quas grates dicam, ter maxime Jeſu,
Qui pro peccatis fers mala tanta meis.
Quod ſi vim tantam thromborum fundere poſſem,
Quam late Viadrus gurgite volvit aquas.
Lingua cadat meriti mea pondere victa neceſſe,
Dum pateris noſtro non toleranda Deo.
Larvatus valeam ter ſuffers mille labores,
Ut modo ſanus ego, vulnera mille capis.
In mundo ſervis, mortalis ut aſtra gubernet,
Participesque tuo nos in honore feras.
Exilio triſti balatronem morte peremptum
Ut reducem patria contueare ſua,
Æger in adverſæ jactaris turbine vitæ,
Floreat & valeat mens ſine fine mea.
Ut tenebris arreptitius jam mortuus altis
Sanguine ſit victor vivificante tuo.
Quas tibi, quas grates, Jeſu dulciſſime, reddam,
Qui pro me portas tale doloris onus.
Callemus nimium calloſo pectore ſaxa,
Corda feris ſaxis aſperiora rigent.
At, bone Chriſte, fave nævos culpamque profeſſis:
Vincimur in meriti nam gravitate tui.
Non tibi nempe doles, qui judex crimina plectis,
En ego, qui cladis cauſa caputque fui.
Nec pateris tibi: promeruit mea noxia culpæ,
Æternæ pœnæ qua reus omnis homo.

Nec moreris, quod ſic poſcebant ultima fata,
Quodve ſcelus quodvis turpiter auſus eras.
Me propter, propter moribundum corpus obibas,
Ut ſit vita tua morte redemta mea:
Mortuus amiſſas redeam redivivus in auras,
Aſpiciant oculi quem petiere diem.
Hinc tibi laus & honor, tibi gloria maxima ſurgit,
Jam quoque ſum regni portio parva tui.
Jam tuus in vita, medio ſum funere, Chriſte,
Vivo ſeu morior, tu mea certa ſalus.

Meditatio vulnerum & mortis Liberatoris noſtri in agone.

CHriſte, Dei Fili, plures quam mille labores,
Ut ſecurus agam, non grave ferre fuit.
Bis centum, duo, ſexaginta millia quinque
Pro nævis paſſus vulnera fœda meis.
Seu major numerus, numerus mihi lætior ille,
Ut quæ me propter vulnera paſſa ſcio.
Sed quia peccator, mihi deprecor, optime Jeſu,
Parce meis culpis & miſerere mei.
Pro me mœſta petis triſtem per vulnera mortem,
Ne mihi ſit ſemper, Chriſte, neceſſe mori.
Ut ſim mundus ego, rorant in ſanguine venæ,
Vulnere ſic liber, ſanguine mundus ego.
Unica gutta tui potuiſſet ſanguinis eſſe
O nævis mundi totius eſſe ſatis.
Hinc ſed conſtat amor tuus & fraterna voluntas,
Qua mea cum nævis erigo corda meis.
O bonitatis amor, quo nos complecteris omnes,
Scilicet hinc nomen de bonitate trahis.
Me tua ſolantur ſupremo funera fato.
Mors tua me rurſum vivere viva facit.

Vulnera adipſa ſitim ſedant ſub mole dolorum,
Ad patrem gemitus gaudia firma ferunt.
Non motus Adamas animi curasve propellit,
Eſt Adamas unus paſſio ſola tua.
Cede dolor, quid enim timeam mihi triſte ſub umbra,
Quam roſeo præſtas ſanguine, Chriſte, tuo.
Blattea ſceptra tenes multis obnoxia ſannis,
Sanguineas ſpinas per fera flagra geris.
Lumina quo vertis, convitia dira ſequuntur,
Si peream, fruſtra tot mala paſſus eris.
Sed me commendas patri moriturus in altis,
Hinc curæ certo me reor eſſe tibi.
At terret ſummi patris implacabilis ira,
Æternam nobis ira minata necem.
Propter me cœpit, propter te deſiit ira,
Hinc pater ille mihi, qui prius hoſtis erat.
Hinc algus cedat: nam propter funera nati
Me recipit natum, crimina cuncta tegit.
Nunc Satanæ biblus taceat, ſolatia certa
Vel medio fuerint hæc in agone mihi.
Hinc æger melius conſperſus ſanguine vivam,
Nec moriar, laudes ſed tibi, Chriſte, canam.
Seu vivam moriarve: tamen morior tibi ſoli,
Vivo tibi ſoli: ſuſcipe, Chriſte, tuum.

Redemtor mundi crucifixus ad hominem.

ASpice plaſma meum, quod ligni flebile mole
Pendet, & ingentis pignus amoris habe.
En expando manum laceram, complectar utraque,
Pendet aperta bonis, quæ libet, illa cape.
Se caput inclinat, blande tibi nutat ocellus,
Oraque ſciſſa genis oſcula ferre volunt.

Pe-

Pectus amore calet, dum grandi vulnere opertum,
Ut te ſub cordis viſcera cara premat.
Extendo roſeo corpus quod ſanguine rorat,
Sum mundaturus, quæ nigra multa foves.
Ecce tui tanto perfoſſus vulnere cauſa,
Corpore quo ſanem vulnera cuncta tuo.
Utque ſacer flatus, tegmen te veſtiat agni,
Arida vix tenues circuit oſſa cutis.
Denique dum morior, vitam tibi vendico morte,
Dum tenebroſa peto, cœlica regna paro.
O ingrate nimis, propter te talia fiunt,
Quæ mihi pro meritis præmia, munde, refers.
Quisquis es, ut mecum teneas per funera vitam,
Pectoribus condas altius iſta tuis.

Potus Filii Dei in cruce pendentis.

ISacidum Salomon, cum regna teneret opima,
Damnatis ſtatuit fortia vina darent.
Nempe rei mortis caperent oblivia mentem,
Non tam mors triſtis, quam metus eſſe ſolet.
Talia latro capit, merito qui pendit, uterque,
Miſta venenato pocula felle Deus.
In mundo melior ſemper fortuna malorum,
Sed tamen in cœlis portio digna venit.
Et dolor eſt noſter miſtus graviore dolore,
Atque crucem ferme crux cumulare ſolet.
Donec mors celerat ſupremam funeris horam,
Quæ finem ſtatuit, quæ valuere malis.
At tunc per mortem cœleſtia regna ſubimus,
Et ferimus quæ non gaudia ſperat homo.
O utinam tandem ſperatum Lucifer ortum
Maturet, roſeam qui vehat axe diem.

Funus Filii Dei, pro peccatis generis humani mortui.

DUm moritur Chriſtus, lucem ſol detrahit orbi,
Nox claram tenebris ſupprimit atra diem.
Aſtra dolent, luctu velut exanimata profundo,
Oſtendunt luctum ſidera cuncta gravem.
Diſcedit cœlum mœſtum nigrantibus alis,
Mœſtitiæque ſuæ neſcit habere modum.
Scinditur in varias rupes Marpeſia partes,
Ac jam jam motu ſit ruitura ſuo.
Scinduntur petræ, montes rumpuntur & urbes,
Mortua de tumulis exit & umbra ſuis.
Terra boat ſonitum grandem, natura gemiſcit,
Occupat in multis ſedibus arva tremor.
Gentes exclamant miracula tanta videntes:
Væh nobis! vere Filius ille Dei.
Solus Abrahami natus de ſemine verpes,
Ad nati vultus exſpuit ora Dei.
Quanta ſit hinc hujus populi maledictio, lector
Sæpe recorderis, qui pius eſſe voles.

Concio funebris Domini & Dei noſtri Jeſu Chriſti, Filii Dei & hominis.

IN cruce cum Chriſtus moreretur funere triſti,
Ut gens Chriſtiadum morte ſoluta foret,
Exequias nemo ducit, nec juſta celebrat
Ex populo, voluit qui tamen eſſe Dei.
Centurio Latia ſolum de ſtirpe parentat,
Et Servatori nænia vera canit:
Vere juſtus homo fuit, extra criminis iram,
Chriſtus & æterno de genitore ſatus.

Tranſeundum eſt.

QUisquis es, ut premeris correptus mole dolorum,
Nec tibi graſſantis meta doloris eat,

Suc-

Succiduo Christi geminato poplite vocem:
O pater, est ne potis, transeat iste calix.
Si tibi conducit, faciles tibi depluet auras,
Si non, quod pateris, mitius illud erit.
Transeat ille prius, qui sperat cœlica regna,
Quod si non transit, nec bona tanta feret.
Sed duce nos Christo recte transibimus uno,
Ille viam novit, transiit ille prius.

Stipes crucis Christi mirabiliter servatus & inventus.

ISaidi cedrum mittebat ab Hermone multam,
Qui Tyrias Rector pace regebat opes:
Structuro templum regnique palatia sacri,
Qualia non alibi conspicienda forent.
Ardua cedrus erat, molem superaret ut omnem,
Quo ponenda tamen semper inepta loco.
Hanc jubet esse trabem David, qui ducat euntes
Trans Kidron, ripas si superaret aquis.
Hanc supra raptim Solyma properabat ab urbe,
Cum fugeret nati sceptra nefanda sui.
Passurumque typo Regem monstrabat acerbo,
Qui Goliath dirum sterneret, orce, tuum.
Cum vero Solymam miles vastabat & ignis,
Et modo quo ferres lumina, terror erat:
Hæc quoque mota loco cedrus, quo scilicet error
Hanc forsan traxit vel violenta manus.
Sic isthinc jacuit multis ignobilis annis,
Dum natus patri victima grata foret.
Hic inter turbas populi fœdosque tumultus
Est inventa, crucem quæ tibi, Christe, daret.
Sic ligno vili Rector suspensus olympi,
Cedro in odorifera victima grata fuit.

Ex-

Exſtructum templum poſt tempora multa ſuperbum,
Sic Helena fieri præcipiente ſuis.
Hic cuſtoditum Chriſti cum ſanguine lignum,
Ac habitum magno ſemper honore fuit.
Annis poſt aliquot rapuit cum milite Partho,
Ac tenuit ſpolium vindice Perſa manu;
Hoc donec rurſum validis Heraclius armis
Reſtituit Romæ Chriſticolisque novæ.
Qui gemmis habuit, fulvo pretioſius auro,
Dum Mahomet nomen perdidit omne crucis.
Res abjecta prius, ſed non poſt charior ulla,
Vilia ſic fieri tempore magna ſolent.

De lignis crucis Redemtoris noſtri.

Ligna crucis palmes, cupreſſus, cedrus, oliva,
Corporis his Chriſti triſte pependit onus.
Res tenuis: nobis myſteria magna notantur,
Qui noſtri volumus nomen habere Dei.
Aſſerit in Chriſto qualis patientia palmes:
Quo magis hic premitur, ſurgit hic inde magis.
Cupreſſus ferale refert mortalibus ævum,
Quod ſit ſupremæ mortis eunda via.
At cedrus tumulo ſurgentia corpora pingit,
Nam corruptibilis non bona cedrus erat.
Fert demum ſignum quoque pacis oliva triumphum,
Victrici ſtatuit læta trophæa manu.
Qui Chriſtum ſequeris, Chriſti crucis accipe vocem,
Hæc ſolamen erit, cum graviora feres.
Si vis cum Chriſto cœleſtia regna tenere,
Nec tibi poſt Chriſtum ſit grave ferre crucem:
Nec guſtare voles ſub læto nectar olympo,
Ni ſint felle prius tincta cadiva gravi.

Hinc

Hinc Betulla premit forſan, timor intus, & extra,
Aurea crux omni conſpicienda loco.
Sisque pius, tamen hoc jactaris turbine fati,
Hic debes hujus commeminiſſe crucis,
Et caſus omnes patienter ferre modeſtus,
Namque malis parvis commoda magna latent.
Scilicet ardentes aurum purgatur ad ignes,
Sub cruce ſic pietas vera probanda venit.
Exploranda venit ſimili conſtantia lege,
Per mala multa fides experienda Deo.
Ut fueris conſtans, tibi laus cœleſtibus alis
Surget, & ex duris gloria major erit.
Ut palmes preſſus majus quoque robur habebis,
Et contra nitens prævaluiſſe voles.
Palmitis hinc inſtar, qui circum conſitus undas,
Florebis, fructus & ſine fine feres;
Cupreſſoque licet carioſa corona gerenda,
Guſtandum myrtho quidve ſaporis erit.
Sis bonus, exemplum ſub imagine concipe Chriſti,
Paſſio juſta, Deo paſſio grata, tua.
Vulnera ſanabit, qui mortis vulnera paſſus,
Si morceris, tibi mors vita perennis erit.
Per mortem Chriſti mortis ſublata poteſtas,
Nec Satanas quidquam, nec caro noſtra poteſt.
Hinc etenim triduum jacuit præcluſus in urna,
Scilicet ut tua mors morte redempta foret.
Quique jaces letho vacuas dilapſus in auras,
Vere recepturus ſplendida membra novo.
Non ideo manſit noſter ſub morte Redemptor,
Noſtra cadiva Deo quo rediviva forent.
Sic ſperata tibi veniet victoria tandem,
Cunctaque, quo videas, ſe tibi læta dabunt.

Ggg ggg gg My-

Myſterium literæ T, *quæ crucis ſignum exprimit.*

MYſtica T græcum memoratur littera priſcis,
Fertur & à nobis omen habere bonum.
In ſacris tali forma ſub fronte notantur,
Quos habet inſcriptos pagina viva Dei.
Laude celebrantes claros virtutis Athenæ
Signum, pugnaſſent ſi bene, tale dabant.
Erigit hanc ſtelam ſerpentis imagine Moſes,
Anguis ut Iſacidis igneus aſper erat;
Et jubet hanc omnes inſtar venerentur aſyli,
Læſa quibus vitæ ſit reparanda ſalus.
Hanc *Conſtantinus* conſpexit in aëre, vocem
Audiit, hoc ſigno vincito, victor eris.
Quo ſimul & frontem ſignant & pectus & ora,
Quot bene de Chriſti nomine nomen habent.
Scilicet exemplum veteri de more receptum,
Omine ſed res non ſignificante caret.
Per caput æterni monſtratur imago parentis,
Eloquitur verbum dia ſtatuta patris.
Spiritus accendit ſacros in pectore motus,
Atque novos flatu vivificante facit.
Hæc ubi mens meditata fuit, cruce pectus & ora
Signat, & in Chriſti dum cruce quærit opem,
Fitque fides clypeus, fit firma precatio telum,
Ad ſtygias rediit jam tuus hoſtis aquas.
Hoc quicunque pius ſignum ſub pariete ſcriptum,
Hoc ſub viſceribus cordis habeto tui,
Atque crucis ſemper Chriſti mortisque memento,
Sic felix omni nomine victor eris.

De loco Craniorum, quo Filius Dei ſepultus eſt.

VEre Deus primo primum formavit Adamum,
Mox quoque vere novus labitur ille novo.

Ve-

Vere novo reddit terris exſangue cadaver,
Vita reſurgenti reddita vere novo.
Illa luce locoque, ſolo tumulatus, ut ajunt,
Quo crucis hoc lignum flebile monte ſtetit.
Hinc quoque de Craniis cepit per nomina famam,
Hic viſus Cranius quod ſit, Adame, tuus.

Fraus Satanæ in Πρωτοπλάστους.

EVa age, quid prohibet, vel quæ vos cauſa moratur,
Unis quod pomi fructibus ora vacent?
Carpite quin potius, quid vobis neſcia mens eſt,
Quam vires magnas, altaque dona ferant.
Diis ſimiles eritis, morſus qui cauſa malorum
Tanta foret? quin mox verba ſequetur opus.
Credidit Eva dolis, ſic præbita cauſa doloris,
Quam minimis fiunt maxima ſæpe mala.
Diſce miſer Satanæ fraudes hoc crimine ab uno,
Mille nocendi artes, nomina mille manent.
Si tantæ lucis vigilem cæcavit Adamum,
Umbræ quid faciet, quam premit alta quies?
Cui vix virtutum Archetypi ſcintillula reſtat,
Vix pietatis adhuc mica prioris ineſt.
Diſce cavere malum, mala plurima volvit avernus,
Quem mala delectant, negligat iſta mala.

Joſephus pius.

MArmorea ſurgens concedit mole ſepulcrum
Pro nobis Chriſto qui crucifixus erat.
Pro merito tenui fert cœlica regna Joſephus,
Sic capiunt tandem præmia vera pii.
Sis pius in Chriſtum, quantumvis ille prematur,
Aut viſus fuerit mortuus ille tibi.

Crede mihi, ſurget ſubita virtute repente,
Et referet meritum pro pietate bonum.
Tu quoque, quæ poteris, prompta fac mente petenti,
Chriſtus in exiguo paupere ubique latet.

Ad animam triſtem de morte Chriſti.

CUr, mea vita, gravis pertentat pectora luctus,
Quid triſtis turbas gaudia vera mihi?
Pro te triſtis erat Chriſtus, cum plangeret hortis:
Hei mea vita dolet triſtis ad usque necem.
Triſtitia illa fuit, quæ nos ſuprema manebat,
Luctus & in nobis ultimus ille fuit.
Jam per triſtitiam Chriſti ſunt gaudia parta,
Hinc allata tuo dicito grata Deo.
Atratus Satanas, luctus fundator & auctor,
Quod doleat, dirus ſcilicet hoſtis habet.
Qui ſtygios anconiſcos damnatus ad orci,
Triſtatur merito, ſi modo triſte juvat.
Nobis parta quies blandidiſſima ſanguine Chriſti,
Dulcis in innumero vulnere parta ſalus.
Sic dirum Chriſti per vulnera vicimus orcum,
Sanguine ſopitus qui calor ignis erat.
Qui modo ſub tabula gypſata ſcriptus, & inde
Ferrea jura dabat, nomen inane gerit.
Hinc lætare tui mea Chriſti nomine vita,
Gaudia quæ fecit, comprobat illa Deus.

Homo peccator ad Filium Dei.

SUnt mea cuncta tua, at quæ ſunt ſine crimine cuncta,
Quæ mala ſunt, mea ſunt, quæ bona ſunt, tua ſunt.
Ut tamen illa mala in roſeo bona ſanguine fiunt,
Chriſte, tuo: Bona ſunt ſic tibi cuncta mea.

Vi-

Vitæ ſtudium.

HOc age: diſce mori mundo, ſed vivere Chriſto,
Omnis in hoc uno vita ſalusque ſita.
Per mortem Chriſti reparatur janua vitæ,
Tu ſi vis longum vivere, diſce mori.

Pilatus ad ANGELUM.

CUm ſanctos angunt vel cruda morte tyranni,
Extremæque ferunt flagra crucemque necis;
Attamen oſtentant frontem ſimulanter amicam,
Atque manus, populo conſpiciente, lavant.
Ut plus quam centum lædant, ſic nempe putentur
Eſſe probi, tremulum non agitare vadum.
Sed tamen hos tandem ſuperum ſententia plectit,
Qui toties alios, ipſe premare; premis.
Hic tibi præ multis ſpeculum ſit nobile, præſes
Accelerat tragica qui ſibi morte necem.
Qui nigri ſequeris fraudes vultusque Pilati,
Cum rides, tacitos, *Angele*, verte ſinus.

Malchus ad JOACH. SEGER.

HIc inter clypeos Chriſtus gladiosque cruentos
Auriculam Malcho reddit, is hoſtis erat.
Pro tanto colaphum merito poſt percutit illi,
Hæc meritis reddi præmia nempe ſolent.
Si bene cui facias, animum non inſpice gratum,
Sed cave, ne grandis ſit tibi cauſa mali.

Populus.

CHriſtus ut invehitur Solymam, ſtipante caterva
Omnigenæ turbæ, Rex benedictus erat,
Mox captus, nemo terris ſceleratior illo,
Cum Dominis clamant, hunc crucifige, ſuis.

Crede nihil populo, momento vertitur omni,
Nunc benedictus ait, nunc maledictus abi.
Nuncinducit ovans Christum splendente triumpho,
Mox hunc educit supplicium ad miserum.
Qui sapitis, talem populum ratione cavete,
Qui nunc Osanna, mox crucifige vocat.

Judas proditor Filii Dei Biothanatus ad B. MEISNERUM.

BIsenos populo famulos elegerat omni,
Unus qui Judas degenerarat, erat.
Ad templum Domini condit prope Pluto sacellum,
Et semper Judas hic, ubi Christus erit.
Prodit nos Judas: tandem bona causa triumphat,
Fert laqueum Judas: æthera Christus habet.
I nunc, & verbis ullius crede cuculli,
Toxica sunt aliis parta, bibenda tibi.

Josephus pius.

QUando vim Christus patitur, Christique fideles,
Ex multis uni displicuisse putes:
Sic Dominum clerus damnabat, & ordo senatus,
Verum Josephus non probat ista pius.
Et quantum liceat, violentos reprimit ausus,
Consiliisque malis abstinuisse jubet.
Hinc tulit à sacro justi spiramine nomen,
Quam non mercedem pro pietate feret?
Quisquis es, in Christum noli convitia ferre,
Consilia in sanctos aut agitare mala.
Non patitur rerum Rector cœlestis inultum:
An nescis longas in Deitate manus?

In Olorem, insigne NICOLAI LEUTHINGERI,
CASPAR STOLSHAGIUS.

QUis tibi concessit priscorum insignia vatum,
Unde stat in clypeo conspiciendus olor?

Tu-

Tune ſacer vates, qui Divum oracula pandis,
Et pia cœlicolum dogmata voce ſonas?
Eſt ita: Nec fallor, parit hoc decus inclita virtus,
Et ſolet hac una fortibus ire comes.
At color eſt, cygnis qualis nive primus inhæret,
Eſt tibi plus nivea candida mente fides.
Sic ubi vita cadit defecta voce ſub herbis,
Ad virides ripas concinit albus olor.
Tu ſuperum laudes & myſtica carmina fundis,
Et ſedet in docto non minor ore lepos.
Pulcer olor ſalve, maneat tibi gratia vocis,
Et ſuperis laudes dicito pulcer olor.

De novis Honoribus reverendi & clariſſimi Viri, FRIDERICI HARTWICHII, Concionatoris aulici primarii Illuſtriſſ. Electoris JOHANNIS GEORGII, March. Brandenb. cum *præpoſitus Eccleſiæ collegiatæ Colon. ad Suevum* deſignatus eſſet.

SI quam, Pierides, laudem bona facta merentur,
Et bene demeritum carmina veſtra canunt.
Surgite Pierides, plauſus nova ſigna ciete,
Admoveatque lyram dexter Apollo ſuam.
Aſtet amor recti, virtus pietasque celebris,
Et favor heroum: Juppiter ipſe potens.
Majus opus ſurgit, tenui quam pollice poſſit
Ludi, vix citharis ars ſatis omnis erit.
Gloria tanta ſuis meritis ſe nubibus infert,
Poſſit ut haud numero ſufficiente cani.
Dicite Pierides, an veſtrum ſcitis alumnum,
Marchica quem tellus jactat & aula potens.
Judicio noſtro veſtri ſtudioſus honoris.
Nemo magis Muſas doctus honore colit.
Hic Clio: memini, verum labor iſta referre,
A teneris bona ſunt quæ comitata virum.

Te-

Teſtis Parnaſſus, teſtes Heliconis & arces;
Dicere ſed Phœbo convenit iſta ſacro:
Indolis ut vires dederit, mentisque vigorem,
Nutrierit culto docta Minerva ſinu,
Rexerit eloquium linguæ, quem montibus olim
Edidit Arcadiis Pleias una Jovi.
Nempe tulit noſtras caput hoc ſublime per artes,
Sed viſus noſtro quas ſuperare choro.
Tantus in ingenio ſurgit, ſic dotibus amplis
Ornavit rerum qui moderatur opes.
Tanta Pericleo facit ardua verba lepore,
Si videas, credas numen ineſſe viro.
Sic gravis arguto facundia corde moratur,
Gratia ſub docto non minor ore ſedet.
Ex quo noſter amor, mens & conſtaret amica,
Contulimus meritis præmia digna bonis.
Contulimus lauros ſacras & florida ſerta,
Ipſe Deus Clarius qualia ferre ſolet.
Utque licet dabimus manſuris nomina chartis,
Ut nunquam tantus commoriatur honos.
Hic Phœbus circum redimitus tempora lauro:
Parce levare tuum turba novena chorum.
Quis jactat Phœbum, contemnat & inde Camœnas?
Eſt alius ſexus, numen habemus idem.
Quidquid erit parvo marceſcet tempore laudis,
Si veſtra ſolum deſtituatur ope.
In vobis etiam Deitas, & Numina late
Veſtra patent, magnis & bene trita viris.
Teſtis & ipſe *Fridricus* erit, quod is æthera tangit,
Quod notus, veſtrum munus id omne, Jovi.
Is vobis cœpto decorandus honore Camœnæ,
Ex hoc ſperamus commoda multa viro.

Se

Sed pietatis honor primus, Musæque secundus,
A pietate venit, quod bene Musa facit.
Hic Pietas: paribus votis gratemur amico,
Nam vobis æque deditus atque mihi.
Incipe Calliope laudes celebrare potentes,
Ut sera Mnime posteritate colat.
Cum natura daret, vix cunis cesserat ille,
Talia cum Phœbus dicere visus erat:
(Me nisi mens fallit, vel habent præsagia verum,)
Hic tibi grande dabit, turba novena, decus.
Ut vidit puerum studiis sapientia rectis,
Sic retulit: puer hic, credite, magnus erit.
Fata regunt homines, fatis credamus amicis,
Testis & hic verum candida fata loqui.
Nam juvenis citharis excelluit, arte Magistra,
Omnigena veluti natus in arte foret.
Perge loqui Pietas: hoc nec metuentius ullum
Numinis ingenium Marchica terra tulit.
Sic alacri studio sacrata volumina volvit,
Atque salutiferam fontibus hausit aquam.
Hinc superum pandit laudes, oracula pandit,
Ac summus cœlo panderet ipse Deus.
Prussia testis eris, quæ succina gignis in undis,
Testis piscosis Marchia plena vadis,
Quanto cum zelo divinis tradita scriptis
Noverit ad sensus explicuisse suos.
Perge loqui Virtus: major virtutibus ipsis,
Si meritis æque facta referre juvat.
Cinthius ut nitidus radiis illustrat olympum,
Cum gelidum tepido commovet axe diem:
Sic omnem magnis patriam virtutibus ornat,
Illius ac unus splendor honosque foret.

Hhh hhh hh Quem

Quem ſincerus amor recti commendat & æqui,
Sancta Themis, laudat quem ſine labe fides.
Perſtat & exhauſtis annis prudentia, multus
Unde favor dictis, gratia rebus ineſt.
Quid dicam nimium rebus gaudere ſecundis,
Quem nec commoveant mille pericla virum.
Quem nec delectet Pluto, nec cœca voluptas,
Quæ magnis etiam ſuppoſuere viris.
Hinc humana gerit, fert mitia pectora cunctis,
Seque probat magnis dotibus eſſe parem.
Perge Minerva loqui: cum myſtica carmina tractat,
Sic docet ex tenebris eruta corda ſuis.
Conſtet ut hoc ſancto præcone caleſcere corda,
Æthereo multum ſemine ferre pios.
Hinc ex qua cœli mihi parte potentia cedit,
Sis hic cygniferi pars quotacunque chori.
Si fortuna Deusque volunt, hæc tenuia forſan
Cauſa tibi magni muneris eſſe queunt.
Dixit, Juppiter ut cœlo ſuperintonat alto:
Palla, quidem tuus eſt, ſed quoque noſter erit.
Ille latus noſtrum fuerit, quocunque feratur
Fulmen, quod late Marchica regna tremunt.
Huic auditor ego, quando myſteria tradit,
Tradere quo melius talia nemo poteſt.
Sic ait, & magnis præfecit honoribus ipſum,
Ut ſumat Divi nectar & aula jubent.
Quem fortuna Deusque volunt in honoribus auctum,
Obſtet ut hic mater Dæmonis auctus erit.
En *Cœleſtinus* fatis concedit acerbis,
Juppiter hic: munus, quod tulit ipſe, feras.
Ad quod concilium Divorum plaudit, & una
Voce refert, uno murmure, dignus is eſt.

Ipſa

Ipsa dies cœlumque nigra sine nube recedit,
Et rapidis ventis, Æole, claudis iter.
Ipsa nimis lætatur ovans & jubila fundit
Patria, quæ titulis facta superba tuis.
Inde domum civis fragranti fronde coronat,
Et tepidis affert thura Sabæa focis.
Ipsi cum primum mihi nuncia venit ad aures
Fama, pio fusum striduit igne merum.
Pergite, Sicelides, laudes memorare celebres,
Qui venit ex Musis ille perennis honor.
Est aliquid placuisse Jovi, qui fulmina torquet,
Sed timor atque tremor cingit utrumque latus.
Sis bonus, ut tacitis scrutor famulantia fatis
Astra, mihi dicunt astra favere tibi.
Sæpius experti virtutibus auxit honores
Impare quæ pensat munera lance Dea.
Sceptra cathedralis tibi sed quod credita templi,
Et fausti cœlo sideris omen erat.
Et tua poscebat pietas, præclaraque virtus,
Hinc tituli surgunt hi tibi, surgit honos.
Hic honor: & vives longum, vincesque merendo,
Nec tibi sors poterit, nec dare plura Deus.
Sic tua se niveis extendet gloria pennis,
Quam late videas solis utramque domum.
Hinc superum Rector post funera Nectare pascet,
Sunt ubi semidei pascet & Ambrosia.
Sic bene sit cunctis, bene qui pietate merentur,
Et Musas, possunt qua ratione, juvant.

De amore suo.

AN vivam, quæris, quid? vivo, sed absque colore,
Palleo, si memini, pallor amoris erit.

Sæpe lego vates, quorum meminiſſe ſolemus,
Quos ſimili doctus tabe peredit amor.
Nulla novem doctis levitas innata puellis,
Hinc eſt in noſtro tantus amore labor.
Calliopes deſiderio tabeſco frequenti,
Sed niſi me fallit, mox erit illa mea.

De Academia Wittebergenſi ad Albim,
Ad nobiliſſimum & generoſum Dominum ERNESTUM GEBHARDUM SCHENCKIUM, *Dominum & Baronem in Leuten & Landesberg*, &c.

LUx erat, & tempus calidiſſima ſerta gerebat,
Urebat ſicci ſtella proterva canis.
Octipedes cœlo fervebant brachia cancri,
Terra premebatur Sole peruſta ſiti.
Cum Nymphis vates in vallibus umbra tegebat,
Creſcebant viridi gramine plectra chelys,
Otia quærebat proles generoſa Deorum,
Ludebat ſtudio lingua vacante joco.
Pars matrem Dominam teneri ſpectabat amoris,
A ſpumis vaſti quæ Dea dicta maris:
Pars hedera Bacchum redimitum fronte petebat,
Armaque Niſſæis Gange fugata choris.
Ille ſequebatur ferrato corpore Martem,
Dulcis inexperto res tuba rauca viro.
Hunc delectabat Morpheus volitantibus umbris,
Et cum mollitie pigritiæque ſopor.
Iſte ſales, riſum, luſum ſermonis amabat,
Et quæ naturæ ſunt melioris opus.
Multos terrebat rigido quoque falce timendus,
Et qui falcifero durior ore Cato.
At quem purpureo Pallas ſub corde fovebat,
Schenckius inſigni nobilitate *Baro*:

Quid

Quid ſibi tanta ferunt, ait, oblectamina rerum?
Non hic conatus munit ad aſtra viam.
Si finis ſolus noſtrarum gloria rerum,
Et bene qui vixit, ſi celebrandus erit,
Quo te mors ducit damnis furioſa juventus,
Transverſumque rapit fama ſepulta probris.
Eſt locus ad ſacra redimitum tempora quercu
Albim, quo non eſt clarior orbe locus.
Extendens niveis ſupra Garamandas & Indos
Se pennis, ſedem ſolis utramque tenens.
Seu quis arundiferum mediis caput efferat undis,
Noſter arundifero doctior Albis erit.
Seu cui dependet celeri coma cœrula mento,
Quo vincat Tigrim clarior Albis habet.
Flumine Panchæo certet liquidiſſimus amnis.
Cede liquor: liquidum clarius Albis erit.
Qua croceo rorat conjunx Tithonia vultu,
Atque pruinoſo provocat axe diem.
Quercubus eſt duris indutus & ilice craſſa,
Quæ reſtant, Faunus cetera plana facit:
Seceſſusque refert molles & amœna vireta,
Elyſiis vix ſunt qualia viſa jugis,
Ad gelidas urſas Axis ſeptemque triones,
Qua Borea veniunt frigore flante nives.
Ille racemiferis frontem circumdatus uvis,
Heſperidum vincit verſicolore domos.
Et promit rutam, violas & molle cyperon,
Et quæ delectant nomina, quæque juvant,
Cultiorique ſuo cultusque ciboſque ſalubres,
Sub varia fructus conditione, refert.
Hic quoque pampineis haſtis, autumne, ſuperbis,
Dum ſuccum miſces fluxilitatis opus.

 Sed

Sed pater Heliadum radios ubi contegit undis,
Et juga purpureis gemmea demit equis.
Lucus hic Idalius, cujus ſub vertice flores
Ipſa parens rerum fundere terra ſolet.
Sæpius ipſa dies hic pulcro favit amori,
Pieris hic ſedem gaudet habere ſuam.
Hic Themis & pietas comites, Podalirius ipſe
Graminea feſſus gaudia capit humo.
Non ſemel hic vates major ſua carmina fecit,
Albinus præſtans & meditatus opus.
Quo feror? hoc nullus demum jucundior extat,
Qua videt Arctoum Mænalis urſa polum.
Hic ſua caſtra novenarum tenet ordo ſororum,
Hic habitat plectro doctus Apollo ſuo.
Hæc domus eſt Themidos ſacræ cum prole beata,
Juſtitiæ ſedes, Ennomiæque decus.
Hic habitat pietas, ejusque pediſſequa virtus,
Et qui Pieriis neſcit abeſſe chorus.
Hic ſunt *Lutheri*, veſtigia ſancta *Philippi*,
Hic eſt clarorum docta corona virum.
Linguarum decus *Henricum* quæ neſciet ætas,
Gymnaſii Rector qui moderatur opes.
Quis, *Leiſere*, tuas æquabit carmine voces,
Facundos omnes tu ſuperare potes.
Audiat hoc aliquis, forſan mirabitur altum,
Audiat, & teſtis, qui mihi credat, erit.
Schutzius hic multum ſtygiis incommodat undis,
Nunc prece, nunc calamo, nunc pietate nocet.
Magne *Weſenbecci*, ſuprema per omnia venit
Laus tua, te Tibris, Sequana, Bætis amant.
Nec, *Teubere*, tuis meritis te facta ſilebunt,
Dum ſtabunt aliquo tanta Lycea loco.

Quan-

Quantus in Heroi præſtet modulamine plectri
Albinus vates, quis memorare poteſt?
Nobilis orator quoque *Franckenbergius* ore
Fulminat, Auſonio non Cicerone minor.
Fortunate nimis, factis ſuper æthere notus,
Te ſine ſub cœlo nemo beatus agit.
Bacche vale, damnoſa Venus, clangorque tubarum,
Hic locus eſt animi nobilioris opus.
Dixerat, & laudum nixus pernicibus alis
Huc ad Leucoreas approperavit aquas.
Sub pede calcar erat, virtutum gloria præſtans,
Qui currum ſonipes, mens generoſa trahit,
Cognitio currus rerum, quas continet orbis,
Qui vehit, eſt doctor cum ratione bonus.
Et rota perpetuo quæ circumvolvitur axe,
Virtutum numerus cardine nomen habens
In curru comites, charites & turba novena,
Et tandem clypeus, cum pietate pudor.
Sic ingreſſus iter, fatis felicibus uſus,
Leucoreis fruitur non ſine laude bonis.

Ad æternum Deum,

Pro conſervatione *Scholæ Croſnenſis* in Sileſia, cum illius gubernationem ſuſciperet.

O æterne Deus, rerum mirabilis auctor,
Quo ſine res, virtus, fama, ſalusque jacet,
Huc ades & flatu conatus dirige ſanctos,
Hic tibi rara quidem, thura parata tamen.
Hic tibi ſurgit odor mellitis gratior hortis,
Maturusque ſuo ſpirat odore loco.
Hunc florem ſerves, molem quo creſcat in altam,
Grandine ne rapiat vis inimica ſuo,

Aut

Aut forſan rictu frendens aper irruat oris,
Fructiferi horti vaſtet amœna tui:
Sed vires ſumens fructus in tempore portet,
Et tibi cum fructus nomine cedat honor.

Ad Filium Dei,

Pro cuſtodia Angelorum Sanctorum, cum ſuſciperet adminiſtrationem *Scholæ* celeberrimæ *Spandovienſis* in Marchia.

NOn opus eſt noſtrum, ſine crimine vivere vitam,
Quos carpat caſus, mens mala ſemper habet.
At qui miſiſti rutilantem cœlitus ignem,
Non ceſſa ſacra corda movere face.
Qui tibi feciſti famulos ſine corpore vitas,
Vita quibus caſus noſtra cavere poteſt.
Adde mihi comites illos, ſociosque laborum,
Numine præſenti qui mea damna levent.
Dæmonis inſidias, hominum vitemus & artes,
Et tuus à nobis glorificetur honor.
Scilicet eſt hominis proprium per crimina labi,
Sed Satanæ lapſus non meminiſſe ſui.

Chorus Scholaſticus

Ad clariſſimum Virum, M. FRIDERICUM PENSOLDUM, illuſtris *Scholæ Miſenæ ad Albim Rectorem*, optime & paterne de ſe meritum.

EN tua virtutes natalis tempora lucis
Concelebrant, votis proſpera fata ferunt.
His aſtant Muſæ præſentia numina vatum,
Et charites illis aſſociata trias.
Hæ pro te ſtantes onerarunt æthera verſu,
Ut ſervet vitam ſors benefida tuam.
Fas etiam noſtrum tandem teſtemur amorem:
Fiet: cum forſan gratior hora redit.

De

De Galla.

EN anus hoc jaceo triſti tumulata ſepulcro,
Si quæris nomen, percipe, Galla fuit.
Corpore Gallus eram, ſed nomine Galla vocabar,
Nam mulier ſalva ſæpe reperta fide.
Cætera ne quæras: ſub vultu maſculus ales
Fœmineo mortis nomen inane gero.

In Ephemerides
Magnifici Viri, LEONHARDI TORNHEUSERI, *Medici &*
Aſtrologi illuſtriſſimi & potentiſſimi Electoris Brand.
JOHANNIS GEORGII.

TEmpora cum cauſis radio deſcribere certo,
Ire ſub occiduo conſpicuoque polo,
Aſtrorum motus & ſcire gerenda per annum,
Sidera ſub noctem, ſidera noſſe diem.
Qualis tempeſtas ſperanda per æthera cœlo,
Si ſe purpureo vere remittit humus.
Aut Cereris donis floreſcunt prata per æſtum,
Autumnive novis imbribus ora madent.
Aut tellus tegitur per frigora veſte nivali,
Qualis ſors populi, qualia fata Ducum.
Sive ſit ex lato cœli curvamine certa,
Sive ſit ex Zonis quinque petenda fides.
Cur verſare boves poſſit, cur plauſtra Bootes,
Quæ ferat Orion commoda, quæve mala.
Quando Venus faveat, vel læta fulgeat hora
Juppiter, infauſto ſit quoque Luna loco.
An pax, an bellum fuerit, lethumve, famesve,
Scribere quis melius te, *Leonharde*, poteſt?

Aſtrologia hominis poſt mediam noctem in aſcendente libra nati.

NAtus in aſcenſu libræ, mediaque ſub umbra,
Illi ſub velis aura ſiniſtra volat.

De Magnifico & clarissimo Viro, Domino LEONHARDO TORNHEUSERO, *Medico & Astrologo* sagacissimo illustriss. Electoris Brandenb. JOH. GEORGII, &c. Ducis Prussiæ.

FAta dedere virum nobis felicibus astris
Præstantem, natum turripotente domo.
Præscia qui dicit velut ex Aquilonibus ortus,
Aut usus folio, docta Sibylla, tuo.
Quem natura facit vatem, quæ certior arte,
Sed quoque mens alta cognitione scatet.
Sive per errantes stellas fixasque vagatur,
Divini credas numinis esse virum.
Sic secretarum profert mysteria rerum,
Sic quoque, quæ potuit nemo videre, videt.
Sic Lachesis callet nocuos reparare labores,
Arteque Pæonia damna levare potest.
Testis es Elector, qui Marchica regna gubernas,
Et quæ pars terræ tertia nomen habes.
Adde, quod ignotas Medicis produxerit herbas,
Auxerit immensum res, Medicina, tuas.
Vive meæ longum patriæ sub sidere felix,
Vos servate datum fata secunda virum.

Ad reverendissimum Patrem & Dominum, Dn. PETRUM, Cæsarei monasterii *Bergensis* ad Albim *Abbatem*, de *refectorio*, cum conviva esset.

A Lateranensi quantum mutatus es, *Abba*,
Rectius is forsan ni vocitetur Abas.
Sic Abacum Sodomæ vomitu Sybarisque molestat,
Potat & infernis Thessala philtra cadis.
At tua mensa scatet cœlesti flumine, PETRE,
Nectar proponens, ambrosiamque Dei.
Unde venit succus sanus fragrantis Amomi,
Æthereo recreans pectora nostra modo.

Quas

Quas tibi, quas grates referet cum nomine ſancto,
Qui ſedet æterna Patris in arce Deus.

De *cœna* apud reverendiſſimum & optimum *Abbatem Bergenſem*, Dominum PETRUM, Mæcenatem ſuum clementem.

QUi luxu multo convivia certa miniſtrat,
Et latiis promit dulcia vina cadis.
Fallor, an hic quærat ſtultum, vel quærat amicum,
Aut ex inſano ferre trophæa velit?
Sermo Bionæus nigro cum dente propinquum
Proſcindit, ſacris jurgia multa facit.
Hac eſt perpetuus menſa conviva *Lutherus*,
Hic omnis ſermo de bonitate Dei,
Verba verecundo multum condita lepore,
Aſſidet huic virtus, cum pietate pudor.
Et quod honorificum, præſes *venerabilis Abbas*,
Cui vix inveniet Saxonis ora parem.
Quem non cum magno delectet lumine cœna,
Poſt multos etiam grata futura dies.

In *Bibliothecam publicam* monaſterii *Bergenſis* ad Albim.

BIbliotheca Phari Regis fuit inclita quondam,
Et quo Danubii firma fuere vada.
Non minus eſt *Petri* celebris pia cura librorum,
Huic referas, quicquid Bibliotheca poteſt.

De *Templo* Abbateiæ *Bergenſis* ad Albim, ædificato & exornato ſplendidiſſ. ſumtibus & operis *Domini* PETRI, *Abbatis*.

ME pridem rapuit ſævo manus improba Marte,
Reſtituit *Petri* cura benigna Patris.
Olim cum cultu Satanæ raſisque dicatum,
Nunc, quanto poſſum munere, laudo Deum.

Scilicet hoc pietas, *Petri* peperere labores,
Cujus ſunt ſumtu quæ nova facta vides.

In *Bibliothecam* doctiſſimi *Abbatis Bergenſis*, *Domini* PETRI.

QUam bene conveniunt & in una ſede morantur
Excellens *Abbas*, Bibliotheca bona.
Sic qui, *Petre*, legis, ſemper quoque, *Petre*, legeris.
Quam vellem hac omnes vivere lege Patres?

In *Abbatiam* liberam, Cæſaream *Bergenſem* ad Albim.

CUm bello peteret pietatem miles ad Albim,
Hæc ſedes Martis robore victa cadit,
Et cum vicinis agris eſt facta ruina,
CAROLUS imperii dum moderatur opes.
Illam reſtituit *Petrus*, ſacrosque penates,
Et quid habent culti mœnia vaſta, dedit.
Hinc mihi laudatus vivet, dum mœnia reſtant,
Quæ teſtabuntur de pietate viri.
Tu quisquis tranſis, hæc mecum verba precator:
Vivat, qui ſtatuit mœnia tanta ſacris.

Ad Amicum.

QUod tibi noſtra placent, quæ vilia carmina miſi,
Lætor, & hæc addo qualiacunque nova.
Vellera dant Seres, dat amabile Lydius aurum,
Dat, quæ quisque poteſt, munera: carmen ego.
Hoc erit innocui conſperſum ſanguine Chriſti,
Et quod de multo vulnere carmen aget.
Carmine fit nomen vivax experſque ſepulcri:
Tu ſi vis longum vivere, carmen ama.

In Pſalmos M. R. M.

ISacides fati variis erroribus actus,
Servandi cecinit carmina grata Deo.

Con-

Confimili plectro repetit cantata *Redherus*,
Vivere dum duro tempore trifte cadit.
At tandem emerfus fummos fortitur honores
Ifacides, vatum maximus inde fuit.
Æquabunt cœlo Pietas & Mufa *Redherum*,
Vatibus ut patriis annumerandus erit.
Nam duris precibusque id ineft, ut gloria duris,
Emerfoque malis ut prece crefcat Honor.

De *rure* ad M. BARTHOLOMÆUM GORICIUM, reverendiffimum *præpofitum Bernavienfem*, Virum ut eruditiffimum, ita optimum.

VIvere rure vetas, nihil eft jucundius arvis,
Hinc laudem multi profperitatis habent.
Rure Deum noftrum vixiffe libentius ipfum,
Agris lætatum, pagina facra refert.
In pratis Phœbus Mufæque habitare feruntur,
Cum Nymphis Charites hic agitare choros.
Urbes infidias, perverfa calumnia vexat,
Rus tibi fecurum gaudia cuncta dabit.
Qui bonus, hanc optes multum tibi vivere vitam,
Hæc fuerit ftudiis non inimica tuis.
Aut ego rure velim felix, aut vivere cœlo,
Præterea quod ego vivo, mori effe puta.

Cariffimus tædiofiffimus.

QUantum præftat amor, tantum tibi tempore cedet,
Omnia demenfo tempore victa cadunt.

De *Vere* ad Sodales in Academia Wittebergenfi.

VEr rediit, focii, cinctum florente corona,
Cum Borea valeas, cura latina, tuo.

Græca magis mentem lauris delectat amœnam,
Sed quam Pimpla tenet, ſeu Heliconis opes.
Frigus abit gelidum, Zephyris tellure ſoluta,
Quæ modo concreto tota peruſta gelu.
Flaveſcunt vultu vario ſitientia prata,
Amiſſusque redit, qui fuit ante, vigor.
Omnia lætitiam gignunt, & gaudia plena,
Lætiferos adfert aura ſerena dies.
Adde, quod adſcendens genitalia corpora Phœbus,
In noſtrum ſpargit lumina recta caput.
Qui deformis erat campus, renovatur aratro,
Agricolæque ſerit ſemina læta manus.
Peſtano videas gaudere roſaria cultu,
Dum ſpirat croceo mane revecta dies.
Non metuit pulcer ſurgentem Pampinus Auſtrum,
Ne multas dubio turbine fundat aquas,
Non timet inſuetos multis Aquilonibus imbres,
Quorum vi turres altaque tecta ruunt.
Omnia ſecuro teſtantur gaudia vultu,
Quæ modo conſpicitis, cuncta ſerena nitent.
Ruſticus hinc, quando conjunx Tithonia rorat,
Admiſſis alacer cantica promit equis.
Floribus hic texunt operoſæ ſerta Napææ,
Hic agitant Satyri læta per arva choros.
Perſona diſcordi ſtrepitu virgulta loquuntur,
Et vates cœlo carmina digna canunt.
Adſitis ſocii, violas date, carpite flores,
Ferte roſas, Muſis ſerta parate novis.
Cuncta juvet luctus fomenta relinquere Momo,
Nos animum nitidos præſtat habere bonum.
Nec ſibi mens triſtis conſtat, nec rebus agendis,
Ex ægro vitium corpora ſana trahunt.

Quid mihi ſola dabunt loca, nil niſi mente dolores?
Interdum Muſis & loca ſalſa placent.
Fudit terra parens Idæo vertice flores,
Lætitiæ quando Juppiter arva tenet.
Non vituletur homo, penetret per gaudia pectus?
Gaudia qui neſcit talia, nullus erit?
Sympinium cum fronde feras cyathumque cataſthlus,
Illa ſuprema mihi tempora forſan erunt.
Antia lex taceat: ſermonis gratia, ſales,
Aptius hoc animi candidioris opus.
Et nobis violæ fuerint, & molle cyperon,
Nam ſolet hic Ida gratior eſſe locus.
Vivamus, niveumque pares ſervemus amorem,
Nos cita ſub tumulum forſitan hora vocat.
Cum cornix plena pluviam vocat improba voce,
Luctum præſtat hiems, adjuvet eſſe macrum.
Salvete Ammineæ vites, eliſa Falernis
Prælis, vina Chiis nobilitata cadis.
Sympullum cyathumque refer meliore lapillo,
Tollat arenoſis antlia Codrus aquis.
Bacche fave, nymphis quondam conjunctus in Ida,
Quis ſcit, an hæc redeant tempora verna mihi?
Inſere bugloſſum vinis, ſit lætius illud,
Euphroſynum faciat ſuavius eſſe caput.
Tu, vertumne, etiam ſalve, vertumnus & æquus
Sis mihi, ſic tecum pocula mille bibam.

Nuptiis reverendi & clariſſimi Viri, Domini POLYCARPI LEISERI, ſacræ Theologiæ in Eccleſia & Academia Wittebergenſi Doctoris: & Virginis pudiciſſ. ELISABETHÆ, Conſulis Witteberg. ampliſſ. LUCÆ CRANACHI filiæ.

VEr erat, & Muſæ quærebant ruris odores,
Nec Charites aberant, ſemper amica Trias.

Po-

Pone ſequebatur Phœbus, qui temperat arcum,
Et citharæ rigias pectine mulcet aves.
Hinc Themis & pietas ibant, Podalirius ibat,
Dum veſtita ſimul germine prata petunt.
Dulcia ſperantes gravium oblectamina rerum,
Umbroſis vario trita colore locis.
Quem non tanta, refert, moveant conſortia, Cypris,
Et nos jungamur, nate Cupido, choris.
Pieris exornant Veneris delubra lepores,
Et ſolet Aonias ſæpe beare Venus.
Sed quem conſpicio venerando nomine vultum,
Ni fallor, proles hæc pietatis erit.
Intactum video, purumque ſacrique tenacem,
Solus hic effugiet ſpicula, nate, tua.
Dulcis amor, vires & ſola potentia matris,
Conſilio celeri cœpta parata nova.
Jungaris faciem mutatus & ora Cupido,
Incaptum noſtro nec patiare dolo.
Hactenus aligerum te nemo effugit amorem,
Solus hic illudat te pietatis amor.
Cecropiam, Eunomiam, Muſam, ſtudioſus amavit,
Corda tamen telis attenuata tuis.
Quod ſumus experti ſolum pietatis honores.
Ignis pectra tamen vim penetraſſe tui.
Hinc capere ante virum ſtudeas & cingere flamma,
Quam caveat: cautos fallere ſæpe labor.
Quo facias iſtud melius, noſtram accipe mentem,
Uno plus poſſunt ſingula juncta viro.
Ut parat ille redire ſuæ genetricis ad urbem
Leucoream: hæc noſtris non inimica thoris.
Tu faciem fallens caſtam, natæ indue vultus
Lucæ, purpureas finge colore genas,

Et

Et ſimul inſpira flammas, & falle veneno,
  Adjuvat affectus incaluiſſe novos.
Paret amor dictis, & blandas exuit alas,
  Virginis & ridens ora imitata refert.
Ut vidit pietatis amor, prolapſus in ignem,
  Quem non extinguant Rhenus & Albis aquis.
O mater, pietas inquit, jungamus amorem
  Numinibus, ſemper quæ mihi ſumma, tuis.
Annuit & fotum flammis pudor extulit altos
  Idaliæ in lucos: omnia vincit amor.
Floribus hic dulcique aſpirat amaracus umbra,
  Dum parat optatum Cypris honore thorum.
Et ver ſtabat adhuc, vernantia lumina ſponſus
  Ceperat, & vernans gaudia verna dabat.
Jamque hymen, o hymenæe, hymen, o hymenæe, vocabant,
  Advenit ad thalamos cum nova nupta novos.
Primitias Cypri ſolvunt, & gaudia mille
  Pertentant animum, votaque mille cadunt.
Gratantur pietas, virtus, Muſæ, Themis, artes,
  Cumque Duce *Auguſto* templa, theatra, ſchola.
Aſtat honor, tædas qui ſuadet in acta referre,
  Mandat in Archivis ſcribere: ſcripta manent.
Scilicet hos fructus referunt pietatis amores,
  Quales per multos, o *Polycarpe*, feres.
Veris amor propius, verno qui tempore cœpit,
  Auctus & æterno vere vigebit amor.
Vivite nunc ambo felices, vivitis ambo:
  At bona de cœlis vivere fata venit.
Sed quibus eſt pietas, Themis eſt ſanctiſſima mater,
  Horum damna procul pernicioſa lare.
Vivite felices fatis melioribus ambo,
  Nomine felicis nomino cuncta bona.

De *Jacobo* patriarcha ſub vere fratrem Eſavum fugiente.

ISacides nigro ſub noctis tempore ſcalam
Vidit, dum patria fugerat exul humo.
Vidit in immenſo cœlorum culmine nixam,
Et per eam angelicos ire, redire choros.
Cujus in excelſo magnus ſtans vertice Ihova,
Contemplans rerum, quas tenet orbis, opes.
Ne timeas, Jacobe, inquit, tolerare labores,
Qui venit ex fatis utilis ille labor.
Hic ero, te duco tremebundum, teque reducam,
Ac individuus, quo, comes ibo, voles.
Ecce tuum ſemen multis in millibus amplum
Florebit, veniat dum benedictus homo:
Hoſtibus ille ſuis proſtratis cuncta tenebit,
Et finem ponet, quæ viguere, malis.
Hic erit una quies, via recta, redemtio ſola,
Vera per hunc veniet, ſi qua paranda, ſalus.
Quisquis es, ut premeris gravius, mala ferto ſilendo,
Et caſus tantos diſſimulato tuos.
Ut ſpes nulla tibi eſt humana relicta, ſalutem
Exſpecta certam de bonitate Dei.
Quod præſtant homines homini, durabile non eſt,
Sed quæcunque Deus perficit, illa manent.
Plus inopi præſtat, quam vox erat auſa rogare,
Huic fidas: votis debet ut eſſe locus.

Ad Senatum Hallenſem.

SIc veſtris hederas natis imponat Apollo,
Vatibus & veſtris laurea ſerta paret.
Sic rerum rector felices depluat auras,
Et facili vultu limina veſtra beet.

Si

Si fronte accipitis, Proceres, quæ mitto, ſerena,
Ruſtica Mæonio carmina ducta pede,
Qua torquens flavus malefidas Albis arenas
Alluit Arctoas maximus inter aquas.
Non iſtis equidem retonat facundia culmis,
Sed tamen ex culmis fiſtula dulce ſonat.
Arrident tenues conatus Regibus altis,
Et ſuperos placat thurea gutta Deos.
In pretio buxi quandoque Idillia habentur,
Et Dominis placeant ungue profecta novo.
Forſan erit, poſſit quod forte juvare legentem,
Sæpius in minimis robora certa latent.
Vos ſaltem, Patres, placidum præſtate favorem,
Dum fructus pingo, cœca libido, tuos.
Tempus erit veſtris olim virtutibus, æqua
Calliope numero cum graviore canet.
Altius hic ibo: nunc parva crepundia ferte
Cunarum, mentis candida ſigna meæ.
Sic bona ſors dederit fatis melioribus uti:
Carmina quem cantant, ille beatus agit.

Ruta.

TErra ferax vario promit pulcerrima flore
Lumina, quæ lætis Cypria plantat agris.
Sed mihi Ruta meisque oculis gratiſſima ſpirat,
Viribus hæc vincit germina cuncta ſuis.
Illa feris abigit ſerpentes ictibus atros,
Scilicet hinc herbis & comes eſſe ſolet.
Ruta virens inhibet permiſta venena cicutis,
Et ſi quæ dulci toxica preſſa mero.
Confortat vires oculis, caligine ſolvit,
Infirmumque ſuo firmat odore caput.

Adjuvat Anthriſcum Venerem, viresque furori
Addit in elumbi, cuique ſenecta gravis.
Ruta fugat Venerem, Venerisque incendia tollit,
Incenſus comedas, omnis abibit amor.
Illa viret ſemper, ſeu pontus frigore conſtet,
Uratve Icarii fervida ſtella canis:
Seu ſtet pampineis autumnus ſordidus uvis,
Aut curſu tepido tempora veris eant.
Sæviat his Aquilo boreali turbine ventus,
Hæc eadem ſemper Ruta ſerena viret.
Cum ſerpunt inter cives contagia peſtis,
Ruta virens ſacri numinis inſtar erit.
Cumque ſit utilitas & tanta potentia Rutæ,
Saxonis in clypeis conſpicienda Ducis.
Viva mori cujus virtus ſub turbine neſcit,
Nec furit in lætis, perpetuo æqua ſuis.
Frons eadem ſemper, qualis fortuna laceſſit,
Languida ſeu curſum, ſeu bona fata tenent.
Ruta virens vireat: florentes augeat aucto
Annos *Auguſto*, qui bona fata regit.

Hiacynthus.

QUæ pratis vernis vaccinia nigra leguntur,
Illa Therapnæo ſanguine nomen habent.
Illorum foliis eſt duplex littera nata,
Una recens nato competit, una Duci.
Scilicet Ajacis teſtatur vulnera victi,
Altera ſed luctum, Cynthie Phœbe, tuum.

Viola.

DUm vernos hortos hilari ſub fronte frequentas,
Atque novo flores pollice vere legis.

Dum

Dum te cuncta monent multum munuſcula terra,
Et tibi flos quivis monſtrat adeſſe Deum.
Hic quoque conſpicies Violam ſub imagine triſti,
Dum viridi pulcre gramine tecta latet.
Quam tellus profert lactenti tempore odoram,
Quo Chriſtus factus victima grata fuit.
Veris id eſt tempus, cujus tibi nuncia, primum,
Naſcitur atque perit vere caduca novo.
Puniceumque refert tunicæ veſtita colorem,
Puniceæ Nati veſtis imago Dei.
Scilicet extarent meriti veſtigia Chriſti:
Hanc mater textam fecerat arte Dei.
Vertice ſcribarum geſtat pro more tiaram,
Sicut adhuc hodie gens recutita gerit.
Scilicet ut pateant cleri ſub tegmine facta,
Quorum ſed cuncti nos quoque cauſa ſumus.
A triplici ac herbis majoribus obſita circum,
Ut bona per terras ſemper habere ſolent.
Hinc pedibus teritur, quamvis quoque parcere poſſis,
Hinc nomen, quod vi nempe teratur, habet.
Herba vocat ſtygio Satanam Aglaophotis averno,
Hic flos, quidquid erit natum Acheronte, fugat.
Et tamen hunc ardent ſpinæ, niger urit acanthus,
Sicut in humanis talia rebus eunt.
Quoque magis premitur, plures emittit odores,
Et meritis cœlum ſurgit ad usque ſuis.
Et licet abreptus terris, quo durius ille
Dente patrum, vulgi crimine tritus erat.
Quo magis afflatus ligno, magis exit odoris
Gratia, qui nævis ſit medicina tuis.
Cum liquor inde ſacer vivo quaſi fonte mearet,
Hic nobis potus corde ſalubris erat.

 Sal-

Salvificus reparat vires ſub mentibus ægris,
Quodque erat humanum, ſpirituale facit.
Qui vis æternum cum Chriſto vivere, floris
Hunc guſta ſuccum: tu quoque Divus eris.

Roſa.

UT Roſa fragranti flagrat vernalis odore,
Vere tepente viget, vere cadente cadit.
Roſcida dum fulget rubris aurora capillis,
Stat decor eximius: gratia mollis ineſt.
Et floret rubro foliorum cincta galero,
Qualiter inſigni murice tincta ſolet.
Mox bene quæ vegeto rutilaverat igne comarum,
Deſeritur foliis ſole cadente ſuis.
Eſſe quid hoc dicam? brevis hæc eſt vita roſarum,
Quas & producit, perdit & una dies.
Scilicet eſt talis noſtræ quoque portio vitæ,
Portio, quæ ſubitis caſibus acta fugit.
Ergo puer flores lege, dum nova temporis ætas:
Noſtin? tu ſimili conditione peris.

Ciconia.

GLoterat ex alto de turre ciconia roſtro,
Officiique tui te memorem eſſe facit.
Illa ſenem nivea poſitum cervice parentem
Geſtat, & allatas ingerit ore dapes.
Sis pius in caros, qui te genuere, parentes,
Et foveas, tingit quando ſenecta comas.
Ut tibi cum canis etiam conſpergitur ætas,
Te proles redamet digna parente ſenem.
Qualis es in veteres, qui te genuere, parentes,
In te talis erit, qui tibi natus erit.

Apes.

Apes.

VEr ſimul ac oritur dumoſis vallibus Hyblæ,
Cecropiæ tepido vere vagantur apes.
Mollia pictorum delibant germina florum,
Quando ſuos aperit terra benigna ſinus,
Decerpuntque thymum, carpunt melitoon, & albas,
Sanguine tinxiſti quas, Ericyna, roſas.
Producunt teneros fœtus, fundamina prima
Ponunt, & ſtipant dulcia mella favis.
Nunc fontes liquidos & ſtagna profunda reviſunt,
Et tenuis per quæ gramina rivus abit.
Nunc vox auditur ſonitus imitata tubarum,
Nunc oris pigros increpat ipſe canor.
Nunc circa regem ſtantes clamoribus hoſtem,
Et pro ſe magno murmure quæque vocat.
Nunc rumpunt portis, concurrunt æthere claro,
Nunc lædunt, læſi præcipitesque cadunt.
Quidquid agunt, regem obſervant, ſibi munera poſcunt
Militis, & faciunt ordine, quidquid agunt.
Multa docent homines aloga: his ſimulacra venuſta
Virtutum voluit propoſuiſſe Deus.
Aonias igitur quisquis peregrinus ad artes
Veneris, ut libris dulcia mella legas.
Ad ſophiæ fontes hominumque Deique recurras
Ipſos, quod bibitur, gratius inde bibes.
Doctorem obſerva multum, non multa legentem,
Diſce ſed à doctis: ordine docta tene.
Ut licet, auctores celeri percurrito mente,
Vix liber eſt, multum commodat ille tibi.
Et ne barbaries regnet, conamine pugna
Magno, quo magno nomine victor eas.

Lu-

Luſcinia.

VEr ſimul ac rediit, ſuavi modulamine linguæ
Ad querulas voces & Philomela redit.
Filia quæ Regis fuerat, ſtudioſa pudoris,
Æmonias multum vicerat illa nurus.
Sed ſtuprata dolo Terei, qui regna tenebat
Thracia, ne tandem res patefacta foret.
Perfidus eripuit linguam, quam reddidit ille,
Reddere pro damnis qui bona vera ſolet.
Pro quibus, ut ſuperis tribuatur gratia, talem
Cecropio cantum gutture format avis.
Et gloſſam queritur raptam furialibus auſis,
Atque pudicitiam jure petiſſe ſuo.
Diſcite recta ſequi, quotquot mala noxa fatigat,
Non occulta manent, quæ male facta latent.
Quotquot & oppreſſi curis & tabe dolorum,
Concelebret veſtrum vox quoque veſtra Deum.

Nuptiis Dn. ERASMI SEIDELII, Viri ornatiſſimi & omnibus modis excultiſſimi, amici veteris.

DUm pratum ſequitur novem ſororum,
Et aris Themidos tenax adhæret,
Blandos Idaliæ fugit labores,
Addictus ſtudiis bonis *Eraſmus.*
Iram concipiens Venus tenello
Sub corde, effugitne ſolus ille
Cultor Theſpiadum meos amores,
Inquit, retia noſtra non valebunt
Poſthac amplius, hactenus ſacrata?
Mittitque aligerum nimis puellum
Blandum, cuſpide vulneret ſeverum
Qui cor, & venerem augeat calore,

In-

Inſpiretque venena acuta multum.
Tum vero bene ſentiens *Eraſinus*,
Vis & quanta potentia in Dione,
Dum multum æſtuat intimis medullis,
Et nomen teneo, refert, amoris,
Quid fugiſſe nimis juvat calores ?
Fatum ſponte ſequar Deæ vocantis.
Mox ducit viduam *Sebaſtiani*,
Suaves delicias, ſuumque pectus,
Ad fauſtum thalamum, favente Phœbo,
Et ſponſus licitos trahit calores,
Cinctus tempora myrthea corona.
Salve ſponſe, decus novem Dearum,
Et ſanctæ Themidos decus virorum,
Quos natale ſolum tibi miniſtrat.
Qui ſortis bene filius benignæ
Fers hac propitia petita multis.
Portus nempe thori pudor laborum:
Quot blanda venient tibi marita
Una commoda, quæ beant juventam,
O quot commoda, quæ beant ſenectam.
Hæc te plus oculis ſuis amabit,
Plus centum illa feret tibi lepores,
Dum complexibus hæreas pudicis.
Hæc rebus dubiis tibi levamen,
Et noctuque dieque erit voluptas.
Ut pulcerrima ſerta Cypris alma
Myrtho *Seidelio* meo paravit,
Fallor, ſacra Themis ſereniora
An mox addiderit comis politis?
Salve perpetuum decus pudoris,
O deſiderium tui mariti,

Unum ſuaviolum, levamen unum,
Quidquid forſan erit brevis doloris,
Quæ non gaudia ſenties venuſta,
Quando te juvenis venuſtiorum
Venuſtiſſimus in ſinu fovebit.
Salvete ambo pares amore longo,
Ceſto gratia vos liget perenni:
Veſtrum nulla thorum querela turbet,
Veſtras relligio domos frequentet
Et concordia, quæque amat pudores.
Sic melle inſtar apis favos replete,
Et ſolatia filios ſenectæ
Florentes Amarantinis corollis
Plantas Heſperiis Dei inſeratis.
Velle & nolle duobus ut ſit unum,
Tædarum faciat jugalium auctor.
Sic non luctus erit querendo lectus,
Verum gaudia lecta qui miniſtrat.

Hymnus de *Johanne Baptiſta*, Viro & Propheta maximo in terris.

Baptiſta Johannes fuit
Propheta virque maximus,
Vel teſte Chriſto, candidas
Ivit qui in auras luminis.
Perit tamen libidine
Inſanientis regiæ
Adulteræ ter maximæ.
Vates ter ille maximus
Miraculoſus editur,
Ab angelo prædicitur,
Monſtrat Deum mortalibus,
Vitæque reddit motibus.
Jordanis hunc fonte abluit,
Patrem ſupernis audiit:
Audite filium meum;
Vidit latentem Spiritum.
Natum manu Deum docet,
Agnumque verum nuncupat,
Qui noſtra non ſolum gerat,
Sed & piacula auferat.
Sylvis latebat victitans,
Sylveſtre melle comparans

Ci-

Cibum, bibens fluento aquam,
Feræque gestans purpuram.
Cuique certa munia
Et jura dans fidelia,
Tam subdito, quam Principi,
Tam clerico, quam militi.
Castam thori legem probat,
Regemque verbis arguit,
Inauspicatis nuptiis
Dimittat uxorem improbam.
Ferente sic ægerrime
Salace Regis conjuge,
Pestemque Vati maximo
Interminante pessimam:
Captus recisum præbuit
Cervice Regi innoxius
Sanctum caput, pium simul
Et omne visum commori.
Lugete solitudines,
Sylvisque quæ sunt aviis,
Lamenta vocum rumpite,
Vates perit libidine.
Sic regna Christum non ferunt,
Boni premuntur impiis:
Tamen triumphat Filius
Dei: ferendo vincimus.
Orientis almi Lucifer
Salve, propinquum qui jubar
Annuncias nobis: vale
Propheta virque maxime.

Filius Dei in terris afflictus, afflictis & humilibus est amicus, in iisque efficax.

Virgine Rex noster de paupere nascitur, ipse
Pauper, & in victu paupere gaudet inops.
Vivere cum miseris volupe est, cum paupere Petro,
Cum sociis Petri, qui rude vulgus erant.
Quidquid erat reliquis despectum corde sub ægro,
Hoc fovet, & lætum pectus habere jubet.
Mirifice teneris annis lætatur, & illis
Deberi recte regna beata refert.
Quidquid præclarum, factum est in humillibus omne,
Ex his qui minimus, maximus ille Deo.
Afflictus patrem sequitur vel mortis ad aram,
Sic humilis Satanæ regna superba terit.
Ut tu sis cœlis magnus, sis parvus oportet,
Magna oculis multum sunt inimica Dei.

De *Eclipsi Lunæ*, quæ facta eſt anno Servatoris noſtri LXXX. ſupra MD. pridie Calend. Febr. in undecima cœli domo, in latitud. ſeptentrionali deſcend. ad caudam Draconis, & regiam ſeu igneam ſtellam *Cor Leonis*.

Cynthia formoſos lugubri occultat amictu
Vultus, dum verſis nocte recurrit equis.
Sanguineasque ciet lacrymas, feraliaque ora,
Dum mundi nævos triſte videre graves.
Vos ego, vos proceres triſti compello camœna,
O ſitis faciles in mea dicta viri.
Quorum magna patet pietas, virtusque celebris,
Eſt procerum virtus prima timere Deum.
Publica res agitur, paries jam proximus ardet,
Qui ſapitis, flammas has prohibete graves.
Huc ad templa Dei libantes corda venite,
Viſcera ſub læſo ſacrificate lare.
Non vult thura Sabæa Deus, non multa talenta,
Contritum vult cor ingeminare preces.
Hinc placet obſequium, non empta dolore cruenta
Hoſtia, nec titulis victima parta malis.
Quanta ſed humanas umbras verſata caligo,
Pro vera tenebras pectora luce parant.
Hunc tribuunt minime ſibi, quem depoſcit, honorem,
Quæ nec dona probat, nec capit, illa ferunt.
Eſt niveo cultu, pura tibi mente colendum,
Si quod placatum numen habere velis.
Ut Deus eſt unus, verus ſic cultus & unus,
Unica norma tibi biblia legis erunt.
Sed quot ſunt homines, & tot jactantur in orbe
Cultus, quot linguæ, tot ſacra lingua facit.
Et tamen ex umbris læva ſe mente fatentur,
Nec curare Deum, nec data ſigna Deo.

Quid

Quid ſumus absque Deo, non quod ſine ſole Diana,
Si lucem Phœbus, detrahat illa nigra.
Lucis inops Chriſti, jam nigro mortuus orco,
Pectora caſſa Dei lumine cœca ſedent.
Tunc abeas oculis recto ſub tramite captus,
Sit facile ignotam tangere nocte viam.
In tenebris ibis, nigrique aſpergine ſtagni
Submerſus, prædam te feret iſte Draco.
Unica lux Chriſtus, lucem quo concipit omnis,
Qui facit ad cœli gaudia tutus iter.
Si quam forte facem ſtolidi ſapientia mundi
Præferet, ad ſtygias devia ducet aquas.
Eſt tamen humanæ mentis ſpoliatio tanta,
Vel tenebris clarum jactat habere Deum.
Scilicet hæ Satanæ fraudes prætendere nomen
Divinum, tenebris ſi male tentat opus.
Tu quicunque ſapis, nigrum non temne colorem,
Sub nigro varium verſicolore latet.
Sunt nox & tenebræ Satanæ bene commoda technis,
Has vocat ad Tricas quæ modo cunque poteſt.
Sed tibi ſit ſpeculum cœlum, ſpectandus es ipſe,
Dum vario ſpectas lucida ſigna polo.
Candida nam niveum tradit pietatis amorem,
Vitam ſub cœlo quam ſine labe geras.
Sic tibi perpetuo ridebit in aëre Phœbus,
Addet lætitiæ proſpera ſigna ſuæ.
Si tibi ſe dederint triſti ſpectacula vultu,
Triſtia ſint aliis læta & amica tibi.
Si malus, obductis cœlum triſtabitur aſtris,
Triſte erit officio ſic meruiſſe ſuo.
Scilicet hinc variis ſignis ſibi conſcius æther,
Tot triſtes ſpecies, triſtiaque ora gerit.

Nequitiæ claſſes prohibent obducere callum
Mœſtitiæ, ſceleris cura ſubinde redit.
Hinc propter pallet ſcelerata piacula mundi,
Hinc rubet, ut fieri turpia tanta videt.
Sed raro ridens tenebroſa fronte ſerenat:
Sic te plus alogon mentis habere putes.
Et tonat & crebro cum fulgure fulmina torquet,
Forte metu vitæ num melioris erunt.
Quos non vincit amor, ſi poſſit vincere terror,
Sæpe tremore fit id, quod probitate nequit.
Hinc quoque ſub pontum videas deſcendere cœlum,
Adque plagam cœli ſurgere grande mare.
Quis tot & ardores, imitantes bella fragores,
Phaſmata tot cœli quis meminiſſe poteſt.
Quid? ficti incipiunt ſoles illudere ſoli,
Arcus ſæpe premunt, ſæpe fit ille niger.
Fit niger, & luctu velut exanimatus acerbo,
In ſua pullatus funera mœſta videt.
Scilicet ex omni circumdant nubila cœlo,
Quæ quaſi captivo vincula ferre volunt.
Flumina vidiſtis contra ſe vertere curſum,
Audiſtis ſtratas hic bululare vias.
Hæ ſpecies fati dant argumenta futuri,
Atque docent fatis multa ſubeſſe mala.
Certius hoc ipſo tripode eſt parnaſſide lauro,
Certius hoc folio, docta Sibylla, tuo.
Hei mihi, væh mundo miſero, mortalibus ægris,
Cuncta dolent hominem, gaudia quærit homo.
Non hic monſtra ferum flectunt Acheronte vel imo,
Chaſmata de ſuperis nulla ſtupenda movent.
Et tamen aſtra timent aliquem conterrita caſum,
Prodroma quæ gemitus non dubitata ferunt.

Ex-

Extra ſolus homo ſecura mente timorem:
Non timet aſtra, vel hunc, qui regit aſtra, Deum.
Signa fuere joco multis deriſa frequenti,
Crede mihi, riſus flebilis ille fuit.
Nam riſum ſemper Sardoum pœna ſecuta,
Incautóſque fere damna inopina premunt.
Tunc juvat eſſe Dei memorem, cum corpore pendis:
Pœnitet at fruſtra, cum valuere mala.
Qui vis eſſe bonus, diſcas valedicere mundo,
Crede mihi, mundo nil probitatis ineſt.
Eſſe Deum ſtatuas, qui mittat ſigna ſub aſtris,
Ut ſint venturi concio certa mali.
Pallida luna timet cladem, dolet illa ruinam,
Luget jacturam cum pietate ſacri.
Augebunt rerum diſpendia talia ſol, &
Qui ſecuit partes, unde creatus erat.
Hei mihi, quot facient templis incumbere motus,
Impendere ſacra relligione vices.
Ad caudam ventum, ſuperato corde, Draconis,
Aëraque inficiens deſinet eſſe Draco.
Is ſat ore dedit damni, ſat dente momordit,
Quas modo, non vires virus habebat, habet.
Felle gerunt atrum virus, linguaque Dracones,
Sed viridis tantis ruta medela malis.
Tu tamen hic diſcas, qui ſurgis cautior ire,
Neſcis? vis caudæ magna ſubeſſe ſolet.
Inſurgent umbræ multæ, dum nigrior atris
In tenebris falſum ſuggerit ore nigro.
Et quis erit, noctu poſſit qui cernere verum,
Tam mala ſunt tenebris, quam capienda bona.
Nox venit & cum nocte ſimul nigrantia ſpectra,
Horrores animis incutiuntque metus.

Chri-

Christe, die summa properes, & lucis egentes
Firmes, qui vero lumine lumen habes.
O bone Christe veni, tenebris imponito finem:
Ni finem facies, quis modo salvus erit?

In *Insignia* urbis clar. Saxoniæ *Magdeburgi.*

VIrgine nomen habet, sed pectore mascula forti,
Mascula vi belli, mascula laude togæ.
Virgo tamen viridis commiscet odoribus orbem,
Sæpius hinc multis sponsa petita procis.
Virginitas oculis est acceptissima nostris,
Et propter formam gratia major inest.
Urbibus in reliquis hæc acceptissima floret,
Hoc tua forma facit, mentis & ille decor.
Suavis in incessu potius quæ gaudet amari,
Quam vel terribilis terror & error agat.
Mollis in amplexu virgo, fœcundaque multum,
Blanda peregrinis, officiosa suis.
Considit celsa turri decorata corona,
Quam vis munitam vincere nulla potest.
Est turris Domini nomen fortissima sanctum,
Hoc nomen sequitur, nomen in ore gerit.
Virgo lecta, Dei nostri lectissima sponsa,
Sponsus amat, sponsum diligit illa suum.
Candida sicut odorifero fragrantia flore
Serta parat, sponso non inamœna suo,
Et parat æternam sponsæ sine labe coronam:
Sic redimita Deo virgo decora places.

De *Colonia Agrippina* ad Rhenum.

QUas arces video, cœlumque æquantia tecta,
Quot soles anni, turrigerasque domos?

Hic

Hic ego vel credam cœlum, vel cœlitus eſſe
Hæc ſuperum magna mœnia ſtructa manu.
O vere rerum capitis Latiæ æmula Romæ,
Inde tuus civis nempe colonus erat.
Salve magnanimæ cultæque *Colonia* Romæ,
Et vos inviſi relligione lares:
Ingentes arces ſalvete, palatia magna,
Roma Palatinis æquiparanda tuis.
Quæ vetus hoſpitium præbes Academia Muſis,
Fratribus at Jeſu facta ruina malis.
Ex tribus urbs, quarum Germanis maxima fama,
Quas Hiera, Bruno, Tibricolisque dedit.
Laus mihi magna urbem fuerit vidiſſe potentem:
Retia ſed fratrum luſa fuiſſe ſalus.

Epitaphium FRANCISCI PFEILII, J. U. Doctoris clar. urbis Magdeburgi Syndici, Senatoris & Scabini optimi.

HOc cubat in tumulo *Franciſcus Pfeilius* ille,
Cui tot nominibus gloria parta bonis.
Parthenia ad fortem, qua non præſtantior, Albim
Antiſtes juris floruit arce ſacer.
Cæſare honoratus titulis & honoribus auctus,
Quos capiunt magni nobilitate viri.
Hunc queritur raptum Themis, & ſacer ordo Senatus,
Hunc Muſæ, pietas, plebs, populusque dolent.
Dignus in æternum tali qui viveret arce,
At nunc æternum vivit in arce Dei.

De Aretalogo Virunenſi divite.

INgens Artocopum rabulis eſt copia blandis,
Vix Artopta Diis una relicta novem.

In Aſilum quendam Hallenſem.

QUi pecorique gregique nocens non parcit Aſilus,
An quæſo parcat vatibus ille bonis?

In Deſultorem.

UTeris Amphippus belli ſub ſtrage duobus
Cautus equis: tuus eſt omnis amicus equus.

De Bacelo Barbato ἐκ τῆς σπουδῆς.

QUod mento villus concreto pectore pendet,
Deberi ſimulas hinc tibi primus honor.
Aruncum fateor bardum, qui primus in hircis:
Sic ſi barba ſapit, doctior hircus erit.

De theſauris ſuis.

TE facile ad capſas vacuas admiſero noſtras,
Non hic theſaurus: res pretioſa libri.
Tu, qui divitiis magnis opibusque ſuperbis,
Capſam per Muſas exonerato tuam.
Et mea ſic vires amiſſas capſa reſumet,
Te cum divitiis tollet ad aſtra tuis.

In Analeſiam, furoris matrem.

PHlegmate quæ claros Analectos peſſima perdis,
Non es Pandora, ſed ſtygis orta vadis.

De Amore.

NOn Deus, ut perhibent, amor eſt, ſed amaror & error,
Teſtis erit miſerum qui colit ille Deum.

Ad *Ageronam* contra *Murceam.*

DUm virtutis erat Romæ venerabile templum,
Et gradus ex Divis primus honoris erat:

Tum

Tum tua florebant, Dea, numina fausta laborum:
Nunc tantum Murcis stat sua culta Dea.

In male sibi conscium.

OMnia mens metuit, quæ mens sibi conscia pravi,
Qualis mens hominis: talia facta timet.

Ad Sodalem de Epigrammate immaturo.

NOx aderat, suadentque cadentia sidera somnum,
Sed mea membra gravi cassa sopore jacent.
Ne tamen opprimerent curæ volitantibus umbris,
Hæc animo fudi gratificante tibi.
Censuris forsan trutinabis verba molestis,
Mordacique prius vis ea lota mero.
Sis bonus, & tenebris Argus nigrantibus errat:
Sint tibi grata tamen: scripsit amica manus.

Ad Rubeum.

ME multum laudas per sesquipedalia verba,
Virtutes referam rursus, amice, tuas.
Sic faciam: plebs & populus quo noscat utrumque:
Hinc eris egregius tu mihi: ego eximius.
Doctorum quanquam grege sis removendus ab omni,
Nos magis exigui, quam *Rubee* eximii.

De Alazonia ad Philodoxum.

ALta petis, quia dulce putas præcellere cunctos,
Sed me delectant, quæ tabulata vocas.
Alta ferit fulmen, perflantur turbine magna,
Tuta sed in plano sunt tabulata loco.
Alta nimis fugias, subitum minitantia lapsum,
Et requiem quæras sub tabulata meam.

Symbolum *Julii* in expeditione contra *Pompejum* iſtum τῆς σπονδῆς.

ALea jacta tuis rerum ſors improba fatis,
Dirige conatus per mala tanta, Deus.

In *Angelum Janum* adoleſchum.

PLurima verba facis, veri nec cura vel una:
Dum ſic verba facis, non dare verba ſoles?

Philodoxorum in ſtudiis fortuna ſ.

SI quos in ſtudiis induſtria pulcra fatigat,
Obverſa Satanas Gorgone ſaxa facit.
Implicat inſanum laudis melioris amorem,
Ingeniisque facit ſæpe perire ſuis,
Et dementatos obliquo tramite ducit,
Donec ad infernas præcipitentur aquas.
Sic quæ pompoſis præcedere paſſibus optat,
Magna ſalebroſum gloria vadit iter.
Gloria non præeat, ſed facta notanda ſequatur,
Maxima ſed culti pectoris, eſſe pium.

Ad Vitiligatorem nigrum.

CArmina nata refers mea non regione latina,
Quod Charites abſint, abſit & alma Venus.
Ingeminas igitur naſo criſpante cachinnos,
Et velut ex ſpecula deſpicis iſta niger.
Eſt verum fateor: ſed quis ſibi talia ſumat,
Dum magis Idalia longa cicuta placet.
Ut quondam triſtis curas lenibat Achilles,
Quique erat ingenio læſus ab ipſe ſuo:
Sic quoque Calliope curas, pellitque veternum,
Quem περὶ τῆς σπονδῆς turba profana facit.

Ao-

Aonidum quærens aliquod medicamen in hortis,
Plectra levamenti si quid habere queunt.

In nostrum Seculum misomusum.

SCribimus indocti doctique poëmata passim,
Ponimus & vitæ atque caligo nigra.
Impune erramus, quis enim, qui talia curet,
Qui referat vati præmia digna, quis est?
Sic venit ex vitio vitium, mala denique regnant,
Pulsaque barbaries insinuando redit.
Cum favor heroum plectris astaret, honores
Serta darent, aurum promeret arca Ducis:
Tunc lætus vates animo deducta sereno,
Tempore & apta loco, carmina docta dabat.
Nunc sordent artes, Momus calet, alget Apollo,
Cum Musis vates nomina magna premunt.
Reddite carminibus sua, reddite digna poëtis,
Carmina tum vestro digna favore dabunt.

LIBER QUINTUS.

Magnificis D. D. LAMPERTO Patri, *Cancellario* supremo, & CHRISTIANO Filio, DISTELMEYERIS, *Consiliario* illustrissimi & potentissimi Principis Electoris, Marchionis Brandenburg. JOHANNIS GEORGII, Ducis Prussiæ, &c. Jureconsultis nobilissimis & clariss. Mæcenatibus suis benignissimis S.

SIc, o maxima vos duo paterni
Cœli lumina, qua polum gubernat
Arctoum vigilantiore cura,
Cui vos consiliarii, *Suevus*,
Dum paret placidis *Havelus* ulvis,
Et quercu *Viadrus* gravisque botrii,
Et qui turriger ornat *Albis* orbem,

 For-

Fortuna valeatis ampliore,
Aſpirante ſalubrioris auræ,
Excluſo Boreæ furore, flatu:
A rebus gravibus remiſſiore
Si vultu legitis parum venuſtos
Deductos calamo levi cothurnos:
Nec ſub pondere grandiore rerum
Triſtes negligitis boni Camœnas,
Quæ veſtras recinunt ſubinde laudes,
Et per ſidera prædicant celebre
Nomen littus ad ultimum remota.
Sic conatibus omnibus favorem
Optant ſorte benigniore, notum
Extrema regione, promereri.
O hac proſperitate dignus eſſem.
Non tanti mihi mala pulcriora
Hortis Heſperidum forent ſororum,
Nec quæ vellera Phaſidos profecta
Colchis aurea ab amne ditioris,
Sic parvæ ſtipulæ ſuus rediret
Quo fraudatus honor, valente fluctu
Undæ cum gemitu minacioris.
Et tanquam Zephyris aquis ſecundis,
Quorum veſpere frigidæ premuntur
Contactu nivis acrioris auræ,
Dum candente gelu ſolum reſolvunt,
Eſt certus canor in gravi ſuſurro,
Motu ſibilus & ſub inſonante:
Sic etſi mihi fluctuum procella
Hoc fato variis viis moleſta,
In vitamque meam, caputque preſſum,
Quotquot ſub ſtyge ſibilant furores,

Con-

Conſpirare plaga gravi videntur,
Et ſub turbine ſpiritum protervo
Includit facie ſeveriore.
Qui ſors res hominum levis gubernat,
Dum cladem irreparabilem ſiniſtro
Cœptis omine frigidis minatur,
Donec vita tamen mihi ſuperſtes,
Et ſub corpore mens meo manebit,
Dum vis & genius bonus favebit,
Dictabitque mihi Camœna verſum,
Quem Perſeius approbetque Triton,
Vos cantabo ſonantiore plectro,
Et grandi memorabo vos cothurno,
Heroo referam modo, patronos.
Qui ſub nomine clariore ſolis
Magni Principis eſtis os, ocellus,
Pectus, cor, humeri, latus, voluntas,
Tellus Marchica quo modo ſuperbit.
Vos ſaltem facilem probate vultum
Huic quamvis tenui meo labori,
Quem grata volo mente conſecratum
Vobisque auſpiciis bonis dicatum,
Non facundia forſitan minutis
In culmis retonabit alta noſtris,
Et parvis tamen eſt locus relictus
In regalibus atriis polorum,
Conatusque licet nimis tenelli,
Dum recti modo pectoris fatentur,
Arridere ſolent potentiori
Interdum, area magna quem celebrem
Aulæ numine gratiore jactat:
Pro noſtro modulo parata thura

Non

Non parvo ferimus labore, nata
Non in ſuavigenis odore plenis,
Panchæisve ſub arduo calore,
Sed quos Pieris educavit, hortis,
Quæ ſunt grata Diis meis futura:
Cum majora dabo, redibit hora,
Hic ibo altius, & ſubinde ſurgam
In laudes utriusque clariores.
His exordiar auſpicata geſta
LAMPERTI, memorata vel Garumnæ:
Dicam, lumine Marchici penates
Quantum præſidii ferant ſub illo,
Inprimis ubi perluit *Viadrus*
Colles flumine fertiles racemis,
Quanto cum ſtudio juvet Camœnas,
Et craſſis revocet modos tenebris:
Quo patrocinio tegat beatam
Prolem, cum Themide inclita ſorore,
Quam ſit Pæoniæ levamen artis:
Quod ſub turbine rectitudo veri
Et pacis maneat ſuperſtes iſto,
Totum conſiliis tuis id eſſe
Dandum, Marchiacos lares honore
Hinc præcellere cœteros ſupremo.
His addam eloquii tui nitorem,
Quo flectis proceres Deosque magnos,
Qui jam ſceptrigerum regunt *Suevum*,
Et quæ divitiis ſuperbit aulam,
Et quæ multa ſubinde cantat orbis.
Nec te, maxime CHRISTIANE, donis
Tantis ingenii tui ſilebo,
Quod divinus eras potente mente

Scru-

Scrutator ſtudii politioris:
Captatorque boni peritioris,
Aulæ dum decus es potentioris.
Ut leges taceam ſacratiores,
Quas *Baldus* velut alter & *Schraderus*,
Corde amplecteris inclito univerſas,
Quod, nondum juvenem, legit probatum
Te, te conſiliarium *Suevus*:
Quod nomen tribuit viri potentis,
Quales nobilitate ſunt ſuperbi,
Aut qui conſiliis bonis celebres
Nunquam, numinis inſtar elevati,
A magni facie Ducis recedunt.
Quæ ſit ſpes quoque temporis futuri:
Quando duxeris ad thorum jugalem
Nobilem, niveam, & nurum pudicam.
Hæc plectro referam modisque doctis.
Sic vos carminibus meis nepotes
Longa poſteritate proſequentur
Seris laudibus, & legent ſepulcris
Ex lauris, hedera & roſis coronas.
Et veſtris meritis feretis illos,
Quos Hetruſcus eques ſub urbe, fructus.

Magnificentt. V. V.

Addictiſſimus
Nicolaus Leuthinger. M.

Libido punita in Laconicis.

Ad ampliſſimos & prudentiſſimos Viros, Dominos *Conſules, Conſulares, & reliquos Senatores urbis Bernaviæ*, ſtudiorum Mæcenates, Dominos ſuos benigniſſ.

URbs erat inſignis ſupra ſinuoſa fluenta
Eurotæ, vario tellus quem flore coronat.

Nnn nnn nn Edu-

Educat hic laurum ſacram, numeroque frequenti
Ad ripas plantat Daphne, quæ frondis honorem,
Seu fera perſtet hiems, ſervat, ſive ardeat æſtas.
Hic ſua fatidicus quondam meditatus Apollo
Carmina, quæ lauros Eurotas diſcere juſſit,
Et dare fœcunda telluris voce colonis.
Sic præter magnam redimitus labitur urbem,
Quam Spartam veteres olim dixere coloni.
Ampla viris, cenſu præclara, aſperrima bellis,
Imperium Argoliæ quingentis Martia ab annis
Quæ tenuit, donec virtutibus inclita, rebus
Et ſatiata ſuis, Veneris nec trita voluptas,
Et Lacedæmoniæ legis rigidiſſima jura
Inviolata manent, ſanxit quæ cura Lycurgi.
At faſtiditas illas & numina ſpreta
Quot triſtes formæ infinitaque monſtra ſecuta?
Non hic vis belli, vel ſors, vel Juppiter ipſe
Jure impendentem potuit prohibere ruinam.
Tanta eſt fatorum vis, legum tanta poteſtas:
Quæ ſemel in cœlis placuerunt, nemo retractet.
Plectanturque, quibus nihil eſt ſanabile mente.
    Jura fidemque ſequi docuit mortalia corda
Rerum humanarum divinarumque poteſtas,
Præpoſuit reliquis proceres, qui fiat honeſtum,
An minus, id videant, trutinæque examine penſent.
Quique ſciant premere, & laxas dare fœdere habenas.
Sæpius hinc mutant huc illuc pectore curas,
In partes animus varias deducitur omnis,
Quo præeant aliis exemplo juris & æqui.
Si fit, ut accuſet miſeros injuria triſtis,
Ut faſtus, multisque obnoxia crimina ſannis,
Eſt Deus in cœlis, qui cernit & omnia plectit,

Et

Et non cœcultat vindex albugine craſſa.
Exemplum vivum tibi vel Lacedæmona credas.
Inde duo juvenes, claro de ſtemmate nati,
Ad pia feſtinant Leuctrorum mœnia compti:
Plus probitatis agris ferme, quam mœnibus altis.
Urbis erat *Schedaſus*, qui ſtirpe creatus honeſta,
Conſors, non alius melior, nec amantior æqui,
Infelix qui non dederat fortuna virilem
Prolem, ſed tulerat præſtanti corpore Nymphas,
Quales Æmoniis vix urbibus eſſe videres,
Inſignes ambæ, vix pubeſcentibus annis.
Vernans vultus erat ſine ruſticitate pudicus.
Qualiter orta fretis aurora rubeſcit, & Indum
Si quis ebur pictor Serrhano murice tingat:
Talis erat teneræ ſpectata modeſtia formæ.
Indole quæ Phœbe, præſigni veſta pudore,
Ipſa Charis vultu, Venus ore, manuque Minerva,
Divitior forma, quales audivimus olim,
Najades & Dryadas tacitis incedere ſylvis,
Quis referat blandos oculos, vultusque decoros,
Æmula ſideribus cœli quæ lumina certant?
Talis in ore decor, roſearum tanta genarum
Gratia, ſit Cypris docta cum Pallade teſtis.
Omnis in his ſtabat grandævi cura parentis.
Vix oblitus erat præreptam morte maritam,
Omnis quæ curæ fuerat caſusque levamen.
Et jam fata malum reparant: o ægra ſenectus,
Millibus expoſita ærumnis vitæque nocivis.
Sed dolor hic omnes ſupra, qui prole profectus
Inducit luctus atram ſub pectore nubem.
Sic bene quis peragit juvenilis tempora vitæ,
Et trahit aſſiduis curis lacrimisque ſenectam.

Sic dubias ſortes fatalia ſecula volvunt,
Inque vices varias partitur tempora cœcus
Fors, qui res hominum ſtabilit, qui cuncta gubernat,
Atque jubet lætos, caſus ſperare dolendos.
Sed mundi diſcat curſum, cui vivere mundo
Eſt volupe, & blandis mundi lætetur acanthis.
Accidit, ut *Schedaſum* tum regia celſa teneret
Cadmi, poſcebant ſic certa negotia rerum.
Spartiadæ interea communia tecta petebant,
Pro pretio hoſpitii repetentes munera juſto.
Quam mala ſæpe latent ſub amico nomine corda.
Quid facerent inopes mentis, plenæque timoris,
Quas & nobilitas juvenum, & quas Sparta movebat.
Excipiunt igitur blande, pro ſorte benigne
Tractantes, mediisque parant convivia tectis.
Accumbunt juvenes ſimul innuptæque puellæ,
Sollicitum vario tempus ſermone trahentes.
Veſcuntur, capiuntque extenſo ventre Lyæum,
Non quantum natura jubet, ſed cœca libido.
Hei mihi, quam multos vinumque Venusque feſellit.
Dum Venus in vinis nihil heu moderabile ſuadet.
Dumque Cupido levis, folii ventoſior alis,
In tacito male cuncta, ſed exitialia tentat.
O epulas triſtes, quæ funera tanta puellis
Maturant, adeo non hoſpes ab hoſpite tutus:
Nulla bonis adeo reſtat bona gratia factis.
Dum ſic accumbunt menſæ, dum corpora curant,
Accedit Cypris, nullis medicabilis herbis,
Incendit juvenes, atque oſſibus implicat ignem,
Non ſecus ac flammam ſi quis ſupponat ariſtis.
Inſpiciunt, nequeunt expleri corda tuendo.
Forma ſine Anchuſa malis, pulcrique capilli,

Ver-

Verba placent, & vox, & quod corrumpere non est,
Quod prius expertum non est, hoc urget & instat,
Lætarumque cupit rerum experimenta probata,
Nec se continuisse potest, non amplius ora.
Hei quam difficile est animum non prodere vultu.
Jamque Venus vincit, nequeunt satiando repleri,
Nec cohibere suæ vivæ primordia vitæ,
Jamque ignes intrant victores viscera cordis,
Mirantur niveasque manus & eburnea colla,
Et radiis oculos æquantes lumina Phœbi.
Quos nec Amycleis præferret diva puellis,
Quæve Micæneis avecta penatibus olim.
Sic pudor ex glaucis, sic gratia lucet ocellis,
Quo mage mirantur, magis accenduntur in illis.
Consilium ergo parum versant in pectore honestum,
Innuptum violare parant stuprando pudorem.
Sic epulas aliis instructas sæpe paramus,
Nobis infaustas, nostrisque penatibus escas.
Postquam exempta fames igitur, mensæque remotæ,
Crateras statuunt magnas, & vina coronant,
Spem vultu simulant curis ingentibus ægri,
Sæpe propinantes flagranti mente puellis
Pocula, quæque bibunt, lambunt hac parte labellis.
Sæpe pudicitia est per vinum ablata puellis,
Cum pudor & probitas teneris abducta lacertis,
Et Venus in vinis ac ignis in igne calescit,
Tunc quoties bibulas sparsere cupidinis alas
Pocla, quot illa sibi fecere caloribus aptas
In Venerem fractas enervo corpore matres.
At pudor hic roseus radiabat lumina vultus,
Castus erat sermo, modicusque, nec ulla ferebant
Indicia affectus, quo cum pugnaret honestum.

 Jam-

Jamque fere mediam cœli nox humida metam
Contigerat, ſuadentque cadentia ſidera ſomnum,
Et placido laxant jam membra ſopore puellæ,
Cum cincti gladiis ſurgunt de nocte latrones,
Audentes inſigne nefas, auſoque potiti
Ad Venerem properant ſcelerato mentis amore,
In thalamum aſcendunt,quid non amor improbus audet?
Poſtquam introgreſſi, & coram data copia fandi,
Et preſſere thorum, major ſic pectore cœpit:
  O Dea, quà reſidet terris vix pulchrior ulla,
Parce meis votis, precibusque ignoſce cupitis.
Non veni veſtros ferro populare penates,
Aut ferus in raptas pulcerrima vertere prædas
Corpora, non animis eſt tanta ſuperbia noſtris:
Aſt ego, qui valida trajectus corde ſagitta,
Huc venio, immenſi ſtimulis agitatus amoris.
Quid mea? purpureo vultus ſuffuſa rubore.
Ingemis? & veneres omnes quid abominor, inquis?
Ecce tibi juvenis cedendi brachia pando.
Quot te, ſi pateris, capient hac gaudia nocte,
Gaudebit ſylva, exultabunt mollia prata.
Nobilis ecce tibi ſervæ ſuccumbo precando,
Nec minus ipſa mihi formam natura negavit,
Sunt humeri validi, membrisque medulla ſupinis,
Fors mihi divitias & contulit aurea tecta:
Princeps præcipuo patriæ de ſanguine natus,
Experiare ſemel, ſalient tibi pectora votis.
Nec ſemel inde ſatis, votis jam mille placebit,
Cuſtos eſt nullus maturi villicus horti,
Nox ſecreta manet, ſunt alta ſilentia rebus,
Ludamus ſoli ſolis impune puella:
Sic legitur radix, de qua flos melleus exit,

Ipſa

Ipſa Lacæna dedit ſua munera ſæpe petenti,
Vim patitur Phœbe, talem quoque paſſa Diana,
Detinet occultis Heros cum Latmius antris.
Et Dea quæ? flores quæ non guſtavit amorum,
Solane tu Veneris dulcis non præmia noris?
O quoties natam ſectatus Juppiter ipſe?
Quid nos mortales, miſeri, terræque propago?
Quos ſæpe una dies producit, & altera perdit?
Quid non vivamus, dum vivere præcipit ætas?
Quid rudis ad furtum veneris, quid neſcia rerum?
Quid non gnara boni ſemper pugnabis amore?
Aut ſcoria formoſa voles tabeſcere triſti.
Hæc ætas Veneri, tacitis aptiſſima ludis.
Forma bonum fugiens, momento abſumitur omni,
Quam breve, quod violæ, quod candida lilia florent,
Quam cito, nos miſeros, pallebunt ora ſenecta,
Cum rugis venient longæ faſtidia vitæ,
Et facies corpusque actis vitiabitur annis.
Ergo quid renuis rigidas imitata Sabinas,
Quod minime renuit croceis aurora capillis?
Da modo, ſupponam formoſo brachia collo,
Oſcula fer, Phœbo fert qualia pulcra Diana.
Hic interpellans quærentem dicere plura,
Qui minor, atque pares perceperat oſſibus ignes.
Nec jam ferre ſui poterat tormenta doloris,
Ac deſiderio longo ſic ora reſolvit:
O Dea, juſſit amor, noſtri miſerere furoris,
Pulcra precor, miſerere, potes namque omnia, noſtri
Diva potens, animoque meisque quieſcito votis.
Non lectus luctum, ſed gaudia lecta miniſtrat,
Nos ut idem tectum foveat, conjungere lectum
Quid vetat, & dormire ſimul volitantibus umbris?

Ex-

Exercere choros tacitos, & quærere vitæ
Gaudia? ſic melius per prata virentia noctu
Itur, & his flores carpuntur vallibus imis,
Decerptique favis aſpirant mellis odorem,
Dum ſimul in molli floreſcit amaracus umbra.
Sic Diana capit vires, grandemque pharetram
Exonerat Phœbus telis per nubila miſſis.
Per Cyprin juro, puerique volatilis arcum,
Tacta forent utinam rigidis mea membra cicutis,
Quam non fortunam & ſequerer veſtigia patrum:
Diva potens, mea lux, & me mihi carior ipſo,
Ne viola lacrimis faciem, neu ſcinde capillos,
Ne geme, nec clames, amor eſt mihi cauſa petendi?
Dum conceſſa Venus valide me territat igne,
Abſit ſuaviolum, quod ſim tibi cauſa doloris,
Per tibi Dyctinnæ præſentia Numina juro,
Quod ſine te terris, ſit durum vivere cœlis.
Quid juvat at tanta tam dura ſuperbia forma?
Præter te nemo ſtimulos cohibebit amoris.
O me, cum ſervare potes, ne perdere malis.
En ego luctatus fruſtra, ratione furorem
Vincere non potui, ſupplex hinc ſtrata ſaluto,
Sollicitaque peto confiſum voce favorem.
Sprevit Anaxaretes humili de ſtirpe creatum
Iphin, qui nodum lethi trabe nexit ab alta,
Et collo mortem contorto fune petivit.
Hanc cito ſed Nemeſis cœleſtis & ultio cepit,
Ut vidit funus, moribundos occupat artus,
Quod fuerat rigidum jam pridem corpore ſaxum.
Servat adhuc Salamis Veneris ſub nomine ſignum,
Hic Iphi majus clara Lacedæmone natus,
Ortus principibus patribus, quæ gloria magna,

Huic

Huic desiderio faveas mea cura, meum cor,
Atque meis votis jungas tua vota, nec ultra
Me sperare sinas, quod possim rectius uti.
Diriguere oculi, jam toto corpore sanguis
Fugerat inducto tristi pallore, loquendi
Jam vires desunt, excussa lupi ore frementis,
Ut tremit agna pavens, sylvis quæ saucia fugit.
Sed tandem vires repetunt, animumque resumunt,
Fata vocant, tædet cœli convexa videre,
Nec blando quidquam aut longo sermone moventur,
Non secus ac lecto jaceat Marpesia cautes.
Saltem inter sese clamant, via nulla salutis
Sese alia obtulerat, patremque vocant oppressæ:
Quæ sumus ossa ex osse, tuoque ex pectore pectus,
Optatam fer opem, genitor carissime, natis.
Virginitate frui prohibet furiosa libido,
Extremam fer opem, en in nos ruit impete vasto
Infrendens hostis casti sceleratus amoris,
Vincimur insidiis & vi, neque corpore primæ
Sufficiunt vires, sed non conatibus ægræ
Succidimus, nec eos sperata eventa sequentur.
Inviolata fides manet inviolata pudoris.
Ibimus in casus potius constantius omnes,
Subveni, opem si ferre potes, pater, ecce perimus,
Viscera nostra, tui lacerantur atrociter artus,
Devorat ipse dolor guttas immensus obortas.
Inde Deosque vocant hominesque, nec obtigit ullum
Auxilium, frustra dum tendunt brachia cœlis.
Quo magis hæ renuunt, magis urit flamma medullis,
Ut facibus sepes ardent, sic pectore toto
Uritur, atque ignis vires assumit eundo,
Ut magis urget amor, crescitque dolore repulsæ,

Sic tamen & precibus malunt, quam viribus uti.
Sed pudor & pietas raris virtutibus obſtat,
Læſa pudicitia eſt nulla reparabilis arte,
Ergo inſtant pretio, diris mucronibus inſtant.
Et moriamur, ait major, quam copia fiat
Noſtri, de nobis aut parta tropæa feratis,
Stat caſus tolerare omnes, quod prodere honeſtum,
Quam temerare fidem, & ſceleratis cedere votis.
Et moriamur, ait, ſed non moriemur inultæ.
Si vim, ſi ſuperi crudelia facta videtis,
O ſitis noſtri memores, ac vertite cladem
Ac omnes furias contra matresque nurusque
Spartiadum, atque domos diris impellite cunctis,
Qui tot ſævierint in nos furialibus auſis.
Alecto ſtimulos in eos, acuatque furores,
Conciliumque omnemque domum pervertat Erynnis,
Tiſiphone parcat nullis accincta flagello,
Obruat armorum numero feralis Enyo.
Impuris caſti templis ſecedite Divi,
Adſint monſtra, nigro quotquot Phlegetonte feruntur,
Sed vix deſinitur, ſuperat cum cœca libido,
Et vis cuncta ſibi & violenta potentia ſumit.
Nec jam reſpicitur Numen, vel quod ſit honeſtum,
Quod velit affectus, ventrisque incendia rectum,
Quod vires audent calidæ moderabile ſolum.
 Ergo conſiliis ſceleratis itur ad arma,
Itur in horrendam cædem, lethalia mortem
Præſentem tela intentant, præcordia ferro
Rapta puellarum rumpunt mucrone cruento,
In puteumque altum diſſecta cadavera mittunt.
Improbe amor, quid non auſis furialibus audes?
Nemo relictus erat, foret ut quærentibus index.

Sed vigilans animal Domino multumque fidele,
Unus erat catulus, cædis spectator acerbæ,
Qui putei custos hululans lugebat ad umbras,
Et quod erat vitæ reliquum, sibi triste putabat.
Plus rationis inest brutis mortalibus ipsis.
  Agnovit longe gemitus præsaga mali mens,
Patris canities ad martia mœnia Thebæ
Agnovit voces querulas, cum strata sopore
Languent membra, quies & mens sine pondere ludunt,
Sæpe puellarum querulo simulacra pudica,
Vestes, incessus, vultusque sonusque loquendi
In mentem veniunt, & consuetissima quæque
Audit, care pater, fer opem, pater ecce, perimus.
Nititur at frustra votis succurrere longis,
Et pugnam simulans vano sudore laborat.
Hinc Morpheus varia sub noctis imagine ludit,
Plurimaque inducit veros narrantia casus.
Sic natura monet crebro per somnia vera,
Læta vel adversa eveniant mortalibus ægris.
Ille mihi sapiet, qui multum somnia versat,
Cum veras æquant narrantque imitamine formas.
Quisquis is effugiet vitæ dispendia multa,
In casusque omnes monitus constantius ibit.
Sic tota *Schedasum* vexabant somnia nocte:
Sanguineæ afflicto stillabant corpore guttæ,
Tecta videbantur bene firma ruentia in unum,
Nunc multo gaudens risu succedere tecto.
Tectum intus nigrum, tenebræ, feralia cuncta.
Quæsitas toties nusquam apparere puellas,
Sola inhumatorum cinerum comparet imago,
Crudeles gladii, trajectaque corpora ferro:
Ipse videbatur tædas celebrare jugales,

Exercere choros, & gaudia ducere lecti,
Rhombos cum turbis, haſtis, armisque videre,
Atque alia horrorem gelidum incutientia ſomno.
Ut lux alma datur, ſolvuntur frigore membra,
Et mala concipiens animo, mala cuncta timebat.
Jamque domum properans, ut triſtia tecta ſubibat,
Occurrit primum ferali carmine bubo,
Culminibus viſus funeſtas ducere voces.
Omen triſte viro: tamen anceps limina calcat.
Mœſtus & extinctas querulo ſermone requirit
Natas, quas tantis curis eduxerat ambas,
Has ſolas poſcit fremitu gemituque frequenti.
Spemque metumque inter dubius, ſeu vivere credat,
Sive extrema pati, jam non audire vocatas,
Conſpicit ut catulum huc illuc diſcurrere triſtem,
Non mihi vana, refert, viduo veſtigia monſtras,
Nil fit in occultis, in apertum proferet hora,
Utque ſuper puteum cubuit, renatare profundis
Diſſectas ſenſit natas, lacrimansque gemensque,
Attonitus *Schedaſus* tantæ mœrore ruinæ,
Concidit exanimis, toto palletque ſub ore.
Gurgite mox facies pleno promanat, & alto
Perpulſat gemitu turbarum murmure pectus.
Sicque diu pavidus ſimul, & cum voce colorem
Perdiderat, tandem dictis ſic fatur amicis:
O dilectæ animæ, deſcriptaque nomina corde,
Natæ, ubi forma virens nivea ſub fronte, ſerenans
Ille decor, dulcisque oculorum aſpectus & oris!
Viſcera Letheas video mea nare per undas,
Quis tam crudeles optavit ſumere pœnas?
Cui tantum licuit de vobis, pectora cara.
An non? an blandas audire & reddere voces
Ulterius dabitur? non oſcula figere collo?

Ergo mea in longos abierunt gaudia luctus,
Siccine spes omnis fallit? prærepta voluptas,
Quam pater ex nati suevit sperare salute?
O terra, o cœlum, o finem date fata dolori,
Accipite hanc animam, meque his exsolvite curis.
Sitque mihi una ruina meis, unumque sepulcrum.
Ergone te mater genuit, puerilibus annis
Cuncta ministravit, tantisque laboribus, Hippo,
Eduxit, gemitus mihi quo luctumque creares?
Tuque Evexippe, mea quæ suprema voluptas,
Quæ mea spes fueras, quæ te fortuna peregit?
Non ego sic abiens vos, o mea cura, reliqui?
Quis nunc præstabit solatia firma senectæ?
O quoties, Hippo, summos præstabis honores,
Dixi, defuncto patri, tu lumina claudes
Fracta, Evexippe lugubria serta parabit,
Qualia cupressus vel amara absinthia præbent,
Atque patri impones, qui tete semper amavit.
Nunc nec nata mihi, nec proles ulla superstes.
Quem debebatis mihi, fungor honore supremo.
Hinc salvete mei manes, salvete recepta
Nequicquam frustra, o cineres, umbræque pudicæ,
Annis solus ego consumptis æger oberro,
Quis mihi vel mensam, liquidi vel jura parabit?
Res vere misera est, quæ tristis inopsque senecta,
Jam quoque tabescent mea mortua membra dolore,
Et calor innatus decedet frigore mortis.
O fortuna parens rerum, quo nomine læsi
Te numenque tuum, dum fatis opprimor istis?
Qualia nec genitor mundi per climata vidit.
Fortunas reparare queam, si arriserit hora,
Sed mihi quis faciat superas evadere ad auras

Dilectas animas, poſtquam ſemel aura reliquit.
At quod ſors dederit, firmata mente feramus.
O tandem faciat finem mors læta dolorum.
Vos vero caræ diſſecta cadavera natæ,
A patre, qui vos in vita conſtanter amavit,
Quæ præſtare poteſt infirma ſenecta, feretis.
Hanc deſiderii triſtis tumbam erigo vobis,
Qui thalamum, & thalami ſolennia ſacra parabam,
Nunc tumulum ſtatuo, tumulique noviſſima dona
Sint, roſa vernanti flagrans rubicunda galero,
Et violæ omne genus, cum lauro Spartica myrtus,
Narciſſusque, hederæque, hiacyntho lilia pulcra.
Et locus à vobis æternum nomen habebit,
Dum veſtræ teſtis vitæ, raptique pudoris,
Qui cito ſub pœnam cives Spartamque vocabit.
Vos vero, thalami caſtiſſima pignora noſtri,
Salvete æternum mihi, perpetuumque valete.
Ex hoc vos teneant lætæ ſedesque beatæ.
Fortunatorum nemorum miranda vireta,
Et niveæ Elyſiis accingant tempora vittæ.
Olim tempus erit, cum magno optabitur emptum
Hoſpitii Leuctris ſacra non violata fuiſſe,
Cum campi Leuctrorum ingentes oſſibus albent.
Dixerat, & largo lacrimans imbre ora rigabat,
Certus non aliter niſi morte levare dolorem,
Crudeles queſtus ſaltem, & crudelia facta.
Surrexit tamen, atque urbis conſueta petivit
Spartanæ, ſortemque gemens, fatumque malignum.
Hic erat anguſtum tectum ſublime columnis,
Urbe fere media, Spartani curia Regis,
Quo ſceptra accipere, & primos attollere faſces
Moris erat veteris, multum venerabile tectum.

Hic

Hic Ephori & patres legum cum jure ſedebant.
Hos igitur *Schedaſius*, non uno nomine læſus,
Squallenti barba ſupplex & crine ſalutat,
Et queritur, quæ Spartiadæ crudelitèr auſi,
Et ſub amicitiæ ſpecie, in natasque domumque,
Si lacrimæ, ſi facta pios funebria tangant,
Si pietas, pœnas ſtatuant crudelibus auſis.
Si non reſpiciant miſerum, mortaliaque ora,
At ſperent ſuperos memores fandi atque nefandi:
Sic ait, & lacrimans humectat flumine vultum.
Sed ſolet ut fieri, cedebant jura favori,
Mandantur foliis, quæ non indebita, vota,
Et turbata volant rapidis ludibria ventis.
Exceptus riſu & ſannis, paſſusque repulſam,
Arcetur templis, excedereque urbe jubetur.
Venales Ephori, venalis curia patrum.
Eſt favor in pretio, ſunt omnia libera factu
Divitibus, nemo nummis præſentibus obſtat,
Majeſtasque ſedet Regum corrupta metallis,
Quid faciant proceres alii, pauperque ſenatus.
Appetimus quæſtum, ſine quæſtu nemo juvabit.
Nullus honor virtutis, opum plus munera poſſunt,
Dum ſedet in cauſa judex, corrumpitur ære,
Et ſaltem nummos numerat, ſed numina neſcit.
Ergo judicium eſt hodie modo publica merces,
In quo non leges, ſed ſola pecunia regnat,
Prævalet hinc rabies, morumque licentia creſcit.
Victor abit multum ſcelerato inſanus amore.
Ut vidit, nec jura, preces, nec vota valere,
Ad ſuperos juſtos converſus & æthera cœli,
Ingemit, & duplices tendens ad ſidera palmas,
Diſcedens tales effundit pectore voces:

Er-

Ergo nulla fides terris, lex nulla ſuperſtes,
Tu Deus, arbitrio juſto qui dirigis orbem,
Oro adſis, lethi luctanti turbine in ipſo,
Quod peto, nec fruſtra patiaris abire per auras.
Interrupta ſonis hærent mea verba palato,
Hoc dolor immenſus facit, ore & pectore obortus.
Tu vero exonera mentem, placabile Numen,
Exige pro meritis pœnas ultricibus iris,
Exemplum capiat mundus, nec Numina temnat,
Cuſtodes ſacri nemoris, caſtique pudoris.
Adſit Tiſiphone, quæ palla cincta cruenta,
Inſultans ſontes quatiat noctesque diesque,
Sic ſub odoratis pendebunt exta coronis,
Corniger intactus libatas ibit ad aras.
Dixerat, ut triſtis ſublimes præterit ædes
Nobilium, quorum in natas ſcelerata cupido
Et vis ſævierat, ferrique licentia inulti.
Dum gemit, ex tecto lotio perfunditur alto,
Vexaturque ſenex usque ad munimina portæ,
Major ibi ſurgit propter ludibria luctus.
Aſpice, ait, cœlum, ſit quanta ſuperbia Spartæ,
Vos eritis teſtes mihi ſidera, Phœbus, olympus,
Quæ patior, cauſaque valens, triſtique ſenecta.
O Lacedæmonio tellus habitata colono,
Quas mihi, quas pœnas dabis, ut ſpoliaberis hoſte,
Præcedit veſana ſuperbia pone ruinam,
Nec tibi profuerint vires, quæque extulit ingens
Sparta caput, virtus belli, aut ſapientia pacis.
Sic ait, & magno cum fletu deſerit urbem.
Vix dum finierat, cœlis fulgore coruſco
Cum tonuit nubes, ac ignis in aëre fulſit.
Hic vero altitonans dignas Jove concipit iras,

Con-

Conciliumque vocat magnum, mora nulla, Deorum,
Oraque connixus ſceptro indignantia ſolvit:
Odi Spartanos æquatos nubibus altis,
Non bene fert vires regnumque immenſa poteſtas,
Et quas cepit opes, male abutitur, aſpice late
Luxuriem pubis, cenſumque in damna furentem,
In pretio virtus olim, nunc improba regnat
Nequitiæ mater, fractæque licentia vitæ:
Improba ſcorta placent, quæ ſunt exſectaque ferro,
Viſcera in Idaliam franguntur, & omnia ſordent,
Quæ natura jubet, vel quæ ſunt legibus æqua.
Mens cum ventre ſimul licitis inimica lacertis
Approbat impuris incendia turpia factis.
Pro caſtis Drauci gignuntur in urbe mariti,
Hinc eſt primus honor Pathicorum cum Catamitis,
Tranſit & in ſexum peregrinum maſculus ales.
Quis mihi naturamne marem aut feciſſe maritam
Dixerit, Androgynis ſcatet orbis & Hermaphroditis,
Turba ſepulta mero, gulaque ingenioſa potentum.
Hic regnum faſcesque rapit, qui crimine gaudet,
Regis ad exemplum populus componitur omnis,
Juſtitiæ prior illa fides modo rure receſſit,
In vanas abiere vices pietatis honores,
Inſontes nigros, ſontes niveosque lapillos
Accipiunt, multum in miſeros injuria creſcit,
Hinc populus cum Rege luent, erit una ruina,
Ædificant ſedes, ædesque ad ſidera tollunt,
Scilicet ex miſeri damnis, ſudoreque egeni.
Ilicet ignis edax jam jam conſidet in illis,
Affectus ſtatuit, ratio mox approbat illud,
Hinc prece deflectunt vero de tramite matres:
Corrumpunt pretio addictasque datasque pudori:

Sæpe minis etiam expugnant timidiſſima corda:
Pro libitu utuntur, rapiuntque cupidine nymphas:
Ut quoque triſtitiam triſtem ſibi contrahat æther.
Perdendi ſunt Spartani, per flumina juro
Lethea, & ſceptrum, cœlo quod dirigit orbem.
Confremuere omnes, votisque ardentibus illa
Depoſcunt auſos, ut pœna vindice dignos:
Hinc fors, ex Maja nato præcone, vocatur,
Cui Deus altitonans, rerum cui ſumma poteſtas:
Fors, muta vultum, fatumque in bella parato,
Spartanosque cie, infernis da funera regnis,
Omnia, quæ tribui creſcentibus arcibus, odi,
Muneribusque meis iraſcor: ſed mihi certum
Tollere humo inviſos, & ſanguine paſcere ſaxum.
Thebanos cerno gradientes Marte cruento,
Jam fragor armorum noſtras circumſonat aures,
Spartiadis venient ſubito bella, horrida bella.
Dic Stygio nautæ, qui flumina nigra Charonti
Servat, ubi vaſtam Cocyta eructat arenam,
Et ferruginea ſubvectat corpora cymba,
Non ratibus poſthac animas traducere poſſe,
Claſſe opus eſſe, tot emorientia funera ferri.
Continuo clades hominum, venturaque damna
Auſpiciis patuere Deum, jamque ore cruento
Deformis Titan lucem caligine condit,
Parte alia abſcondit ferrugine Cynthia vultus,
Et lucem ſceleri ſubducit, ſylva moveri
Cœpit, contremuit reſonanti murmure tellus,
Omnia ventorum concurrere prælia viſa,
Quæ ſegetem late gravidam radicibus imis
Eruerent, pluviis crebris ruit ardua nubes.
Et crebro circum auditum eſt hululare ſepulcra

Na-

Natarum *Schedasi* Furias cædesque propinquas,
Thebanas acies jam tum adventare videres,
Et ſpirare animis fortes & naribus ignes,
Omnia nempe vigil cœleſtum cura gubernat,
Atque malum à longo oſtendit, cladem que futuram.
Felix, qui monitus placat prece ſupplice Divos.
Ergo cum ferrent & fata, & crimina Spartæ,
Ut Lacedæmonii exſpuerent ſpolia usque petita,
Ac in ſacrilego penſarent ſanguine pœnas:
Exigit has tandem altitonans miſeratus iniquam
Fortunam *Schedaſi*, dirarum ab ſede ſororum
Evocat Alecto, cui crimina noxia curæ,
Quæ movet infernis tenebris crudelia bella,
Totque capit facies, quot ſibilat atra colubris.
Hanc mittit Spartam, ferat ut nova crimina belli,
Bella manu lethumque ferat, pacemque reſolvat,
Accendatque animos inſani Martis amore.
Jam perfecta furit triſti diſcordia bello,
Stant belli cauſæ, Thebanum in prælia poſcunt,
Signaque ferre juvat, ſonitusque audire tubarum.
Ilicet infandum bellum cuncti, arma requirunt
Martia, fata Deum contra, contra omina fauſta,
Segnius haud poſcunt animisve minoribus illud
Thebani, fortis dum cuncta Polimnius armat.
Eſt locus ad pontum, per luctum nomina cepit
In Leuctris *Schedaſi* ob caras clariſſima natas.
Ignibus hic crebris referunt Spartam eſſe vocatam,
Mox poſtquam lethum occiſos ſeduxerit artus,
Sæpe umbras hululaſſe: dabis Sparta improba pœnas,
Et jam jam venies manes hos victa ſub ipſos.
Hæc juga Thebanus calcabat milite læto,
Huc quoque Spartiadæ, peditumque exercitus omnis

Progreſſi turmis rumpunt clamore ſuperbi,
Vaduntque haud dubiam in mortem, quis funera fando
Explicet? aut poſſit lacrimis æquare cadentes.
Jamque tubam, rauco perflabant cornua cantu,
Extendunt acies, paſſim concurritur haſta,
Turbæ in ſeque ruunt ducibusque & viribus æqui,
Jam ferro ancipiti decernunt Marte feroci,
Sed cauſa melior Thebanus & omine fauſto.
Stant acies, hæret pede pes, denſusque viro vir.
Spicula vibrantur, cœlumque obtexitur umbris,
Utraque pars dictis virtutem accendit honeſtis.
Et nunc ex æqua ſtabat victoria parte,
Usque adeo cœlis infauſtam emittit Erynnim,
Adverſos ventos Spartanis vertat in ora,
Atque animum & vires frangat terrore profundo,
Regemque occidat, præfractaque tela cruentet.
Tum demum fugiunt monſtri formidine victi
Spartiadæ, obliti legum & quod ſuadet honeſtas.
Nec vis quidquam animoſa poteſt, namque obruit æque
Armorum ſtrue funeſta feralis Enyo,
Dux milesve ſiet, Mars & mors parcere neſcit,
Effuſique tenent curſum per littora inermes.
Hic ſed Tiſiphone media inter millia ſævit,
Obviaque infeſtis ſerpentibus undique cincta
Non patitur mentemque manusque avertere præda,
Optataque nequit ſeſe ſatiare ruina,
Pauci, qui mortem effugerent, & munera Martis.
Sic victi haud numero, aut acie, aut præſtantibus auſis,
Nec terrore metuve armorum, & mortis acerbæ,
Ut qui pro patria mallent profundere vitam,
Sed quos non tulerant Divum inclementia ſtravit.
Thebanus ſpolio rapto lætatus opimo,

Extulit ex præda fructus, ex hoſte triumphum.
Sic miles pugnat, verum bona cauſa triumphat,
Et tellus nutrit fœcundas ſanguine fruges.
Qui prius Argoliam victor Spartanus habebat,
Vix jam tecta poteſt & mœnia ab hoſte tueri.
Scilicet ex faſtu & flammis hæc gloria fertur.
Urbs quoque divitiis clara, imperioque ſuperba,
Ferro victa perit, multos dominata per annos,
Nec redit ad regnum Argoliæ, viresque priores.
Ecquid adhuc illude Deo, caſtoque pudori.
Diſcite juſtitiam moniti, legesque tueri,
O proceres, æqui veſtris & civibus eſſe,
Quique oneri cumulatis onus, premitisque jacentem,
Diſcite fatorum auſpiciis melioribus uti,
Ne vos excipiat clades pro pace propinqua.
Eſt Deus in cœlis, hujus veſtigia adores,
Qui facis ex æquo, & caſto ſub nomine vivis,
Eſt gravis ira Dei, cum vires ſumit eundo,
Sontes inſontes æque ſub verbere pœnæ
Punit, & oranti præcluſas obſtruit aures.
Ergo timere Deum diſcas, nec fulmen inane
Eſſe puta, aut vanum, cum juſta exarſerit ira,
Nullus ibi auditus, nec vox, miſeratio nulla.
Aſt ubi relligio in pretio eſt, probitasque valore,
Eſt in flore vigor legis, Themis æqua miniſtrat
Jura fidemque bonam, ne lugeat ulla querela,
Hos ego felices cives vel morte, beatos
In media vita & vitæ poſt funera dicam,
Qui ſine fine Deum puro cum corde videbunt.

De amore ſuo.

Ad ERASMUM SEIDELIUM, J. C. amicum.

VIvere me ſub amore jubes, juvenilibus annis,
Sum juvenis, mihi ſed neſcit amare Venus.
Nam quia præ myrthis, hederisque, virente corymbo,
Ruta placet, merito me levis odit amor.

De AUGUSTO, *Duce Saxoniæ, & Sacri Romani Imperii Electore & Archimarſchallo* illuſtriſſimo & potentiſſimo, Thuringiæ Landgravio, Marchione Miſniæ, Magdeburgenſi Burggravio, *Pio* & *Sapiente*, Conſervatore ſinceræ Religionis Lutheranæ.

IMmani graſſans odio Draco miſſus averno,
In populo ſancto funera multa dabat,
Nec tamen ex numero Regumve Ducumve fuiſſet,
Ferre tot afflictis qui potuiſſet opem.
Cumque triumphanti ſic nemo reſiſteret hoſti,
Spes fuit AUGUSTUS ſola ſalusque *Pius.*
Illius facilem tetigit miſeratio mentem,
Latrones ultus pro gravitate fuit,
Seque latebroſis Draco territus abdidit antris:
Sic pax & pietas hoc Duce ſalva manet.

Ad illuſtrem & generoſum Dominum, Dominum GEORGIUM GANS, MAGNI F. *Baronem liberum in* POTLETZ, *& Electoratus Brandenburgii Marſchallum hæreditarium*, Dominum ſuum obſervandiſſimum.

CAlliope poſtquam varias ſpatiata per oras,
Sollicite repetit commodiora loca,
Et Viadrum flavas Albis veneratur ad undas,
Opprimitur ſubitis caſibus acta ſuis.
Leucorides Muſæ ſtupefactæ, viſus & ipſe
Eſt Albis tantis ingemuiſſe malis.

Dum

Dum fera sævit hiems, riget horrida terra pruina,
Sparsaque per densas nix jacet alta vias.
Cogitur ignotis longum peregrina sub arvis
Ire per extremas dente tremente vias.
Et male nimbosis circum jactatur ab hœdis,
Cum sævis Hyadas hauserat Auster aquis.
Adde quod & febris miseros depascitur artus,
Et terrens animum languida membra facit.
Mirandum tantis animi vitæque periclis,
Ingenium penitus non periisse tuum.
Quo modo conspiceret, mortis terrebat imago,
Hoc tamen in vultu Musa superstes erat.
Perque tot eventus, per tot minitata ruinam
Nomina, divino numine tuta fuit.
Jam quoque contigerat portum, morbique laborem
Pertulerat, sola bella movente fame.
Ipsa penu minitans æstas prædivite mortem
Aufugit, rigidas hac renuente minas.
Quodque putabamus melius sub sorte futurum
Fatum, conspicimus deteriore loco.
Maxima vis fati, mysteria magna, nec ultra
Fata licet tuto limine ferre pedem.
Hinc sunt ex tanto mœstissima pectora casu,
Quod nec dum velis aula secunda volat,
Atque secare maris non ostia naufraga tuti,
Littora nec portu fida tenere queat.
Respice, *magne Baro*, casus miseratus acerbos,
Munificas facili porrige parte manus.
Neve reformides, nec sit tibi causa pudoris,
Sæpius in misero, quod juvat, esse potest.
Qui superas proavos & avos, pulcrosque triumphos,
Quos pater egregia nobilitate tulit.

Est

Eſt aliquid veterum generoſo ſanguine naſci,
Illaque res multum proſperitatis habet.
Sed majora refers, quæ virtus propria poſcit,
Nam non ex ſolo ſanguine pendet honos.
Vidimus illuſtri Regum de ſtemmate natum,
Atque genus fœde contemerare ſuum.
Sed virtute *Baro* tantum modo præterit omnes,
Quam reliquos vincit Pegaſus ales equos.
Et cum ſis tantis titulis & honoribus auctus,
Attamen ingeniis ingenioſe faves.
Quæ non es ſtudii contentus vincere curſu,
Excipis egreſſum quamlibet ante ratem.
Hinc quoque, Pieridum ſervator & optime cultor,
Se modo commendat Muſa relicta tibi.
O utinam tantas habeant bona carmina vires,
Ut meritis æquent verba ſonora tuis.
Si tamen in nobis reſtat vis numinis ulla,
Ingenio vives tempus in omne meo.

Ad inclitum & illuſtrem Dominum & Baronem, LADISLAUM à SCHLEINITZ, &c. *Rectorem Academiæ Vitebergenſis* Magnificum, Dominum ſuum benigniſſimum.

ERgone perpetuis curis terebrata Camœna
Cum cultu penitus deficiente ruet?
Nullus erit, cujus tangat miſeratio mentem,
Qui levet ærumnas, qui mala, nullus erit.
Vilia ſemper erunt damnatis carmina Muſis,
Quæ quondam Ducibus numinis inſtar erant.
Sic equidem ferrem, placida ſi mente ferendum,
At pereat, quem non publica damna movent.
Illa malis rebus poſſent avertere cladem,
Offenſi fieret mollior ira Dei.

Illa

Illa gubernarent populos, Regesque moverent,
Eſſet & in toto ſanctius orbe nihil.
Nunc fera detonuit, ſtrepituque perhorruit alto,
Barbaries noſtro perniciosa choro.
Quæ Rectore venit rerum divina poëſis,
Spreta jacet, vates nomina magna premunt.
Quo me mens animusque ferant, ut robora præſtem
His, quibus eſt noſtri gloria cara chori?
En ego Teutoniæ variis jactatus in oris,
Aoniæ Muſæ pars quotacunque fui.
Luſtravi populos, urbes, & clara lycæa,
Vidi Pieriæ quanta ruina chelys.
Vidi Cecropiæ, Themidos, Pietatis amores,
Qui coleret Muſas, unus & alter erat.
Ex his te claris multum natalibus ortum
Ætas cum ſera poſteritate canet.
O *generoſe Baro*, quo Leucoris unda reſultat,
Et priſcis Ducibus murmurat eſſe parem,
Scilicet aſpiciat facili qui fronte Camœnas,
Aſpiciat Clariæ carmina mentis opus.
Macte *Baro* virtute tua *clariſſime*, Muſas
Et favor auxilio ſublevet usque tuus.
Non melius poteris fatum ſperare ſecundum,
Aut genus, aut laudes amplificare tuas.
Scilicet illuſtres animas illuſtria facta
Conveniunt, animo præveniunte genus.
Utque parum fiat tanto majoribus auſis,
Quæ virtutis erunt aggredienda tuæ.
Crede mihi, rarum tanto conſpectius eſſe,
Si non tam numero, quam bonitate valet.
Hinc tibi Gymnaſii tribuerunt frena Camœnæ,
Ut ſint auſpiciis hæc bona ſarcta tuis.

Utque colis Musas, sic & tuearis alumnos,
Inter quos & ego pars quotacunque fui.
Utebar remis olim, nunc naufragus undis
Projicior, quo me ventus & aura rapit.
Dum mea percutitur crebris vaga cymba procellis,
Ut timeat quæ vel mitia tota patent.
Cunctaque sorte mala rimam faciente dehiscunt,
Ut peritura gravi pondere victa cadunt.
At tu, qui post te proavos, atavosque relinquis,
Et præstas animi nobilitate *Baro*:
Accipe quod fudi carmen juvenilibus annis,
Et me munifica parte favoris ama.
Ipse quidem fateor, tenui quod pollice ductum,
Sed nobis tenuis lucet ab igne focus.
Parva sed & Reges delectavere potentes,
Afficit & magnum thurea gutta Deum.
Sic fortuna favens niveis circumvolet alis,
Nec pectus turbet mœsta querela tuum.
Sic te Rectorem rursum schola nostra salutet,
Effusumque pio strideat igne merum.
Albis honorificis titulis tibi munera solvat,
Nereides Tethy debita dona ferant.
Serta coronato portent Phœbæa Napææ,
Naiades ex antris carmina digna canant.
Denique sic omni procedas parte beatus,
Et vivas meritis, dum vehit Albis aquas.

In prælectionem artis Logicæ ad studiosam juventutem.

CUm mortale hominum genus feratur
Ad res cognitione digniores,
Utque excellat in his putat decorum,

Et

Et nec ſumptibus, aut gravi labore
Parcit, quo titulos ſeveriores,
Et cum laude quidem, ferat petitos:
Nemo judicio meo profecto
Ad faſtigia tanta clariore
Cultu perveniet, niſi expolitus
Doctrinis logicis, ut ut labore,
Ut præſtet ſtudio ſeveriore,
Aut promta ingenii capacitate:
Huc illuc, mihi crede, fluctuabit,
In pulcra veluti rati repoſtus,
Quæ remis careat, tumultuante
Æſtu liberioris undique undæ:
Sed nixus logica politiore
Vento progrediere fauſtiori,
Et remos dabit efficaciores
Contra barbariem, hæreſis ſororem,
Ut totum liceat ſecare pontum
Doctrinæ facile eruditioris:
Quantæ vel fuerit profunditatis.
Ergo quisquis ad Albidos fluentum
Effers ingenuas caput per artes,
Muſis ſubtilioribus favendo,
Quem cognoſcere mente acutiore
Mecum fonte juvat perenniore
Artem, quæ rationibus ſuperbit,
Eſtque ex omnibus una, qua ſorores
Addiſci reliquæ queant, facultas,
Huc adſis animo ſereniore,
Et mecum ratiocinationis
Ut ſcrutabere diligenter artem,
Nec fallor, via diſputationum

Cum normis ſolidis tibi patebit:
A veris aliena, nec probata,
Fallenti tamen involuta fuco,
Quæ non obvia ſingulis, videbis
Ex certa arte negotio minore.
Et hæc numine, ſeptimi, juvante,
Tradendo Idibus imbris auſpicantur,
Cum ſol æqua diurna noctis umbræ
Autumnumque facit, meri feracem,
Sub libra ſuperas movente guttas,
Horamque automato ſonante primam.

Ad magnificum & ampliſſimum Virum, Dominum JOHANNEM BUCHBACHIUM, Magiſtrum, Oratorem & Poëtam præſtantiſſimum, *Conſiliarium & Secretarium* Illuſtriſſimi Principis Magdeburgici, JOACHIMI FRIDERICI, March. Brand. intimum Patr. ſuum.

MUſa ſalutatura virum, qui præſidet arci
Juſtitiæ, calamos arripit ægra ſuos.
Triſtibus aſſurgens numeris, ut tempora ſortem
Noſtra ferunt, querulis voce gemente ſonis.
Eſte procul Tyrii guſtu vaccinia ſucci,
Nec minio mœſtæ verba notate Deæ.
Candida frons hilares, nos cornua nigra fatigant,
Sic ſortis ſemper nos meminiſſe decet.
O quam compta tibi ſertis halantibus ora
Solvere grata velim, laudibus æqua tuis.
Sed dolor includit validus mea verba palato,
Ingeminans hæret lingua retenta metu.
O ter felicem, placida qui navigat aura,
Et portum Zephyro ſtante per arva tenet.
Cui ver aſpirat clara cum luce ſerenum,
Ex amarantheo germine ſerta capit.

Quem

Quem Sala, quem Princeps, vaſtus miratur & orbis,
Eunomiæ ſummum quem decus eſſe refert.
Me deformis hiems urit, me frigora ſiccant,
Quo vertas oculos, me levis error agit.
In caput hoc miſerum conjurant Rhenus & Albis,
Subſcribitque ſuis Odera teſtis aquis.
Sæpius hanc multus nubem dolor ante removit,
Et levis ex aliqua ſpe medicina fuit.
Forſan adhuc ſpero cœlo meliora ſereno,
Et leve ſolamen verba ſodalis habent.
Spes abit, & perdo nil proficientia vota,
Æſtus & in miſerum ſævit ut ante maris.
Verbaque quæ facio pro noſtra mille ſalute,
Omnia ſunt foliis irrita ſcripta Noti.
Quid faciam tali ſtridentibus aëre pennis,
Murmure nec tumidi deficiente freti?
Volvor in incerto, nec quod fugiamve petamve
Obviat, in vultus jam ruet unda meos.
Occido per fluctus, reſtat via nulla ſalutis,
Una ſalus finem mors poſitura malis.
O decus Eunomiæ, legum venerande Sacerdos,
Inſignis noſtri gloria prima chori.
Vir facunde fave, ſecli prudentia noſtri,
Quo non juſtitiæ clarior arce ſedet.
Optime BUCHBACHI, ſtudiorum ſumme Patrone,
Qui magni doctus Principis ore loqui.
An memor es fidi, qui ſit tua cura, clientis,
O dignus tali proſperitate forem.
Aſpice quæſo graves, noſtros nec deſpice caſus,
Aſpicit & clemens in tua vota Deus.
Ut freta ſubſidant, veliſque faventibus utar,
Ut ventis placidis læta per arva ferar.

Sors mihi læta ſatis fuerat, malus abſtulit error,
Stulta tamen veniam non ſcelerata ferunt.
Res erat, Europæ dulcis mirarer ut oras,
Scilicet aſpicerem non mihi viſa prius.
En ego ſum tales caſu miratus acerbo,
Vidi non aliis, nec mihi viſa prius.
O favor, o bonitas, rebus ſuccurrite læſis,
Naufragium paſſo littora firma date.
Plura tuli fluctu tumido ſuperatus aquarum,
Quam, mihi crede, fidem ſint habitura ratam.
O favor, o bonitas, tantos compeſcite fluctus,
Nomina ſint laceræ veſtra ſerena rati.
Ad portum pelago jactatum vertite tutum,
Siſtite me vobis, utilis error erit.
Ne ferus inviſis modo ſorbeat impetus antris,
Tu prohibe Themidos gloria prima Deæ.
Vivo quidem, verum veluti Jovis ignibus ictus,
Hujus ſum vitæ neſcius ipſe meæ.
Si dederis talem bonus evaneſcere nubem,
Unda maris per te victaque vaſta cadat.
Tu Deus unus eris, cui laudes carmine pandam,
Tu labor in verſu, magne Patrone, meo.
Hærebunt imis benefacta refixa medullis,
Et fidei ſemper debitor hujus ero.
Vivat Pieridum decus, & prædivite dextra
Auxilio Muſam ſublevet usque ſuo.
Tempus erit forſan ſperata ſorte receptus,
Cum decus hoc patiar non ſine laude tuum.

Ad clariſſimum & excellentiſſimum Virum, Dominum CASPARUM HOFFMANNUM, Philoſophiæ & Medicinæ Doctorem ſagacem, felicem, Illuſtriſſimo Electori Brandenburg. Domino JOHANNI GEORGIO, &c. à cura corporis, Patronum ſuum.

Cla-

CLare vir, arte potens, noſtrisque colende Camœnis,
Quo non ſub Phœbi clarior arce ſedet.
An memor es noſtri, dum Leucoris ora ſubimus,
Nominis obſcuri ſi memor eſſe potes.
Sic puto: te nemo melius, juvenilibus annis,
Hic ſub Mænaliis eſt mihi cultus agris.
Scilicet hoc ſtudium poſcebat & inclita virtus,
Quodque domum Solis nomen utramque tenet.
Sit reus hic voti, ſacras exſuſcitet aras,
Proli & Apollineæ thura parata ferat.
Tu, Patrone, meo ſemper celebrabere plectro,
Dum mea vitalis ſpiritus oſſa regit.
Nam virtute tibi, tibi munere cedit Apollo,
Ipſe Machaonius numinis inſtar habet.
Tu potes in multos annos producere fata,
Corpore defunctos tu revocare potes.
Tu ferrugineam media ſtyge ſiſtere navim,
Funera quæ vectat portitor atra, vales.
Tu titulos tantos, procerum tot nomina ſervas,
Quæ colit Arctoo Mænalis urſa ſolo.
Pæoniis ipſum ſuccis à morte reſervas,
Sceptrigeri Suevi qui moderatur opes.
Quid referam, nigro preſſum me vortice lethi
Reſtituis vitæ, viribus addis opem.
Quosque vides vegetos illos exederat artus
Pectoris immitis non ſine febre dolor.
Non erat in vultu exſangui, non gratia rebus,
Ora mihi cæra pallidiora nova.
Nil vires poterant, nil tanto corpore robur,
Nec vigor afflicti pectoris ullus erat.
Lugebant ægræ mecum mea pectora Muſæ,
Ac eſſem ſtygia contumulandus humo.

Ten-

Tendebantque meis fruſtra ſolatia fatis,
Nata Palæſtini vertice ſerta jugi.
Ite meæ, dixi, Muſæ, lugubribus aris
Cum ſuperis Phœbo thurea vota date.
Non aurum nobis, non latis prædia fundis,
Mens bona cum parvo carmine noſter amor.
Forſan erit nobis tandem placabile Numen,
Forſitan ex aliqua parte levamen erit.
Hic mea ſub muros ſurgentia tecta ſubibas,
Et tecum læta eſt alite viſa ſalus.
Protinus ut vidi, vivas revocatus ad auras,
Cum ſana rediit mente per oſſa calor.
At tibi quæ tanto grates pro munere reddam,
Perpetuo Muſis concelebrande meis.
Non mihi divitiæ procerum, Regumve coronæ,
Plurima vel vetito fœnora parta lucro.
Eſt animus grati rectique tenacior omnis,
Hoc ſolo veluti glorior ortus avis.
Dumque alii nummos, animum tibi confecto fidum,
Sub memori condens munera corde tua.
Lætaborque tuæ per verba ſeneſcere laudis,
Quæ ſcribam æternis, non ſine honore notis.

Ad nobilem & clariſſimum Virum, Dominum CHRISTIANUM DISTELMEYERUM, LAMPERTI F. Illuſtriſſ. Electoris Brandenb. JOHANNIS GEORGII, &c. *Conſiliarium* præcipuum, Mæcenatem ſuum, &c.

EST nemus arboribus denſum & frondente ſalivo,
Hic ubi cœruleis æſtuat Albis aquis.
Spirat ubi vernans vivaci gramen odore,
Pictaque purpureo flore niteſcit humus.
Huc ego progreſſus ſolus nemoralibus umbris,
Exiguæ meditor carmina mentis opus.

Ver-

Verſo ſimul, rerum quæ ſit fortuna mearum,
Dum tua pannoſus, Cynthie, caſtra ſequor.
Cum tamen interea nec res, nec purpura deſit,
Improba quot Martis caſtra ſecuta forent.
Indolis egregiæ Junonis ad arva profectos,
Hos florere domi pace, favore foris.
Ex quibus haud paucos Veneri ſua vota dediſſe,
Tempora qui cincti myrrhea ſerta gerant.
Unam divitibus reliquis algere Minervam,
Et foveat niveo quot gemebunda ſinu.
Me quoque ducendum Junonis ab alite magnæ,
Qui portat cauda ſidera fauſta ſua.
Et mihi ſectandam, teneri quæ mater amoris,
Quam tenet herboſo vertice lætus Eryx.
Sic ego: cum vultu mihi ſe radiante ſub ulmo
Offert in viridi conſpiciendus humo:
Ore Deo ſimilis, cithara, lyciisque ſagittis,
Ex humeris arcus cui pharetratus erat.
Aurati nivea crines cervice fluebant,
Et circum nitidas aurea ſerta comas.
Qui citus æthereis ad me talaribus ibat,
Et citharam ſolvens dicta diſerta dabat.
O infelicem, turpis quem cura fatigat,
Sarcinulis geminat pernicioſa ſuis.
Quid te ſuſpenſum video dubitare ſub imo
Corde, quod in noſtro numine ſumma ſalus.
Qui quondam fidus nobis comes ire ſolebas,
Aonis ad montem, Caſtiliumque nemus.
Et ſimul Aſcræi ſuperato culmine montis
Cantabas Clario non aliena choro.
Quo nunc fert animus? quæ te ſententia ducit?
Quæ ſine ſidereo non duce tentat homo?

Quam res sunt hominum fluidæ, quam vita caduca,
  Quam firmi plane perstat in orbe nihil.
Et tamen hic aurum, magnæ stationis honores
  Appetit, & vanas colligit alter opes.
Turpia, vana, mala, immundi sunt sarcina mundi,
  Sunt tamen in pretio turpia, vana, mala.
Turpibus insistit rebus juratus honestis,
  Qui poterat Nymphas, ille Mephitin amat.
Vivere qui poterat, monstrat se malle perire,
  Cum fatis cerno pectora versa suis.
Hunc juvat immensis auri pallescere curis,
  Huic sedet argenti pectore sacra fames.
Huic Venus, & votis arridet blanda voluptas,
  Sic fiunt mediis turpia multa foris.
Turpe quidem cœptu gratum, jucundius usu,
  Si finem spectes, mors tibi tristis erit.
Incidit in luctum sectans fastigia laudum,
  Ut cadit ex altis præcipitatus equis.
Si tamen eventus spondet, sunt omnia vana,
  Sæpius ante diem mors rapit illa suum.
Divitias optant irritamenta malorum,
  Divitiis disces nil nisi prava sequi.
Tantus amor mortis: fastidia tanta salutis,
  Pro cythara dulci cornua rauca placent.
Quod si tu nostros non aspernaris amores,
  Vel jam parta tibi messis honoris erit.
Divitiæ mentes onerant, & amara cupido
  In præceps animos & vaga cuncta trahit.
Sit tibi mens melior, quæ recto tramite ducat
  Ad superum laudes, aëriasque domos.
An quia nulla ferunt hoc præmia tempore vates,
  Spreta Medusæo numina fonte jacent.

Hinc non Caſtalias veneraris, ut ante, Camœnas,
Et pudet Aonio vota dediſſe choro.
Sis bonus & felix, vulgi nec trita ſequaris,
Vulgus fortunas utilitate probat.
Sic te poſteritas referet, Parnaſſide lauro
Et myrthis cingent aurea ſerta comas.
Sic decus Aonidum fueris, & gloria Suevi,
Et favor heroum, curaque ſumma Ducum.
Sic tecum Muſæ, Muſarum nominis ardor
Florebit, donec Gorgonis unda fluet.
Illuſtri jactat Saturnia ſtemmate natos,
Qui generis tumeant nobilitate Venus.
Sunt tamen ex noſtris etiam non ſanguinis alti,
Verum quos animi nobilitavit honor.
Adde quod & Reges ipſi coluere ſacrati,
Si credis ſtudio numina noſtra ſuo.
Sint equites pauci Thuſcorum ſtirpibus orti,
Attamen ex paucis unus & alter erit.
Parcere nec Clario didicit fortuna liquori,
Vates arbitrio vult quoque ſtare ſuo.
Et tamen ad ſtygium penitus non deprimit orcum,
Scilicet ætherei ſunt quoque turba chori.
Ars bene gnara mali premitur, ſed neſcia mortis,
Nec ſinit auctorem Muſa perire ſuum.
Quæ vitam tribuit, nomenque per æthera clarum
Scribit, non mulſum, non daret illa cibum?
Sic Ithacum memorant hominum volitare per ora,
An neſcis laudem plurima fata ſequi?
Sic ait, & frontis circumdat tempora palma,
Meque jubet ſortis commeminiſſe meæ:
Nec donis, ſi quæ natura dediſſet, abuti,
Non illo quidquam turpius eſſe malo.

Annuo, doque fidem, Aonidum Phœbique futurum,
Aſpera ſi ſaltem vivere fata darent.
Fata dabunt, inquit, claro cum lumine vitam,
Sed quoque poſt obitum vivere Muſa dabit.
Hinc ego Phœbæa trajectus corde ſagitta,
Pars nunc Pierii ſum quotacunque chori.
Cujus Mæcenas, Thuſcis quaſi Regibus ortus,
Tu perſtas, Chriſto qui bene nomen habes.
Me quoque ceu aliquam, Patrone, amplectere partem,
Ut vires capiat fulta favore, vale.

Ad reverendum & clariſſimum Virum, Dominum ANDREAM PRÆTORIUM, ſacroſanctæ Theologiæ Doctorem, & potentiſſimi Principis Elect. Marchionis Brandenb. JOHANNIS GEORGII, &c. *Concionatorem aulicum*, &c. Dominum & fautorem ſuum.

QUi curis erat omnibus ſolutus
Olim, cum *Viadri* novus ſub arvis
Hoſpes, Callirhoen lyra ſuperbam
Tritonis colit inſonante cornu:
Et hunc, qui Clarii decus ſupremum
Eſt Perſëius & pater liquoris,
Qui de Parrhaſio nemus ſub altum
Manat fonte per aridos receſſus,
Humectatque recentiore cultu
Pulcram Mænalis indolem ſub Arcto,
Ut quondam Lycium ſuum Camœnæ
Ingenti pietate proſecutum,
Semper corde gerit, geritque labris,
Multosque Eridani vorat labores,
Nunc ad Leucoreas aquas oberrat,
Et vix oſſibus hæret, & caducis,
Preſſus difficili dolore morbi.
Reſtat mens tamen in laborioſa

Con-

Conſtans mole, licet parum ſecunda,
Nam poſtquam rapuit faventiore
Vultu colloquiis tuis, tuaque
Me primum facie, levis gubernat
Quis ſors res hominum, *Viadrus* haſtis
Cinctus pampineis virentiore
Cultu me placido ſinu recepit,
Hic qua perfluitat vireta *Croſnæ*,
Et pulcris didicit genis juventus,
Me Rectore, quod eſt neceſſe ſcire.
Mittunt Principis hinc vocationem
Sylvæ, *Suevus* ubi pererrat agros.
Sed non ferre jugum valebat ætas.
Et dum cura ſub otio latere
Paulum me placitis modis faceſſit,
Infelix vocor ad ſcholam regendam,
Quæ cum perpetuo fuit celebris,
Et fundata loco foret celebri,
Quo miſcent fluidas aquas *Havelus*
Et *Suevus*, niveos gerens olores,
Non ſpinoſum equidem jugum recuſo,
Non annum fero, ſed ſupra ſecundum.
Hinc me Julia ſub novo receſſu
Excepit ſchola, mox levis Sicamber,
Et qui turrigeras ſuperbus arces
Et vineta gerit Falerna *Rhenus*,
Poſt Mogum Helvetiis ſalutor arvis,
Quæ morbo gravidum Nicro remittunt.
Hinc *Mœnum* ſuperans fluenta Lani
Me multum recreant vigore ſano.
Mox ſub Hercyniis jugis *Hieram*
Et *Salam* celeri frequento curſu.

Et tandem ſubiens opes Elyſtri,
Grato Leucoridum ſinu quieſco.
Me totumque dedi meis Camœnis,
Illarumque beatitate lætor,
Dum claro meliora ſpero cœlo.
Tu me difficili potes levare
Aura, Pierii decus liquoris,
Et ſemper ſtudiis meis favere,
Quod te, clare Vir, anxie precari
Nunquam deſino, vita dum ſuperſtes:
Sic vives meritis tuis ſub ævum,
Donec carminibus præeſt Apollo.

De Nuptiis reverendi & clariſſimi Viri, M. HENRICI MARTINI, *ſacræ Theologiæ Profeſſoris, & Rectoris Magnifici in Academia Vitebergenſi:* & ANNÆ SCHULTESIÆ, Viri reverendi & clar. MATTHÆI SCHULTETI, Illuſtriſſimi Principis Magdeb. JOACHIMI FRIDERICI, Concionatoris aulici, &c. filiæ.

FRuctifer autumnus, natus qui tertius anni,
Annæ maturæ gaudia plena parat.
Phœbe fave, radio ſerva propiore calorem,
Ut per te natas ſuſcitet *Anna* faces.
Sponſa fave, lauro ſponſus circumdatus uda,
Succum ſacratis afferet ille cadis.
Viribus ut ſumptis ignes reſtinguat obortos,
Quos dedit æſtivus ſole tepente calor.
Quæ recreant homines, habilis bona præparat æſtas,
Autumnus cupido colligit illa ſinu.
Hymen ades fauſtus, plauſuque ſonante per urbem
Præſis, dum fructus percipit *Anna* ſuos.
Vota caloris erant, quando mihi fulſerit hora,
Qua duo feſtivus pectora jungat hymen.

Spon-

Sponſe fave, aptat amor thalamos pro nomine voti,
Sic ſolet æthereos noſtra beare Venus.
Ergo ſub autumno pleno novus utere fructu,
Æſtatis peperit quem tibi ſole calor.
Mox aderit deformis hiems hirſuta capillis,
Qua reſtat rebus gratia nulla novis.
Sic Domini teneris pendebit fulta lacertis,
Sæpeque blanditiis oſcula ſponſa dabit.
Ipſa Ceres, vallus, Pallas cum ſorte benigna,
In thalamum annoſum commoda multa ferent.
Enſifer *Auguſtus*, Pietas, virtusque favebunt,
Et tibi dona ſcholæ, templa, theatra ferent.
Sic tibi ſol juſti crocei ſpirabit amorem,
Sic tumidis placidus fluctibus auſter erit.
Sic tibi, quæ pietas myrthis halantia ſerta
Attulit, ex lauro ſplendidiora dabit.
Sic alium ex alio fructum ſine labe videbis,
Donec ver extra climata ſemper eat.

De reverendo & clariſſimo Viro, Magiſtro JOHANNE SCHULTZIO, Cancellario & Profeſſore Theologiæ in inclita Academia Vitebergenſi.

AD denſum deformis ovis pendebat acanthum,
Per ſtygii morſus dilaniata lupi.
Quam Draco flammivomus conſpexit ut eſſe relictam,
Ex Acheronteis volvitur altus aquis.
Jamque videns lethi præſentia laniger ora
Ire ſub exitium præproperata ſuum:
Neſcit, viri prædam potius concedat acerbam,
Balat & ad ſuperos corde pavente ſuos.
Hic Jova paſtor adeſt cœlo, telisque pharetram
Solvens ſub Phœbi dirigit illa manum.

Lani-

Laniger evadit ſalvus: prolapſus ad orcum
Cerberea ſpuma deficiente Draco.
At Jova: Phœbe tuis Lernæ cadit Hydra ſagittis,
Inde Sagittarium te vocet Hydra ſuum,
Pugnandoque ſacris armis tuearis ovile
Chriſti, dum ſerpens ſaucius omnis eat.
Sic ait, & titulis magnis inſignia confert,
Et cingit lauro tempora docta ſacro.
Huic addit clypeum fidei, gladiumque ſalutis,
Albaque ſub rubro tela colore precum.
Scilicet ad talos à vertice candidus ille,
Non dubitat patria pro pietate mori.

ΔΙΗΓΗΣΙΣ PARENTALIS
BREVIS ET PIA
DE VITA ET OBITU
NICOLAI LEUTHINGERI,
VIRI ET THEOLOGI OPTIMI,

AUCTORE
M. NICOLAO LEUTHINGERO, filio.

Pſalm. CXVIII.
Non moriar, ſed vivam, & enarrabo opera mirabilia Dei.

Prudentiſſimis Viris, pietate & virtute præſtantibus, Dominis *Conſulibus & Senatoribus veteris Lansbergi*, Dominis & amicis meis obſervandis, ſalutem precor.

CRedo vos, Viri prudentiſſimi, intelligere, quæ piis doctoribus poſt mortem debeantur, videlicet non ſolum ἡ μνήμη τῆς διδαχῆς θεῦ, ut memores ſimus illius doctrinæ, quam Deus per illos nobis tradidit, ſed etiam ἡ ἀναθεώρησις τῆς ἐκβάσεως τῆς ἀναστροφῆς εἰς ὑπόδειγμα τῆς τε χάριτος καὶ

τῶν

τῶν ἄλλων ἀρετῶν, ut confideremus, quam pie vixerint & mortui fint, & quomodo per Chriftum mundum in vera fide abdicata voluptate carnis vicerint. Hoc fine edere hanc διήγησιν toties interpellatus volui & quidem de patre, ut vobis de pietate in paftorem gratularer, reliquis vero currentibus calcar adderem, & fi quæ excidiffent, in memoriam revocarem, meo quoque exemplo filios omnes incitarem, ut quoque poft mortem in amore patrum confenefcere vellent, eorumque dicta & facta etiam tenuia, fi modo laudabilia, magnifacere, & oculis, auribus, ore, menteque ipfa impreffa habere: nam qui honorat patrem fermone, opere, & omni patientia, jucundabitur in filiis fuis, in orationis diebus exaudietur, & benedictio Domini fuperveniet eum, in noviffimoque manebit. Eccl.3. Fecerunt idem olim orthodoxi doctores & filii, qui patres defunctos publice laudarunt; quem morem hodie adhuc obfervari præftaret, quam impie negligi. Sic laudavit patrem fuum publica oratione funebri *Nazianzenus*, fic alii. Miramur *Alphonfi* pietatem, ftupefcimus ad *Oppii* factum, animus hic certe par. Præbuerunt etiam occafionem dubitanti, quos fcitis, calumniatores. Sub veftro autem nomine publici juris feci, quod fcirem, patrem meum Vobis fuiffe femper cariffimum, ejusque defiderio crebro adhuc ferri: præterea nemini potius, quam Vobis conveniret, qui vidiftis, audiftis, & experti pleraque eftis, ut Veftro quafi teftimonio & patrocinio auctoritatem fcripto conciliaretis: Denique ut de mea in Vos benevolentia contra multorum calumnias apud Vos conteftarer. Quod reliquum eft, ut de hac mea pietate candide judicetis, & pro Veftra in me facilitate benigne accipiatis, meque complectamini, rogo. Deus Vos in veritate & pace confervet. Vitebergæ 9. Calend. Maji, quo die FRIDERICUS, Burggravius Norinbergenfis, electoratu Brandenburgico à SIGISMUNDO Imperatore anno Chrifti MCCCCXVII. donatur, cum ante paucos annos JUSTUS, Moraviæ marchio, Lansbergum viliffima pecu-

nia *Crummensehnensibus* paulo ante discessum ex Marchia, undique per expilationes collecta pecunia, oppignoravisset, anno reparatæ salutis MDLXXXVI.

P. V.

Addictus
M. Nicolaus Leuthinger.

NAscitur NICOLAUS *Erfurti Thuringiæ* metropoli, patre NICOLAO, viro honesto, eo anno, quo mons *Vesuvius* in *Campania* magnam accolarum multitudinem suffocavit, ex familia *Leuthingerorum*, cum tempore renascentis evangelicæ lucis in extremam prius conjecta esset difficultatem, sub qua NICOLAI pater egere potius voluit honeste, quam malo apud Deum nomine ditescere. Alebat ille domi numerosam prolem, ex qua universa NICOLAUS naturæ liberalioris erat. Etsi autem facultates habebat exiguas, quod bonis paternis non ita pridem exutus erat; sub disciplina tamen domestica pie educatum, postquam ad linguam formandam laboris multum contulisset, ut tarde, clare & distincte loqueretur, excitavit. Quantum enim hæc domestica consuetudo possit, nescio, an ego satis intelligam. *Corneliorum* profecto exempla docent, rem esse necessarii operis, & magni momenti, & ipse CICERO, iis se adminiculis ad præparandam eloquentiam, quæ sola videtur, huc vel illuc hominum mentes flectere, & demum, ubi velit, sistere posse, usum, iisque ad tantum ascendisse culmen, non obscurius auctor est. Sermonem quoque JULII CÆSARIS domestica consuetudine matris AURELIÆ excultum fuisse, quis ignorat? Formata lingua, mentem inprimis excolendam, ad quam actiones omnes & cogitationes successum felicem secundum Deum & fortunam propitiam referant, initio à pietatis studiis facto, recte judicabat. Existimabat enim, se melius facere, quam illi, qui *Italorum* morem secuti, in prima pueritia suis GALENI codicem, aut juris institutiones porrigunt,

ut

ut inde literas diſcant. Miſſus deinde ad ſcholam reliquos coæquales facile ſuperavit, ut brevi ad claſſes ſuperiores deductus ſit. Cum igitur animadverteret, filium naturam à liberalibus ſtudiis alienam non habere, memoriæque vivacis ingenium inprimis alere, ut reipublicæ chriſtianæ commode, quam primum per ætatem poſſet, operam ſuam collocaret, *Vimariam* ad linguarum progreſſus majores faciendos deduxit, voluitque latina expeditum lingua, muſicaque exercitatum arte, quibuscum alioquin modeſtus eſſet, poſtea multos ſibi devinxit. Nam etſi ſint, qui aliter ſentiant, & ut in aliis, ita hic quoque POLLIONEM ſequantur, qui præcipit, commode agendum, quod recte factum velimus. Quod ſi ſæpe agatur, minus fieri commode, aſſiduitate enim nimia facilitatem magis, quam facultatem, nec fiduciam, ſed temeritatem parari: Quod *Italis* in lingua latina formanda familiare eſt, qui vix adduci poſſunt, ut in congreſſibus latine loquantur; at ſi quando neceſſitas affertur, exactiſſime & quaſi de ſcripto dicere meminimus. Cujus ſententiæ GEORGIUS quoque FABRICIUS erat, qui ſuos magis diſcipulos ad ſcribendum, quam loquendum, adſuefieri volebat, ipſe ejus linguæ in familiari ſermone ſemper parciſſimus. Illa tamen ratio ſuum quoque habet locum. Hoc jacto fundamento *Iſenacum* conceſſit, & initia linguæ græcæ mediocriter didicit, & inde *Magdeburgum*, ubi à vidua religioſa domo & victu exceptus eſt. Hujus urbis benignitatem & civium humanitatem pro merito laudibus extollere non poterat. Cujus benevolentiæ partem ad ſe quoque revolutam augebat orationis expeditæ ſuavitas. Pro conſuetudine enim ſcholæ, à pueris conciones ſacræ, à præceptoribus conſcriptæ, publice exercitii cauſa de memoria civibus auſcultantibus recitabantur. Hic præcipuam NICOLAUS laudem tulit, qui multum lætatus opinione de ſe ſerio vel joco excitata, non arrogantiam profectus obſtaculum, & indocilitatis officinam, dum plerique videri potius volunt, quam eſſe, ſed calcar & incitamentum ad de-

 pel-

pellendam ignaviam hinc ſibi contraxit. Sed iis occupatum ſtudiis acuta opprimit febris, usque adeo, ut *Magdeburgum* deferendum eſſet. Sanitati tandem reſtitutus ex diuturno morbo *Argentoratum* abit, & præcipua lumina, non modo ſcholæ illius, ſed & Germaniæ, quæ ibi cum aliquo numero erant, audivit, & eorum inſtitutione & opera uſus eſt, tanta quidem felicitate, ut cum MARTINUS BUCERUS & CASPARUS HEDIO, V. V. clariſſ. viſitatores, partim ingenium in illo deprehendiſſent excellens, partim ſequerentur auctoritatem JACOBI STURMII, civitatis & imperii Rom. oratoris, commendarent ſenatui, qui ſpem magnæ dignitatis fecit, ſi obligatum ſe civitati vellet, eo nomine, ne extra ditionis fines absque voluntate procerum cuiquam ſuam operam deferret vel addiceret. Sed alio eum Deus & fata vocabant; non enim noſtri eſt ingenii, vel humanarum virium, hoc vel illo momento de rebus noſtris ſtatuere, quas certas & confirmatas eſſe volumus: vere enim actiones noſtræ pendent ex voluntate divina, qua ex oculis ſepoſita, rationem conſilii noſtri ducem ſi ſequamur, fit ferme, ut curſum optatum ſemper non teneamus. De hujus ſcholæ civitatisque ſtatu ſolebat nobis multa commemorare. Videndi igitur cognoſcendique multa cupidus in confirmatiore doctrina *Baſileam*, ubi ERASMI ROTERODAMI ſepulcrum αὐτόπτης inſpexit, & inde *Fryburgum*, *Bernam*, *Tigurum*, &c. contendit, quibus cum voluptate & fructu perluſtratis, tandem ex academia *Baſileenſi Ulmenſibus* commendatus ſcholæ illorum aliquandiu adfuit docendo. Fatis autem illum ad *Marchiam* deſtinantibus, ubi meſſis quidem erat prægrandis, laborantium autem numerus exiguus, graviter cœpit decumbere. Solet enim fere Deus, quorum opera in arduis uti velit, eos in difficultatem maximam prius conjicere, ex qua præſidiis eluctari humanis non poſſe videntur, ut depoſita omni ſui fiducia ad Deum ipſum cuncta referre, rebus inprimis florentibus, diſcant, neque in ſecundis ſe efferant, neque in adverſis diffluant. Cum igitur

per

per valetudinem laboribus illis par non esset, præcipuas academias vidit, & cum per *Moguntiam*, in qua plura antiquitatis monumenta atque in ulla urbe ad *Rhenum* conspexit, *Marpurgum* venisset, *Coloniæ* substitit, ubi tum HERMANNUS, archiepiscopus *Bonnæ*, reformationem instituerat. Cum in hac urbe multa proterve gererentur, cœpit eum desiderium videndi magnum illum LUTHERUM, PHILIPPUM itidem omniscium, quem ut audiret, quod de POMPONIO LÆTO alias scribitur, profitentem in maxima frequentia auditorum, ipsi ante auroram à media nocte ad præoccupanda subsellia præveniendum erat: & alios quoque in academia *Vitebergensi*, urbemque ipsam, quæ clarior est, quam ut indicari egeat. Ab his tandem ANDREÆ MUSCULO commendatus est, qui benigne habitum, sic ut non raro hanc in se voluntatem amicam prædicaret; cum in academia *Francofordiana* multum & jucunde conversatus fuisset, in aulam ad JOHANNEM AGRICOLAM ISLEBIUM, qui apud electorem Brandenburgicum plurimum poterat, & in urbe Arctoa Generalis nomine ecclesiis Marchiæ præsidebat, dimisit. ISLEBIO ingratus adeo non fuit, ut in intimam amicitiam, quam constanter, quoad vixit, fovit, propter dona singularia, quæ in eo prælucebant, reciperet. Quantas autem in his peregrinationibus studiorum causa difficultates expertus erat, solebat nobis prolixe narrare. Habet enim præteriti doloris commemoratio voluptatem quandam non ingratam. Quintum tum in annum elector Brandenburgensis JOACHIMUS II. paulo antequam expeditionem faceret in *Ungariam* cum imperio, permiserat subditis suis evangelium Jesu Christi publice docendum, & juxta illius institutionem sacramenta administranda. Huic deliberationi adhibuerat initio JOHANNEM AGRICOLAM, qui prius visitator, mox Generalis nominatus, formulam ex verbo Dei docendi & agendi per Marchiam pro sacris conscripsit. Eo quasi momento, Deo sic providente, *Lansbergii* diaconum petebant. ISLEBIUS

 igi-

igitur hunc licet juvenem illis commendabat, cum prius egiſſet privatim, auctorque fidelis fuiſſet, de vocatione illa, quam Deus per ſe faceret, non negligenda, ex quo loco poſſet ad altiorem facile aſcendere. Is quidem primum non refragari aut renuere obfirmate, ſed excuſare per ætatem, indignitatemque præ ſe ferre, alium rectius debere præfici, nam locum eum gravem deſiderare virum. *At in eccleſia*, inquit per jocum *Islebius*, *Romana olim diaconi erant imberbes, cum non tam ætatis, quam virtutis rationem habendam exiſtimarent. Proinde non ſolum grandævis eccleſiæ eget conſtitutio, ſed junioribus quoque, in quibus temperata ſit gravitas cum modeſtia, qui ſenum labores ſublevent, eorumque reveriti canitiem ad ſimilem conſtantiam incitati, depoſitum ſuperſtites ſibi à ſenioribus per manus quaſi traditum ad poſteritatem fideliter transferant. Talem enim fuiſſe perpetuo eccleſiam, quales poſt ſe juvenes olim ſenes reliquiſſent. Et quid*, inquit, *reſpondes ad illud: Sæpe juniores aliquibus civitatibus magis probari, quam ſeniores. Accidit hoc in quadam inſigni civitate, illa à D. Luthero concionatorem petebat, qui mento imberbis, doctrina præſtans, moribus gravis eſſet, pacificus & patiens, ſtipendioque mediocri contentus foret, nec plura appeteret. Lutherus lectis literis ſuaviter ridens, curavit talem pingendum, & ſenatui miſit, addens, hunc eſſe talem. Non enim ſemper tales eſſe poſſumus, quales vulgus rude & imperitum ſibi fingit, qui non ſunt in rerum natura. Tu obſequere Deo vocanti, ſpondeo tibi, totumque in me recipio, eccleſiæ ſalutare æque atque tibi utile futurum. Præterea oppidum hoc non procul ab aula diſſitum eſt, ex qua tui ſemper per occaſionem ratio haberi poteſt.* Sic NICOLAUS *Lansbergum* profectus, publiceque auditus magnam facundiæ & doctrinæ opinionem de ſe concitavit, adeoque omnium votis expetitus eſt, ut etiam ſuperiores plane ſe negligi conquererentur, unde invidia, ut fit ferme, gravis ipſi apud quoſdam conflata eſt. Et ut majori officio ſibi devincirent, MARGARITAM ZULSTORFIANAM ipſi in matri-

mo-

monium collocant, & paulo poſt paſtoris munus deferunt Lansbergii. Eo tempore MARTINUS LUTHERUS in patria obiit: Hic rumor cum per Marchiam percrebuiſſet, difficile eſt dictu, quanta per eccleſias orta ſit trepidatio, metuentes ſibi & religioni, quæ vix pedem iis in locis fixerat. Et vere ab ejus morte non ſolum luctuoſiſſimum bellum patriam communem vexavit, ſed & religionem noſtram factio pontificia noſtratesque ipſi varie tentarunt. Fuerat hactenus MARTINO LUTHERO, in eccleſia doctore, principe vero electore JOHANNE FRIDERICO, defenſore & nutritio, aureum vere ſeculum, videbaturque res chriſtiana his velut columnis fulta: ſed hanc hominum impietati fata invidebant felicitatem, curſumque ſuum fecerat magnus ille LUTHERUS, quem Deus ad ſe recepit, præſidio quoque humano exuens eccleſiam, & jam jam labantes eccleſiæ crederes fortunas, propugnatore, de quo in ſomniis PHILIPPUS MELANCHTON legerat, *τὸν ἄριςον ναυμαχȣ̃ντα ἀγῶνα*, capto. Triſte profecto ſpectaculum, ſed triſtior aliquando omnium per Germaniam rerum ſtatus. Sed in ipſo pene naufragio oſtendit Deus, eccleſiæ rem ſibi curæ eſſe, & ab ſe uno pendentem recte adminiſtrari. Armata illo tempore habebantur comitia *Auguſtæ Vindelicorum*, à qua urbe confeſſio noſtra nomen accepit, ut *Auguſtana* dicatur, quæ ut antiquata, vel omnino abrogata videretur, *Sphyngem* Pontificis opponunt. Res erat in multo ob potentiam CAROLI triumphantis diſcrimine. In *Francia* & *Suevia* erant vaſtitates in templis, & nullo non loco aliquid verebantur, Cæſare de ſua voluntate nihil remittente: ſed major erat paſtorum per *Marchiam* trepidatio, ex qua librum iſtum magna ſui parte conflatum prodiiſſe conſtabat, ut tergiverſandi illis materia omnis præciſa videretur, principe quoque ipſo totum ab Imperatoris arbitrio pendente. Interveniente igitur mandato CAROLI V. publice edicitur, ut paſtores libro illo ſubſcribant, ſecus facientibus gravis decernitur pœna: concilio præterea convocato *Berlinum*, manda-

datur denuo, ut acceptum in ecclesiis proponant, doctrinamque suam, vitam, & quæ pro sacris agenda sunt, ad eum conforment. Huic cum se fortiter decreto opposuissent Marchiæ pastores plerique præter paucos, rem, quæ ex voto non responderat, alio tentandam modo existimarunt. Cum enim universis nec minis, nec pollicitationibus persuaderi posset, de insinuando singulis consultatum est. Inter hos etiam LEUTHINGERUS fuit, cui repetita principis sententia & voluntate mandatum est, ut acciperet librum Augustanum, & secundum ejus canones omnia diceret & factitaret in ecclesia. Ad quod ille, *rem esse*, ait, *maximi momenti, quæ ad se solum non pertineat, sed conjuncta sit cum multarum conscientiarum perturbatione. Se suaque quidem omnia Imperatori offerre, sed tot prodere animas, integrum sibi minime fore. Se ipsum quoque metu æternæ pœnæ deterreri, ne à verbo semel agnito turpiter deficere cogitare debeant. Interim re & nomine, sicut literæ inversæ ostendant, mentiri, sibi autem minime fucum illum facturum, ut in admirationem ejus adducatur. Carum sibi Islebium, cariorem principem electorem, carissimum tandem Deum esse, cui sit magis obediendum, quam hominibus. Si velit princeps fortunas vitamque ipsam eripere, esse in potestate, animam, quam Servatori suo illibatam & intactam reservet, non iri ereptum.* Cum autem alioquin LEUTHINGERUM ISLEBIUS diligeret, reliquis à se iracundiis rejectis, collocutus secreto, factis primum pollicitationibus urget, ubi constantiorem videt, suadet & petit, ut saltem librum accipiat legendum, fore citra periculum animæ aut honoris diminutionem. Accipit ille quidem discutiendum, sed cum & reliqui acciperent, auctoritatem illius secuti, videreturque aliis suo nocuisse exemplo, impositum sibi arbitratus aperte de eo apud ISLEBIUM protestatur, & *librum in ignem non sine periculo projicit.* Tandem Marchia eo metu liberata optatam pacem recuperavit, quam aliquando Sphyngis auctor cum SIDONIO turbaverat, & LEUTHINGERUS sua quoque

que volente principe retinuit. Paulo poſt gravis contagio peſtis infeſta fuit non ſolum Marchiæ, ſed etiam vicinis regionibus funeſta. Conſternatio erat ingens apud omnes, & *Lansbergi* quidem periculum, ut quis ſupereſſet, qui ſepeliret extinctos, tanta vi graſſabatur, & vix tertia pars ſupererat hominum, in quos lues non ſævierat. In hac omnium trepidatione cum ſe fidelem paſtorem præſtitiſſet, præter alia incommoda accepta, conjugem etiam amiſit, cum duobus liberis, ipſe quoque vi morbi impeditus contra multorum exſpectationem ſalvus Dei beneficio evaſit. Aliam quoque *Lansbergum* calamitatem inſignem accipit: orto enim gravi tumultu oppidum equitum turma adducta capitur, & ſenatus triſti forma abductus ad carceres detruditur. Ipſe, quod unum poterat, hanc Deo commendabat diligentiſſimis precibus cauſam, donec conſervata libertate patriæ in integrum reſtituti ſunt. Dederat ipſi Deus amicos non vulgares in vicinia, præter aliquos ex præſtanti nobilitate, viros clariſſ. JOHANNEM ISLEBIUM, SUULLIUM, BUCHOLZERUM, quos ille venerabatur, & ab ipſis rurſum amabatur, ſic ut funiculus triplex inter illos quaſi eſſet. Hi auctores NICOLAO erant, ut matrimonium adductis graviſſimis argumentis repararet. Biennium itaque cum ſic vixiſſet, ſecundum duxit uxorem LUCIAM, & ſimul venit in amicitiam intimam JOHANNIS à CRUMMENSEH, *Domini in Blumberg*, &c. ejusque filii OTTONIS, viri, in quo magnificentia cum pietate certabat, qui nunquam ſatis ob pietatem, beneficentiam & integritatem laudatus eſt, quorum nobilis amicitia apud multos hodie quoque longe lateque inclaruit. Eodem pene tempore magnas habebat contentiones cum *Crummenſehnenſibus*, CASPARO & WILHELMO, de quibusdam agris, in quibus pene omnis uſus fructus eccleſiaſtici conſtabant, quos ad ſe tranſtulerant, & quidem res fuit acta tanta concitatione, ut ſit bombardis, ut vocant, etiam in ipſo limine & templi ſuggeſtu, globo per manicam thoracis penetrante, petitus. Quæ tamen omnia eo fere-

 bat

bat animo, ut perpetuo ſui ſimilis eſſet, Deoque commendatus, donec res diſceptata & diſcuſſa coram principe transacta fuit, ſic ut & jure cederent illi, & Electori Deoque pœnas darent. In his turbis ſæpe ISLEBIO conquerebatur de ſua calamitate, illius expetito conſilio, ſeque mirabiliter ab eo recreatum affirmabat: nec quidem ſibi deerat, memor vocis Chriſti: *ſinite hos abire*, imperantis ſcilicet eſſe, non orantis: & Davidis: *in manibus Dei dies mei.* Et quia in mediis periculis evaſit, poſtea glorioſius nubecula illa cito transeunte vixit. Ad privatas injurias publica acceſſit calamitas: nam tanta per Marchiam caritas erat, qua graviſſime vexabatur, ut homines deſperabundi plane de vita ipſa ſoliciti eſſent. Eo anno in urbe Arctoa inventa eſt venefica, quæ ſurreptum alienum infantem mactaverat, ſed in fruſta diſſectum & jam jam igni apponendum mater interveniens decoctioni eripuit, & ad civitatis magiſtratum detulit, illa in carcere tormentis ſubjecta inter alia faſſa eſt, ſi inceptum ſucceſſiſſet, fruges omnes tempeſtate coorta interceptas iri, quod horrendum eſt auditu. Etſi autem ſatanas vere ſuos deludat, & in detecto facinore deprehenſos ad pœnam vocet, dubium tamen non eſt, magnam illius eſſe potentiam, eamque ſæpe Deo permittente crudeliſſime propter noſtram in Deum & proximum impietatem exercere. Sed tamen in ipſa ira noſtræ fragilitatis miſericordiæq; ſuæ memor Deus φιλανθρωπίαν ſuam, hominumque res ſibi curæ eſſe, oſtendit. Sic in patria Thuringia *Vimariæ* & alibi, poſtea etiam non procul à *Villaco* frumento pluit de cœlo, copiaque illius ſatis magna multis eſt facta, ut ſui in nos amoris homines admoneret, quamvis frugum de cœlo lapſus caritatem annonæ apportare alias credatur. Hæc NICOLAUM quoque difficulter premebat, qui ædificationibus neceſſariis diſtentus erat. Noverat enim ethnico deteriorem illum, qui domi ſuæ non recte proſpiciat, putabatque ſibi turpe, ſi eccleſiæ cum laude præeſſet, non itidem domui quoque ſuæ, in quo imitabatur patriarchas ſanctos,

qui,

qui, quantum à feriis reliquum erat temporis, excolendis agris & hortis impendebant non ſine animi voluptate. Quod ipſum hodie vitio habetur, ſi cogitamus de vitæ neceſſariis, & aliqua animi oblectatione, ſed non niſi apud truncos & ſtoicos, in quibus affectus nullus eſt, concedendumque eſt illis, ut ſi poſſint, herba τῷ ἀλίμῳ vivant, quæ admorſa diurnam famem prohibeat, ut ex eo gloriolam & oblectamentum quærant. Ille, qua erat φιλοστοργία, commodis ſuorum ſtudebat anxie, cura tamen unica erat, ut filios egregie inſtitutos haberet, quos ſuo loco Dei cultores relinqueret, qui benefacerent amicis, & inimicorum conatibus occurſarent, credebatque, vix majus eſſe ſacrilegium, quam eccleſiam filio ad miniſterium apto ſpoliare, & eſſe plerosque tales, quales quisque ſuos vellet, ipſamque civitatem ſine liberorum educatione pia & erudita velut contagione corrumpi & infici, & non niſi vappas ſtolidas producere, ideoque graviſſime indignabatur in eos, quibus potior eſſet bos, quam filius, & cum CRATETE *Thebano* ſæpe exclamabat: *Quorſum ruerent homines, qui omne ſuum ſtudium in pecuniis collocarent, filiorum autem, quibus eas relinquerent, nullam haberent curam.* His erant annis magni per omnem Germaniam motus: Marchia tamen aliquanto quietior Dei benignitate & JOACHIMI II. ſapientia fuit, quæ etſi in belli ſumptus ſuppeteret multa aliis, à bello tamen abſtinuit, pacemque ſectata, non modo res & fortunas ſuas intactas conſervavit, ſed etiam perpetuo ab anno quadrageſimo mediocriter eccleſiæ tranquillitatem cum doctrina incorrupta retinuit, etſi interdum, quod in tanta rerum per Germaniam mutatione & perturbatione accidere neceſſe erat, ruinam aliquam minitari viderentur. LEUTHINGERUS itaque officii ſui memor publicas inſtituebat in eccleſia & frequentes ſupplicationes. Et credibile eſt, mala tunc inſtantia multa fuiſſe precibus piorum averſa. Erant enim ubique res valde dubiæ, magnæ animorum diſtractiones inter vicinos & cognatos quoque. Hunc metum augebat vox

de cœlo ejulanter dimiſſa: *Væh, Væh Chriſtianis.* Præterea magnam in diſciplina eccleſiaſtica conſtituenda ſeveritatem & pietatem, & animi præſentiam in tuenda illa apud ſuos oſtendebat. Quibus demum effecit, ut haberet eccleſiam non tantum recte conſtitutam, ſed etiam obſequentem & tranquillam. Ad publicum exemplum ſuum conformabat, dabatque operam, ut familiam domi liberosque haberet tales, quales exoptaret. Hos igitur domui ſuæ prius accurata diſciplina, per quos fieri oportet, pertentatos, commendabat certis præceptoribus, NICOLAO MENONI, poſt ANDREÆ CÆLICHIO, ita, ut ab latere illorum nunquam recederent. Illorum ſchola non erat inanium curarum domus, non ἡ σχολὴ, aut κατατριβὴ, ſed διατριβὴ optima. Sed ab his peſtis contagio quoq; poſt biennium retraxit, quæ per Marchiam & vicinas regiones magna violentia graſſabatur, & ſtragem ingentem edebat. Nec quidem vicinæ regiones periculo caruere, in ſola *Thuringia* patria ducenta quinquaginta tria millia capita recenſa ſunt, quibus hæc lues neceſſitatem vitam cum morte commutandi attulit. Multa illa prodigiis denunciata fuit. Inter alia circa *Lansbergum* viri acephali viſi ſunt, qui avenam eo meterent impetu, ut ne ariſtam quidem reliquam fore crederetur. *Lansbergi* quoque ſævire cœpit die Jacobi, qui ex multa obſervatione illi oppido perpetuo calamitoſus eſt, & cum ædes quoque LEUTHINGERI invaſiſſet, liberis quinque cum matre per mortem abreptis, ipſe vix ſecundo in maximæ vitæ periculo evaſit incolumis, cum interim non ſolum morbo deplorato conflictaretur, ſed officii quoque labores amiſſo Symmiſta cumularentur, ne dicam de luctu, qui adeo eum deprimebat, ut nec ſibi conſtare videretur, qui aliis multis nominibus adeſſe debebat, ſæpe repetens: *recte Pſammenites cenſet, domeſtica mala eſſe graviora, quam ut lacrimas recipiant.* Minime tamen ſic muliebris erat, ut *Ptolemæenſis epiſcopus* CYRENÆUS. Poſt eam tempeſtatem filium poſt multam deliberationem ad *Miſnenſe* gymnaſium, virtutum & eruditionis ἀσκητήριον, deducendum

dum censuit, quamvis animadvertebat, rem cum magna conjunctam difficultate iri, quod beneficium ad Misnenses solummodo pertineret. Clarissimus hic ad *Albim* in *Hermunduris* ludus est, qui à principe Saxoniæ MAURITIO primum utili consilio fundatus, postea ab AUGUSTO auctus & confirmatus est, in quo præterquam quod optimis legibus constitutus est, quæ severissimæ disciplinæ honestatisque omnis custodes sunt, occasio quoque & facultas longe pulcerrima offertur discentibus perveniendi ad eruditam sapientiam, & nescio, an tantus princeps in omnibus suis provinciis habeat, ex quo laudem majorem & gloriam exspectare debeat, quam quod scholas cum academiis conservaverit. Certe de universa republica christiana melius mereri non poterat, & si quid est, quod ad summam accedat gloriam, id ipsum esse me non fallit. In ea schola exacte philosophia artesque cum linguis tribus tradebantur, incitamenta quoque ad virtutem erant mediocria. Summum præterea otium, summa securitas, ut nec sciret juventus aliud, quam literas, quam bene agendum, de reliquis aut parum, aut nihil solicita. Victus hora erat consueta, amictus singulis annis paratus, si quid deesset, de eo recte & opportune prospiciebatur. Ægrotantibus mature succurrebatur, singulis sua erant conclavia cum necessariis. Discipulorum inter se officia mutua, amor mutuus, perpetua erga professores reverentia, ut nesciam, an aliquid ad felicitatem illam, quam sibi φιλομαθὴς optare debeat, accessionis fieri possit. Post sexennium ad academias dato in aliquot annos stipendio mittebantur. Huic ludo tum præerat GEORGIUS FABRICIUS, verius *ingeniorum faber* appellatus, quam ille *Stapulensis*, qui in omni genere doctrinarum creditus est aptissimus, & FRIDERICUS PENSOLDUS, V. clar. Acceptis itaque literis commendatitiis à principibus Brandenburgicis, quod petebat, impetravit, quod hactenus ex Marchicis nulli erat datum beneficium. Memini tum LEUTHINGERO honestam offerri conditionem in Misnia cum dignitate commoran-

randi, si integrum illi fuisset: at religio erat, deserere suos aliena appetendo. Hoc tempore, cum antea quoque ad *Freyenwaldensem* ecclesiam vocatus esset, ad *Bernovianæ* gubernationem dioeceseos postulatus est: sed quod sine gravi causa ecclesiam à Deo sibi demandatam non putaret relinquendam, in cujus gratiam tot & tanta pericula sustinuisset, honeste excusavit, & in consilium adhibitus, quem vocandum censeret, ingenue suffragium suum BENEDICTO RADELANDO dedit, in quem senatus consensit, & honeste ad se traduxit. Sed ut solent ingenia φιλαυτα, ubi ad aliquas dignitates pervenerint, immemor hujus postea beneficii, ductus invidia tectas cum NICOLAO inimicitias contra gravitatem theologicam exercuit. Agunt idem per syndicum & senatorem *Colonienses ad Suevum* proceres, principe quoque ipso electore per nobilem BARLEBIUM cubicularium urgente: sed quod dederat responsi *Bernovianis*, etiam *Colonienses* acceperunt, & ut à se omnem instandi materiam averteret, JOHANNEM HERTZBERGIUM illis commendavit, qui cupide eo concessit. Fecit contra multorum consuetudinem, qui potius imitantur MARCUM MUSURUM *Cretensem*. Is Romam adiens archiepiscopus Epidauriensis creatus est, accepta mitra mox purpuram appetiit: sed cum res ex voto non succederet, ambitione hac intempestiva contabuit, ut morbo intercute obrepente, vix ostentatis mitræ insignibus, vitam cum morte commutaret. Habuit & alias vocationes, sicut & in aulam est principis electoris expetitus: sed ubi maximam curriculi partem exegisset, suorumque haberet tumulos, sepeliri & ipse, si sic voluntas Dei ferret, volebat. Tum demum tertiam duxit uxorem. Sed hanc fortunam una post aliam calamitas excepit, cujus rei memoria apud *Lansbergios* obliterata nondum est: nam & incendium fuit maximum, quo potissima pars civitatis conflagrata in cineres redacta est: & grandines magni ponderis, quibus vehementer afflictæ & prostratæ sunt fruges: annonæ quoque caritas insignis, quam pestis

con-

contagio ſecuta eſt, quæ familias aliquot infecit. Etſi autem communem fortunam ferre cum aliis neceſſe haberet: Dei tamen benignitate ſua intacta retinuit, niſi quod lues intra parietes ſerpere cœperat, citra tamen vitæ alicujus periculum. Acceſſit & hoc, quod princeps elector JOACHIMUS II. ex hac vita per mortem decederet. Quod ea tulit acerbitate, qua ſolemus, cum principem clementem, pium, beneficum, ſapientem, doctum, invictumque ſubditi amittimus, neſcio quid ominatus mali ex geminato funere marchionum fratrum, quod tamen ad fortunam principis JOHANNIS GEORGII pertinebat, qui Marchiam in varias partes diſtractam in unum corpus collegit, ut à multis annis potentiorem non habuerit principem. Faxit Deus, in nominis ſui gloriam & ſubditorum ſalutem cedat: ſolet enim fortuna inſignis plerumque mutationem aliquam afferre, quam idem clementer avertat. Ediderat princeps JOACHIMUS ſuam de præcipuis fidei articulis confeſſionem anno ſuperiore *Berlini*, in præſentia omnium ordinum & procerum Marchiæ, quam paſtores ſumma cum voluptate & lætitia receperunt & approbarunt. In ea damnatur error ſacramentarius Cinglianorum, & pœna decernitur iis, qui illum adamaverint. Cum itaque varia diſſeminarentur eo tempore, filium revocatum ex academia *Vitebergenſi*, in quam ante annum miſerat, in *Francofordianam* transfert, ubi alterum quoque filium jam ante alebat ſtudiorum cauſa. Eſt hæc academia multis annis celebratiſſima, ſed in decrementum propter certamina theologica inter ANDREAM MUSCULUM & ABDIAM PRÆTORIUM venerat. Quæ eum eventum habuerunt, ut turbata ſchola, exacerbatisque plurimum animis docentium & diſcentium inter ſe, vaſtitas academiæ ſit ſecuta. Itaque illuſtriſſimus princeps elector JOHANNES GEORGIUS dignitatem & neceſſitatem illius academiæ intelligens, eam de conſilio & voluntate procerum reſtauravit, conceſſa immunitate magna, numero profeſſorum, ſtipendiis, reditibusque auctis, ut florentior in poſterum eſſet. Qua in re

ſane

ſane plurimum debemus Magnifico viro, LAMPERTO DISTELMEYERO, Marchiæ cancellario, ſtudiorum Mæcenati ſummo, cujus veſtigiis obfirmate inhæret nobiliſſimus CHRISTIANUS, LAMPERTI filius, illuſtriſſimi principis electoris conſiliarius intimus. In hac BALDASARUM fratrem novennium aluit, alterum *Vitebergam* remiſit, utroque magiſterii gradu ornato. Cum autem propter ſenectutem & curas publicas & privatas imbecillior eſſe inciperet, totum ſe meditationi rerum divinarum dabat, mundo quaſi mortuus. Tandem cum amiciſſimum virum, OTTONEM à CRUMMENSEH, amiſiſſet, qui paucos dies decumbens in vera imitatione filii Dei mortuus eſt, aliquando deterius habere cœpit. Exiſtimabatur à plerisque, rem veneni ſuſpicione non carere. Et obſervatum eſt ab eruditis, JULIORUM, OTTONUM, ſingulare eſſe fatum, plerumque cum violentia conjunctum. Hinc ſubtriſtior aliquando ſe paulo poſt ſubſecutum iri non obſcure innuebat, & ſimul paulatim decumbere cœpit, morbo quidem & σηντάξει gravi, ſed quem aliquo modo diligens cura uxoris mollivit, quæ ægrotantem tanti faciebat maritum, ut cum viribus plane eſſet deſtitutus, non conjugali caritate, ſed ancillari pene miniſterio ſine omni faſtidio curaret; unde factum eſt, ut plurimum ei viciſſim maritus indulgeret. Teſtamentum condiderat ante multos annos, & in eo, quid fieri vellet poſt mortem, perſcripſerat. Cum autem magis vicinum ſe morti fieri ſentiret, filios ex academiis ad ſe revocavit, & de ſua voluntate plenius docuit. Ad eum correptus modum cum reſpirandi facultatem interdum λυποψυχία quadam amitteret, morbi tamen finem exſpectabamus, inprimis cum animi præſentia ſublevaretur, ſed commodioris valetudinis ſpem exiguam præbebat. Interim, quæ ad animæ ſalutem requirerentur, ſacramentis rite procuratus eſt, quæque ad valetudinem pertinere putabantur, ex multis locis mittebantur, cetera diligenter à nobis & magno ſtudio impenſa ſunt. Quærebatur, *num libenter moriturus eſſet? Quidni*, inquit, *ſumma*

ma cum voluntate, etsi non eadem voluptate ex hoc fœtido hospitio jam dudum migraturus eram. Quomodo enim mortem metuat, qui mortem desideravit? cumque medici morbi causam hanc & illam dicerent, *sine causa*, inquit, *nihil fit, nec mors sine causa extinguendi ullam sibi arrogat potestatem, nedum usurpat. Philemonem risus immoderatus, Dionysium Syracusanum nimia lætitia ex victoria ab hoste reportata, Euripidem à cœna regis egredientem morsus canis perimit, alius alio fato extinguitur. Ego, quo me Deus morbo tandem avocet, patienter feram, dummodo non sicut Arrius, nec inopinato moriar, quod Julium Cæsarem exoptasse memorant, sed non intellexit tantus imperator suum periculum etiam post mortem. Bene ut moriar, Deum precibus meis defatigare non desino, id ipsum mihi initium erit summæ lætitiæ. Et quid tergiversatio illa prodest, cum nemo, quantuscunque sit, momentum aliquod temporis absque Deo vitæ adjicere possit. Homo quo diutius hic est in vivis, eo magis cumulat peccata, & tardius in æternorum possessionem immittitur. Ego semel mori malim, quam semper, ut peccare desinam.* Inserebat etiam, se nobili in extremo vitæ actu adfuisse, quem cum consentientibus medicis hortaretur, ut de vitæ exitu cogitaret, non enim remediis locum amplius esse, supra modum virum eum fuisse perturbatum, ut qui mortem vehementissime exhorruisset, & semper petiisset, ut, si quando ipsum in hac necessitate positum conspicerent, nulla prorsus mentione mortis facta, ad peccatorum expiationem solummodo adhortarentur. *Sed tales*, inquit, *neque hanc, neque illam vitam satis norunt. Ego autem hanc laboriosissimam meo exemplo didici, in qua magnum est, non diu, sed beate vivere, illam etsi in speculo intuear per spem, absit tamen, ut Servatori meo quidquam in eo detraham. Valeant igitur vitæ hujus carceres, quibus de remediis non multum laboro, imo nullius æque rei appetentior sum, quam cœlestis illius gloriæ.* Forte tunc inciderat sermo de linguis in vita æterna. *Certum est*, ait, *hic linguis homines discrepare,*

 ani-

animorumque & rerum esse confusiones. Septuaginta tres vulgo creduntur, sed plures esse, exempla docent. Una urbs Dioscurias domicilium fuit trecentarum nationum, quæ illic ex diversis Asiæ locis commigrarunt linguis dissimilibus, sic ut centum triginta interpretibus negotia à Romanis ibi gerenda essent. Quid aliis in locis fieri putabimus? Animis discrepamus, discrepamus & linguis: at in æterna vita una erit mens, unus animus, & quamvis omnes linguas facillime loqui & intelligere poterimus, unam tamen solummodo familiarem nobis futuram verisimile est, & quidem sanctam illam, qua Deum de cœlo & in terris usum constat. Sicut & ab initio una tantum lingua fuit. Sed hæc paulo post mihi certiora erant. Interrogatus, quomodo vellet sepeliri: *Honeste,* dixit, *in spem & memoriam resurrectionis. Nec possum assequi, quid Frontinus ille voluerit, qui sibi monumentum exstrui vetuit, quod impensæ ejus supervacaneæ essent: aut Epictetus, qui nullam sui corporis imaginem exstare voluit, facinus indignum ratus, corporis formam, quæ animi sepulcrum esset, superesse. Quid autem obstat, quarum virtutum exemplis fruimur, ut non eorundem quoque imaginibus oculi nostri delectentur, cum non solum verba & voces, sed etiam adspectus ad virtutem plurimum habeat momenti. Dabitis igitur, filii mei, operam, ut ex meis facultatibus inter vos post mortem quoque ἐν μνημείῳ, quod vestram de me moneat mentem, vivam. Sic enim vixi, ut vitæ me minime pœniteat vel pudeat.* His & aliis colloquiis suorum luctus levabat, & jam usque adeo attenuatæ erant vires corporis, ut non nisi certis hominibus, qui non minus interdiu, quam noctu excubarent, quo vellet, deportandus esset. Ut itaque testaretur de extrema sua voluntate, ad se vocabat, quotquot ad suam curam pertinebant. Et ad uxorem oratione conversa, postquam præcepisset de constituenda œconomia, datis aliis quoque mandatis, illi tandem δεινοπαθείᾳ extrema valedicebat, & paulo post ad senatum oppidi his ferme verbis loquebatur: "Quanto per annos triginta sex studio, viri

Lans-

Lansbergii, veſtris commodis inſervierim, credo vos intellige-re, vel ſi nondum intelligitis, licet ex viris bonis & gravibus di-ſcere. Et quidem, ſi mihi Deus uſuram lucis longiorem conceſſiſ-ſet, haberetis me in omnibus paratiſſimum, in quibus mea obſe-quia & conſilia vobis opportuna eſſe poſſent. Equidem ſemper putavi, majoris eſſe pietatis & meriti, publica adminiſtrantem mul-torum ſaluti conſulere, quam privatum & in ſolo loco concluſum innocentiam vitæ tueri, nec puto obliti eſtis, quanta fidelitate evan-gelium Jeſu Chriſti vobis annunciaverim, & ſacramenta admi-niſtraverim ſacroſancta, functus, quantum humana infirmitas patitur, paſtoris vigilantis officio. Inprimis autem vos ardentiſ-ſime amavi, ut paupertas etiam ipſa, adeoque pericula præſentiſ-ſima me à vobis abſtrahere minime potuerint. Audiſtis, cum e-go primum huc venirem, hujus eccleſiæ ſtatum fuiſſe impedi-tum valde, vix quinta pars proventuum redibat ad me, reliquum quod erat, in ſuum commodum nobiles quidam tranſtulerant. De meo itaq;, quod erat alioquin pertenue, ne vobis moleſtiam parerem, actio in iſtos inſtituenda fuit, eoque non ſine meo pe-riculo rem deduxi, ut cogerentur, quod illicite occupaverant, in integrum reſtituere. Interim audiſtis, (pauci enim ſunt hodie, qui iſta viderunt,) in quas ego difficultates ſæpe fuerim con-jectus; quoties bombardis petitus, adeoque in ipſo templi li-mine & ſuggeſtu ictus, bipennibus non ſemel ad pectus poſitis, ita, ut niſi me omnipotentia Dei protexiſſet, de me actum fuiſ-ſet. Commoda hæc veſtra ſunt, veſtræque civitatis erant mune-ra, quæ mihi meo incommodo periculoſe delegata ſunt. Hæc vobis omnia jam relinquo. Scitis, mihi non defuiſſe occaſiones ad majores dignitates, ut taceam vocationes honeſtas in Thuringia & Miſnia; Bernoam, Coloniam, adeoque in aulam ipſam poſtu-latus quomodo ſim, obſcurum vobis eſſe non potuit, ubi uberi-or forte mihi dari poterat occaſio augendæ rei familiaris, adeo-que honoris & exiſtimationis meæ promovendæ, ſubſidiiſque

„facilioribus filiis meis ſubveniendi. Sed quo ſemel vos cœpi „amore perſequi, in eo conſtanter perſtiti, maluiq; aliqua incom„moda ferre, adeoque paupertatem ipſam, grave etiam ſapienti „opus, quam vos, etſi honeſte, minus tamen pie deſerere. Quid „dicam de periculis, quibus totus fui veſtri cauſa involutus? ta„ceo mundi principem, ejusque principiſſam calumniam: præte„reo alios, quos ſcitis. Agite, peſtes tres, quibus patria veſtra „fuit infecta, ſuſtinui, amiſſis, quæ mihi cariſſima erant. Ego quo„que ipſe periculoſiſſime tentatus ſecundo vix evaſi. Vulgaria „hæc non ſunt, viri amici, in quibus me meumque in vos amo„rem cognitum perſpexiſtis. Agite, quoties interpoſui me inter „vos veſtráque incommoda, diſſidia multa præcidens, conſiliis „meis nunquam vobis defui, præterea, ut fidelem civem decet, „omnia civilia onera promptiſſime tuli, neque quidquam recuſa„vi, quod ad dignitatem & utilitatem hujus oppidi fecerit. Res „quoque eccleſiæ veſtræ, quantum in me erat, ut augerentur, „auctor fui non difficilis. De meis meritis ſingularibus in „curiam veſtram, quoniam nota eſſe omnibus non expedit, ni„hil hic regeram. Privatim quoque omnia officia vel ſummæ „neceſſitudinis vobis ſemper detuli, & nec dum commemorare „volo, ne ſolus præſtitiſſe videar, quæ hodie multi ad ſe referunt. „Hoc oro, ut ſi quid imprudens offendi, imbecillitati meæ con„donetis, nec enim opinor, inveniri ullum poſſe inter homines, „qui non aliqua ex parte labatur, & cum non amplius poſſint mea „meis conſtare ſtudia, eos ego ſecundum Deum vobis commen„do, quamque mihi debetis gratiam, ut illis referatis, à vobis con„tendo. Videtis, quæ ſint tempora: neſcio, quid animus præ„ſagit: hoc ſcio, omnia facillimam admittere mutationem, nec „eandem retinere formam, & ut cuncta ſeneſcant cito, nihil ta„men citius, quam gratia & benevolentia. Quid autem amavi, „ſi ingratos amavi? Vere nihil amat, ingratum qui amat. No„lite, mei, imitari Joas, regem Judæ, qui Zachariam, Jojadæ fili-

um,

um, ingratiſſime interfecit, ne videat Dominus Deus ſalutis no-" ſtræ & requirat. Fuerunt ſane ethnici hac in virtute paratiores" noſtris. Athenienſes, ut animum declararent gratum in Ariſti-" dem, illius liberis benefecerunt, Lyſimacho certis quibusdam" reditibus poſt mortem patris conſtitutis, filia vero ejus honeſte" elocata. Sic Auguſtus, Imp. Rom. filio Ciceronis, vitæ alias pro-" fligatiſſimæ, benefecit. Sed ſufficit, ne videar vobis diffidere." Vos veſtramque rempublicam Deo commendo, hac ad Deum" precatione facta, ut in εὐφημίᾳ pia & utili perpetuo floreat: Si" vero tempora ingruant difficilia, de quibus ſæpe dixi, cogitabitis," peccatorum hanc eſſe culpam, & diem extremum non procul" abeſſe, & ne fortunæ, vita ſalusque veſtra in diſcrimen veniant," ex verbo Dei conſilioque prudenti ipſi providebitis." Et ſic ma-nu projecta dimiſit. Poſtea ad filios converſus: Quanta vos" quoque, inquit, filii cariſſimi, ϛοργῇ amplexus fuerim, jam for-" ſan non intelligitis, intelligetis autem poſt meum obitum. O" quam fideliſſimus ego vobis pater fui inde à prima pueritia, de" qua nihil hic regeram, quanquam illa una ſit inſtar mille teſtium." Revera autem ex illo tempore nihil mihi ex voto æque fuit," quam ut ſancti educati, veſtigia virorum præſtantium imitare-" mini, quantis ſumptibus ut res meæ fuerunt, obſcurum non eſt." Quas ergo difficultates & ſolicitudines veſtri cauſa ſuſtinuerim," quibus canus ante annos factus maturius forſan decedo, quam" vel ætas mea fert, vel commoda veſtra poſtulant, ipſi probe te-" netis. In academiis à multis vos annis alo iis ſumptibus, qui" majoris domini & opulentiæ patrem requirebant. Sed quid-" quid ejusmodi feci, libenter me in gloriam Dei & commodum" veſtrum feciſſe credite. Voti mei quidem aliquo modo com-" pos factus ſum, ut mihi eſſetis voluptati & ſolatio, ornamento pa-" triæ & gloriæ Dei, vidi & lætatus ſum. Habuiſtis vocationes hone-" ſtas, nec enim pœnitet me veſtri profectus. Sed agite, filii mei, ut" recte utaminor, doctrina, ſi cum pietate non ſit conjuncta, venenum"

 eſt;

„eſt, ſoletq; multos deteriores reddere. Audite, filii mei, extrema
„hæc ſunt verba patris veſtri, audite juvenes, quem juvenem ſenes
„audiebant. Scio, hodie nihil eſſe vulgarius, quam contemnere
„miniſterium evangelii, & ſequuntur opulentiores aliud ſtudiorum
„genus, quorum tamen opera poterat eſſe jucunda & ſalutaris
„eccleſiæ, ſed fugiunt, fugiunt hi pericula, paupertatem, mole-
„ſtias, quibus ſubinde expoſiti ſunt eccleſiæ miniſtri. Ego Chri-
„ſtum egenus ſecutus fui, nec pœnitebit. Sat mihi dignitatis,
„exiſtimationis & opum fuit. Ex patriis laribus exivi anno æta-
„tis decimo quarto, ſoli Deo commendatus, & patri meo in ſe-
„necta, & fratribus adfui, qui omnes ad me aſylum velut & por-
„tum ſacrum in difficultatibus ſuis, quibus præter ſpem oppresſi
„ſunt, confugerunt. Quid in vos contulerim, aliis relinquo co-
„gitandum, quid in alios, qui non ſemel, nec uno beneficio meam
„experti ſunt liberalitatem, ipſi, niſi velint in ingrati animi crimen
„incurrere, teſtabuntur. Vobis & ſat ſuperque relinquo, ſi recte
„frugalitate adhibita utamini; præter id enim, quod recte vi-
„vendum quomodo ſit, ſcitis, plus ex ea habebitis voluptatis &
„minus calamitatum, quam illi, qui plus æquo genio indulgent. His
„patris veſtri veſtigiis vos quoque inhærere volo. Ceterum cum
„vos ſecundum Deum ad eam doctrinam, & eos annos deduxe-
„rim, ut poſſitis vos regere ipſos, de aliis dicere ſuperſedebo.
„Nihil enim puto eſſe facilius, quam alios admonere, nihil autem
„difficilius, quam omnia recte facere. Unum reſtat, quod po-
„ſtulo, ut cujus perpetuo vobis in hac vita hortator fui, pacem
„& concordiam ametis: illa domus florebit, ubi fratres erunt con-
„cordes, illa peribit, quæ diſſidiis & jurgiis alitur. Hos etiam
„pupillos, fratres veſtros, o mea viſcera, quibus citus decedo,
„quam forſan illis expedit, vobis ſub tutela commendo. Deni-
„que quicquid erit, quod vobis in his terris præter nomen hone-
„ſtum, cui diligentius ſemper conſultum, quam fortunis meis
„volui, relinquo, ut id animo grato accipiatis, in meique memo-

riam

riam perpetuam habeatis, utaminor, fruaminor, peto. Deum" teſtor, me ſalva conſcientia non potuiſſe meliore ſtudio aut cu-" ra feliciore res meas augere, quas licet parvas benedictio divina" largiter vobis cumulet. Propitia Trinitas mea fuit hereditas," & non egui, illa vobis quoque delego. Ceterum etſi à vobis" rapiar, non tamen mihi quidquam mali accidere, ſiquidem non" ego, ſed miſeria mea moritur, qui paulo poſt in meliorem feli-" citatem ſum transponendus, cogitabitis. Hoc me ſolum mo-" vet, quod vos in hoc mundi ergaſtulo relinquo. Multæ, cre-" dite mihi, paratæ vobis ſunt difficultates, multa pericula, multæ" clades obviæ erunt, præter omnem exſpectationem. Hæc ego" omnia jam ſuperavi. Vobis quoque dextera excelſi aderit. De-" bent multi nobis multa, ſed vix veſtris incommodis afficientur" pro hujus ſeculi vitio, imo in vos ſe turpiter efferent. Hic igi-" tur veſtras voluntates, omnia denique veſtra implorato Numi-" ne divino conjungite, temere nihil facite, cetera tempus virtus-" que veſtra vos docebit. Mihi poſt mortem nihil gratius fece-" ritis, quam ſi Deum timueritis, virtutem & honeſtatem ſectati" ſartam tectamque conſcientiam cum innocentia conſervaveritis:" Et exporrecta manu benedicens illis, " Deus, inquit, qui me pa-ſcit ab adoleſcentia mea usque in præſentem diem, angelus, qui" eruit me de cunctis malis, benedicat vobis, cuſtodiat & ſervet" vos, ut ſitis organa eccleſiæ ſalutaria. Salvete tandem & vale-" te, mei filii." Sic conticuit, oratione ad Deum tacite conver-ſa. Loquebatur autem ad extremum usque ſpiritum continen-ter, & intelligendi vim habebat inſignem: Crebris enim eva-cuationibus purgabat cerebrum, affirmabatque conſtanter, ante 18. Cal. Febr. ſe non vitam hanc depoſiturum, quamvis æternam cupidiſſime depoſceret, ex ſomniis ſe iſtud habere: quamvis jo-coſe hoc diceret, non enim tantam vim & fidem illis, quamvis aliquam tamen interdum, tribuebat. Solebat potius aſperior eſſe in ejusmodi vanos ſomniatores, qui ſolicite perquirerent, quæ dor-

dormientes ſomniarent, nec curarent, quæ vigilanter agenda esſent. Expertum ſe quoque, diem illum ſibi ſemper calamitoſum fuiſſe, non minus ac Bohemiæ 6. Cal. Sept. qui fatalis eſſet multorum regum illius regni clade. Interim à domeſticis petebat, ne per hos dies moleſtiam aliquam afferrent, eſſe hæc extrema officia, moleſtias ſe longe majores plus centies illorum cauſa pertuliſſe, ea certiſſime die illis ceſſurum. Quod ita factum eſt. Subinde autem jocabatur, ita tamen, ut appareret, illum cogitatione mortis totum occupatum eſſe, & ſubridens quærebat, *quid animi fuiſſet Johanni Scoto, Theologo captioſo, qui nimis feſtinato funere pro mortuo tumulatus in quadam λυποθυμίᾳ, cum redeunte vita ſero morbi impetum natura diſcuteret, nequicquam ad petendam opem ejulatu miſerabili edito, pulſatoque diu ſepulcri lapide, eliſo tandem capite perierit.* Nec quidem tentationes, quæ deprehenderentur, habebat, niſi quod ſemel atque iterum noctu in hæc verba proruperit: *Quid tu hic ſtas, horrenda beſtia, in me nihil habes.* Credendum enim eſt, diabolum variis modis ut in vita, ſic inprimis in agone piis eſſe permoleſtum, etſi nocere non poſſit, quibus ſe videndum præbeat, quacunque tandem ſpecie. Sicut de URSINO, presbytero in *Nurſia*, ſcribit GREGORIUS, quod moriturus viderit PAULUM & PETRUM apoſtolos ad ſe venientes, ſed revera fuerunt φαντάσματα diaboli. Intra hoc octi duum ea erat animi præſentia, quamvis corpore multum debilitato, ut nec ego, nec alii credidiſſent, illum iſto morbo extinctum iri. Sed cum die Veneris illius ſeptimanæ *Berlino* domum rediiſſet NICOLAUS filius de rebus illius, ubi multum ſolicite inquiſiviſſet, de lecto ſe erigens, menſæ aſſidere cœpit & comedere. Hæc erat tibi, o pater cariſſime, illa fames, quæ te ſuprema manebat: ex ea enim hora omnes defecere vires, licuitque tum primum nobis credere, rem agi ſeriam. Erat autem illi pituita propter ejectionis & reſpirandi difficultatem admodum moleſta. Cum itaque ſentiret, hunc

es-

esse vitæ suæ extremum actum, in agone constitutus sellam poposcit, cui insidens cum prius capillos pexuisset, frontemque & os lavisset, oratione prolixa, quam alias quoque assidue recitare solebat, multo singultu & voce tremula, sed pectore constanti magnaque in Deum fiducia, erectis ad cœlum oculis, manibusque elevatis, nobis audientibus res ecclesiæ, multosque de se bene meritos, quos nominabat, suos omnes, suamque animulam Deo commendabat, repetitis aliquot psalmis pœnitentialibus, quos etiam D. AUGUSTINUS in agone recitari sibi voluit, in invocatione filii Dei, geminata aliquoties hac voce: *Deus noster, Deus salvos faciendi, Deus eripiendi ex morte, qui dilexisti mundum, ut filium unigenitum dares, ut omnis, qui in eum credat, non pereat, sed habeat vitam æternam, data potestate, ut fiant filii tui: in manus tuas commendo spiritum meum, in te speravi, non confundar in æternum*: ea hora dieque consueto, quo solebat adscenso propter valetudinem infirmam curru ad conciones habendas ire, 17. Cal. Febr. anno Christi MDLXXXI. absque majore aliquo corporis cruciatu ad cœlestem vitam recta circiter septimam matutinam perrexit, ubi nunc dulcissima ἀκροάματα audit, decantante choro Angelorum, sanctorumque conversatione gaudet, anno ætatis suæ climacterico quinquagesimo sexto, qui est enneaticus, periculosus multis heroicis viris, inprimis qui virtute præstant, in nocturnis genituris, propter frigidatem Saturni duplicatam & Martis. Sicut fere in singulis climactericis mutationes insignes expertus erat, &, ut CICERO loquitur, rerum omnium nodum habuerat. Honestatis adeo cupidus, ut in agone quoque provideret, ne quid contra honestatem vel in verbis, vel in factis, vel etiam gestu delinqueret, & non alio modo, quam sedendo animam suam Deo reddendam existimaret vir multis heroicis virtutibus ornatissimus. Ad personam quod attinet, corpore erat gravi, memoria sagacissima, oculis micantibus, sed tamen parum concavis, fronte quadrata & moderata, facie neque magna, neque

 par-

parva, naſo aquilo, labiis ſubtilibus, & in extremitate laxis, eaque dentium firmitate, ut ex iis ipſi aut longam vitam prædixerim, aut mortis genus durius, quod poſterius eventus comprobavit. In conſiliis valde promptus & felix, omnia ad Deum ipſum referens, cui ſe actionesque ſuas commendabat. Quantum potuerit eloquentia, judicium penes iniquiſſimos eſto, mihi quidem videtur fuiſſe ſatanæ, ejusque complicibus, quod FRANCISCO, regi Galliæ, MATTHÆUS LANGUS, de quo judicabat, multo plus ſibi periculi *Sedunenſis* facundiæ vim, quam legionum Helveticarum cuſpides attuliſſe. Etſi autem ii, quibus eſt magna caloris copia, natura facundiores, & gratiam majorem habere in dictis cenſeantur, quam qui perpetuo chartis inhæreant, & membra vel organa, quibus in ſermone utantur, imbecilla, nec bene munita, exiguosque in pectore ſpiritus gerant; conſuetudine tamen domeſtica & multa exercitatione illum profeciſſe plurimum, cum antea balbus & τραυλος fuiſſet, ex illo ſæpe audivimus, unde cathedra ipſius vana & ſterilis non erat. Conciones quoque ſacræ, quæ lucernam olebant, aculeos & ſtimulos in animis hominum relinquebant. Ut autem in iis, quæ contraria ſunt naturæ & rationi, quæ ad ſtomachum nihil faciunt, & ferme in ſpe tantum ſunt poſita, alias radices orator agat, ſupra humani ingenii vires divina potentia eſt. Nihil igitur ſine Numine implorato cœleſti dicebat, factitabatque, & cum plerique mirarentur ἐνεργείαν & gratiam illius: *Quid, inquit, per pectora hominum efficiam, meum non eſt ſcire, hoc tamen auſim affirmare conſtanter, me egregie colaphiſatum à diabolo per* θλίψεις, ἀγῶνας, στενοχορίας, *totum me permittere poteſtati Dei, ardentiſſimeque orare, ut ipſe me, linguamque & populum regat, & verbo ſuo incrementum adferat. Quod ſi & vos faceretis, ſepoſitis gloriam veſtram rhetoricationibus inutilibus quærentibus, majore cum fructu* ἐν ὑμῶν σταδίῳ *verſaremini.* Etſi interea bardulorum & calvorum quorundam morſus effugere plane non potuit, qui volunt alios omnes reprehende-

re,

re, cum vix cucurbitas pingere queant. De quibus dicebat: *Quam vellem, me esse talem Theologum, quales sibi isti videntur, ut autem talis sim, quales isti, avertat Deus.* Conquerebatur etiam de improba vanitate illorum, quibus pulcrum videretur, & cum aliqua laude conjunctum, de poculis ad conciones descendere, sed contingere illis, quod ÆSCHYLO poëtæ, qui sua carmina multo vino madida scribebat, & hinc laudem aucupabatur. De quibus sapientes judicaverunt: etsi bene scriberet, tamen, quid scriberet, ignorare: ita nec hos meminisse eorum, quæ dixerint. Quod si concedendum, cum laude peractum, minus tamen pie & convenienter fieri. Accidere itaq; justo Dei judicio plerumq;, ut divinam subeant pœnam, sicut CAMILLUS QUERNUS, archipoëta ille, qui abusus ingenio infinita carmina in torrentis morem rotundo ore decantabat, non sine admiratione multorum, & diu inter eruditæ voluptatis instrumenta apud LEONEM pontificem maximum erat, sed nihilo ditior inde factus defuncto pontifice, pro uno LEONE benigno se in multos feros incidisse lupos conquerebatur, & se ipsum præ egestate suspendebat. Vultus erat æquabilis & ad gravitatem compositus, sermo sale & lepore non inurbano conditus. Mores eximiam severitatem, cum humanitate temperatam, vitæ sanctitatem præ se ferebant, quibus competebat istud *Menandri*: ὁ τρόπος ἐστὶ ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος· Unde nemo tam durus & morosus erat, quin consuetudine ejus plurimum delectaretur. Injurias ita ulciscebatur, ut contemneret vel ferret plerasque. Quas tamen honeste dissimulare non poterat, judici competenti delegabat, ne accideret, quod SCYRAPHIDÆ, quem ephori multarunt, quod à multis injuria affectus, de iis conquestus non esset, ignaviam interpretantes fuisse in causa, quod complures auderent eundem lædere. In reliquis etsi non deesset materia respondendi, linguamque haberet plura loquendi de illis, ut AUGUSTUS Imperator conviciatori suo ÆMYLIO ÆLIANO respondet; tantum tamen abfuit, ut faceret, ut optime quoque illorum meminis-

nisset. Ea animi æqualitate in utraque fortuna, ut neque secundis difflueret, nec rebus adversis frangeretur. Aditu & affatu difficilis non erat, ut solent, quos inflat scientiæ opinio. Habent hic opinor multi, quod ipsi acceptum referant. Adeoque hac virtute, qua homo ad Deum proxime accedit, delectabatur, ut raro paratam haberet pecuniam, & quamvis omnino non accideret, quod FRANCISCO PHILELPHO, qui *Bononiæ* obiit, adeo dissipatis rei domesticæ copiis, ut ad efferendum funus cubiculi & coquinæ instrumenta venierint: nec nobis, quod filio illius MARIO, juveni egregie docto, qui paternæ potius virtutis, quam multæ heres substantiæ relinqueretur: attamen clam nobis debita contraxerat in eum solum usum, ut egenorum inopiam sublevaret. Et quærebat de Theologiæ doctoris Erfurdensis JOHANNIS LANGI intentione, qui cum in singulos dies stipendium Joachimici Vallensis nummum haberet, quantum ad victum & amictum, necessariaque ejus dici satis erat, impendit quidem, sed quod supererat, pauperibus distribuit, ita cum in vivis esse desiisset, reliquum nihil esset, unde familia bonis suis defraudata viveret. Nec laudabat factum presbyteri *Alexandrini* ISIDORI, qui cum abundaret opibus, suis tamen moriens pecuniam relinquere noluit, verbo & fiducia divinæ bonitatis confirmans. Ipse cum delectu eam quidem exercebat liberalitatem, ut apud multos amentiæ adscriberetur, quod virtuti & pietati erat tribuendum, sed qui, ut DIOGENES suis respondebat, amens minime erat, quamvis eandem, quam ipsi vellent, mentem minime haberet, fontium tamen suorum dominus esse noverat. Eodem modo valde erat φιλόφιλος, qui adventantes hospites aliunde, quonam officiorum genere prosequeretur, difficulter inveniebat, cum quibus etiam in multam noctem colloquia protrahebat. Quæ res apud *Memmios* istos occasionem olim dederat calumniandi, quasi alterum *Uticensem*, qui totas noctes ebrius esset, quibus tamen cum CICERONE responderim, cur non totos dies ludere addant:

nam

nam diem ecclesiæ & reipublicæ dabat, quæ superstitiose herculeo plus labore procurabat, nocturnas interdum saltem horulas unam atque alteram cum amicis laxando animo sumebat, inprimis si apud honestiores esset: cum magnis enim viris insanire interdum decorum existimabat. Res ecclesiæ multum, inprimis in visitatione posteriore, mandato principis electoris JOHANNIS GEORGII per D. ANDREAM MUSCULUM, & D. ANDREAM PRÆTORIUM, V. V. clariss. de ecclesia & plurimis optime meritos, instituta, adjuvit & auxit. Mane fere secunda aut tertia antelucana surgebat συγχρωνιζόμενος τῷ θεῷ ἀθανάτοισι καὶ τοῖς νεκροῖς, tempus illud studiis & mentis exercitationi magis accommodum ratus, quam SCOPELIANI sophistæ noctem, de qua subinde exclamaverit, ὦ νὺξ σὺ γὰρ δὴ πλῆσσον σοφίας μετέχεις μέρος θεῶν, reliquum publicis negotiis tribuens parum ad curam corporis referebat, alias ne in senecta & corpore gravi horulam studiis subtrahebat, se quotidie etiam, cum in sepulcro pedem haberet, addiscentem fieri doctiorem affirmans. In mensa quotidiana magis de rebus divinis colloquia, quam epulationis curabat. Sicut in omni vita voluptatem nullam capiebat jocundiorem, quam ex cœtu virorum insignium, qui eruditionis & virtutis nomine commendati erant, qui subinde ad eum ex academia, aula & variis locis confluebant. Cum avaris familiaritatem nullam contrahebat, vel si contracta esset, renuntiabat, ut qui cives metropolitani essent omnis improbitatis, quibus merito fieret, ut cum hic vitam vitalem non viverent, aliis τὸν βίον, vitam & victum relinquerent. Frugalis quidem erat, sed sic, ut ad munditiem & elegantiam, dignitatemque nihil deesset. Sine fastu agebat, sic ut una atque altera tantum veste uteretur, cum FULGENTIO sentiens, corda potius, quam vestimenta, mutanda. In hoc uno reprehendendus, quod facilior esset ad credendum, si tamen culpandum est, quod cum bonis commune habet: quo enim quisque est melior, eo minus alios improbos esse suspicatur. Cete-

 rum

rum pacis ſtudioſiſſimus erat, & cùm à multis annis Senatui *Lansbergio*, civibusque cum *Crummenſehnenſibus* contentio incideret, quatenus potuit, concordiæ ſemper auctor extitit, multaque avertit, ut vere clypeus Lansbergiorum eſſet. Eſt autem *Lansbergum* ex antiquiſſimis Marchiæ urbibus una, olim aula fuit principum electorum ex familia *comitum Ploccenſium*, quorum ultimus CONRADUS fuit, qui comitatus hodie eſt ſub ditione principis Anhaldini, ex qua ſe ſuosque tutati ſunt triginta annos amiſſo Brandenburgo, & ut ex ruinis apparet, ampla olim fuit, & egregie munita. Sed bello afflicta à *Vandalis*, *Bohemis* & *Huſſitis* multum à priſtino ſplendore detractum, ut hodie difficulter formam ſplendidæ, attamen amplæ civitatis ſuſtineat. Ab hac *Marchiones à Lansberg* nomen habent. In reliquis nihil vicinis urbibus cedit, ſive loci ſpectes amœnitatem, ſive ubertatem. Habet enim ſuaveolentes hortos plurimos, viridaria & prata magno numero luxuriantia, agros fertiliſſimos, lucos ſaluberrimos, pomaria fructuoſiſſima, ſylvas copioſiſſimas, ſtagna piſcoſiſſima, &c. ut civis ſolers facile quid deſiderare non poſſit. Fuit illa ſemper ſub marchionum legitimo imperio. Sed circiter annum Chriſti MCCCC. mutationem aliquam paſſa eſt, cum à SIGISMUNDO, CAROLI IV. filio, oppignorata eſſet Marchia JUSTO & PROCOPIO, *Moraviæ marchionibus*, quam JUSTUS quidem ſumma cum ſubditorum expilatione annos viginti duos tenuit, ſed PROCOPIO & STOBISLAO bello, rapinis & incendiis *Moraviam* vaſtantibus, ne, dum aliena defendit, ſua amitteret, non ſufficientibus pecuniarum nervis, tandem WILHELMO, marchioni Miſniæ & Thuringiæ landgravio, certa accepta pecunia tradidit, à quo SIGISMUNDUS eam recepit. Antequam vero diſcederet ex Marchia, *Lansbergum* nobilibus à CRUMMENSEH, etſi naturalis dominus non eſſet, ſed peregrinus, & quod integrum acceperat, integrum reſtituere vero domino debebat, pro ſuo arbitratu, quo univerſam Marchiam expilationibus infinitis exhauſit, & ad ſummam

pau-

paupertatem redegit, fine confenfu vero domini & hereditarii oppignoravit admodum vili pecunia, ut vix hodie tuguriolum rustici ea coëmeretur. Cum autem paulo poft SIGISMUNDUS Imperator in Marchiam FRIDERICUM, Noricum burggravium, propter fingulare fibi in Bohemicis & Ungaricis bellis præftitam fidem, plenaria poffeffione cum omni jurisdictione immififfet, Cal. Maji, anno Chrifti MCCCCXV. ad eum, antequam in has regiones ex Francia cum imperio veniret, LEOPOLDUS, ni fallor, *Crummenfehnenfis Onolsbachium* gratulabundus inter primos accelerans, confirmationem conceffionis *Lansbergi* petiit, quam impetravit quidem, fed ea cum exceptione, quatenus poffeffionem illius ordinariam & legitimam probare poffet. Inde certis pactis inter eos & fenatum eft actum, à quibus difcedere non facile poffunt. His autem violatis contentiones erant, inter quas etiam difcordias Deus illum ex hac ærumnofa miferiarum valle ad fe transtulit. Filiis, etfi patriæ ornamento effe volebat, auctor erat, ut extra illam potius vivere mallent: literis enim ubique inveniri patriam, ubi meffis gloriæ uberior & major parata auctoritas effet. In fenectute tandem, in qua virtus, ut omnia, decrefcit, aliquanto iracundior erat, fed ætatis hæc, non viri culpa. Alias revera admirandus magis, quam infectandus, ficut multorum invidiam in vita & periculofa confilia experiebatur. Quibus partim accidit, quod *Cardinali Balvenfi*, qui novas rationes parandi carceres excogitaverat, & in eam primum, quæ perfecta fuit, inclufus eft. Reliqui canes ad hujus moloffi afpectum projicere fefe & adulari cauda folebant, & eurybatiffare, donec Dathan, Corah & Abyran fuum haberent fatum. Ad doctrinam & officium quod attinet, non erat αὐτοδίδακτος, quærens ἀπολαυστικὸν βίον, fed inter ἀκροάματα theologorum educatus, qui non βραδέως Siculis, ut ajunt, gerris frigidiora docerent, fed doctrinam ecclefiæ absq; τῷ βεβήλῳ integram intelligerent, à quibus recte, ut ajunt, libare & litare didicit. Quod igitur per μάθησιν

&

& usum consecutus erat, id omne per διδασκαλίαν in publicam utilitatem liberaliter effundebat, verbum Dei rite secans, & omnia ad legem & testimonium referens, & ad Dixit Dominus, poenitentiam & remissionem peccatorum prædicando, secundum ἀναλογίαν confessionis Augustanæ. Et hic agebat, non ut vulgus hodie theologorum factitant, quos turbæ ministros DIOGENES vocat *Cynicus*, qui multa verborum utuntur circuitione, ne offendant auditorem impudentissima gulæ mancipia, imitati sacerdotem Hammonium, ad quem ALEXANDER M. cum venisset, partim metu, partim beneficii cupiditate, turpiter omnia probavit, quæcunque quæreret rex, impie prætendens, postquam in secretiorem locum templi se recepisset, esse Jovis promissum & voluntatem. In synodis magna παῤῥησία defendebat id, quod justum erat, eoque nomine aliquorum sustinere coactus est calumnias. Amara enim est, juxta HIERONYMUM, veritas, & qui eam prædicant, replentur amaritudine. Et sicut cœna Domini crebro utebatur, ita sacramenta summa reverentia administrari, denique omnia in ecclesia decenter fieri, volebat. Accidit, ut diaconus loci illius guttulas aliquot in actione cœnæ Domini imprudenter in quadam consternatione profunderet, ille quam potuit diligentissime magna veneratione ore lambente excipit illas: & diaconus quidem paulo post à diabolo obsessus est, qui insolenter multa non sine multorum molestia dixit & fecit. Sed ab hoc tandem liberatus publicis & privatis precibus è vita placide discessit. Assidue unam atque alteram horam matutinam precibus habebat destinatam, quas credebatur ea in Deum fiducia & potentia facere, ut multi ad eum in calamitatibus præsentissimis ex locis quoque remotioribus religiose confugerent. Singulari autem præ multis aliis erat à Deo auctoritate & gratia in docendo & agendo ornatus, ut non minus, quod de ERASMO recitatur, per jocum, *Petroselinum* non esse Petroselinum, vel doctis persuadere posset: Homo magni spiritus, zeli & fidei, & ut se-

secundum Pauli instructionem διδακτικὸς esset, studiosissimus. Quid vero docuerit, equidem breviter ipsum audiamus disserentem. Cum enim ἀπολύτρωσιν suam non procul esse sentisceret, advocata domi concione universa populi, in ea ferme verba locutus est: Gratias vobis, carissimi, ago, quod sine molestia me pasto-" rem vestrum extremum salutaveritis, in hoc non solum morbo" meo gravi, sed ipso pene agone, quando tempus resolutionis" meæ instat. Certamen enim bonum decertavi, fidem servavi," cursum consummavi, & reposita est mihi corona justitiæ, quam" reddet mihi Dominus in illa die. Reliquum igitur est, ut ver-" ba testimonii Dei apud vos deponam, & vos Deo Optimo Ma-" ximo commendem. Et quod ad me attinet, cum primum huc" venissem, auctori omnium bonorum gratias egi, quod evan-" gelii lucem per Marchiam & in hac quoque republica, data pla-" cida εὐημερία, accenderit, precatusque sum, ut in hac paucitate" salvandorum ecclesiam suam servaret, ipse ἀρχιμανδρίτης peritis-" simus gubernaret, nec pateretur inter nos fieri vastitatem, in-" primis ubi dies extremus imminet, de quo tamen mihi sumere" judicium nolui, sicut Joachimus ille Abbas Urbano III. pontifici" maximo, illum intra duas generationes venturum prædixit. Me" quoque ita comparavi, vitamque meam, ut quicquid agerem, id" omne ad reipublicæ christianæ utilitatem referre conarer. Hunc" tandem peregrinationum, meditationum, lectionumque assi-" duarum & studiorum finem propositum habui, ut si quid" impietatis laboribus consecutus essem, id omne in publicum" commodum liberaliter effunderem. Hujus mei voti cum in" civitate vestra de providentia Dei reus factus essem, in am-" plissimum me solicitudinum campum immissum existimans," omnibus modis connitendum putavi, ne tanto oneri impar," vel oscitantia vulgata, vel iniquitate judiciorum, qua fere pre-" mimur, vel invidia æmulatorum, qui libidinem pereundi &" perdendi omnia invehunt, succumberem. Utcunque tamen"

„accidit, etſi inter turbas multas viri boni fama non ſolum „in obſcuro eſſe, ſed etiam periclitari ſolet, divina tamen fa-„vente gratia non multum nomini noſtro offecerunt. Fecimus, „quod per gratiam Dei potuimus. Certe quidquid in me fuit, „civitas veſtra jure ſuo ſibi vendicavit, cui non nova, non intri-„cata, aut otioſorum hominum tricas Apinas propoſuimus, ſed „verbum Dei, ſecundum eam virtutem, quam nobis divina tri-„buit clementia. κακοπιςίαν extreme odi, & eo me nomine ſu-„ſpectum vobis eſſe minime exiſtimo. Si quoque tales ſe offer-„rent, minime pedem figere paſſus ſum. Quantum enim ab iſti-„usmodi hominibus ſit metuendum, nunquam vos experiri vel-„lem. Si quis in agro ſulcum transverſum ducit, errat ille qui-„dem & delirat vehementer, ſed error ille correctu facillimus „eſt; at qui perverſe & impie docet, Deum immortalem, quot „ille hominum delinquit incommodo & periculo. In hac navi-„gatione, ad clavum ſedente Chriſto remigiis ſuis, me ſtrenue & „alacriter adjuverunt fratres & amici mei, qui partim in Domi-„no obdormiverunt, partim hic & alibi ſuam adhuc conferunt „eccleſiæ operam. Si quid præſtitum, id omne Deo acceptum „referendum merito cenſeo, ſine quo nihil humana poteſt fragi-„litas. Sed me ad ſe Deus revocat, quid vobis ſit faciendum, ne „quid detrimenti veſtra eccleſia capiat, ſecundum Deum poſthac „providebitis quidem bene, ſed qui ad finem usque perſeveravit, „ſalvus erit. Non ceſſabit boni depravator vires intendere o-„mnes, ut tantum à vobis bonum profliget, nec uno loco labor „hic infauſtiſſimus illi ſucceſſit. Dabitis igitur operam, ut poſt „meum quoque obitum in agnita veritate evangelii perſiſtatis, „corde ſincero credatis, & ore confiteamini ad ſalutem, nec alio-„rum πολυκεφάλων judicio provehamini, qui aliud ſentiunt, ali-„ud docent. De me quidem affirmare poſſum, nihil mihi in o-„mnibus viribus meis tam ſepoſitum, tam ſingulare fuiſſe, quin „veſtris deſideriis & voluntati penitus deſervierit. Et quam vel-

lem

lem omnia ſic eſſe accepta, ut ſunt tradita, ita facta, ut ſunt di-"
cta: ſed multi ſunt inter vos degeneres, udum & molle lutum"
acri fingendum rota, multi valde pertinaces in πονηρίᾳ. Sed"
quidquid ejus fuerit, diem hodiernum finem, & initium eorum,"
quæ ſalus veſtra deſiderat, allaturum, veſtra promittit attentio."
Eſt fere alteratio in rebus humanis. Vos quæſo abnegato mun-"
do date fidem ſpiritui, & accipite, ad virtutem aſpirate altiſſimi;"
quæ datur petentibus, & ne deficiatis in via, efficiet, qui ſalutis"
noſtræ eſt cupidiſſimus, adeo, ut ſi neceſſe eſſet, iterata morte"
ſecundum pro nobis ſe dare paratus ſit, penes quem ſtat judici-"
um de univerſa carne, in hunc ſolum reſpicite. Quomodo au-"
tem ille vobis ſit placandus, ſæpe audiſtis ex me, ad quem ſi de"
profundis clamatum fuerit ſerio & dolenter, petitaque peccato-"
rum venia, pro qua orat neceſſario ſanctus omnis, & creditum"
fuerit, facultatem ei & voluntatem nullam deeſſe ad ſalvandum"
vos, & quia credidiſtis, locuti fueritis, eum glorificando in ope-"
ribus, mandataque ejus & leges, quantum fert noſtra imbecilli-"
tas, ſervaveritis, ut ſicut ipſe ſanctus eſt, & vos quoque fueritis,"
credite mihi, cauſa ſublata malorum, ipſa quoque mala finem"
ſuum ſortientur. Teſtis mihi erit Deus, teſtis mea conſcientia,"
ipſa adeo ſubſellia, parietesque templi voco, vos quoque, qui ad-"
ſtatis, appello, qui ſcitis, quali ſint omnia à me in cauſa ſalutis"
veſtræ & gloriæ Dei fidelitate tradita. Multis fortaſſis ſic eſt"
perſuaſum, ad meum hæc χρήσιμον pertinere, & pro more &"
conſuetudine dici & fieri. Sed res mea non agitur, quamvis"
illa quoque agatur, ſi tacuero, veſtra ſpectatur. Quod peccatur"
interdum leve eſt, attamen quia contra mandatum Dei accidit,"
graviſſime luendum eſt, niſi interveniat miſericordia Dei. Quid"
dicam de iis, qui florentiſſimam vitæ partem diabolo conſecrant,"
& interim de gratia Dei ſibi promittunt egregia. Sed multum"
falluntur. Si enim iis, qui linguam habent multo abſinthio in-"
fectam, deinde quidquid biberint, vel ederint, abſinthium ſapit;"

 „quid

„quid futurum eſt iis, qui bonam vitæ partem in his vitiorum „inquinamentis perdiderunt, num & ipſos cœlum, num ſancta ſa„pere putabimus? an non quod ipſi circumferunt? Quam vel„lem vobis hic idem mecum animus eſſet. Quod autem unum „potui per gratiam Dei, & donum in me collatum, hactenus com„mittere nolui, ut tales in hunc gregem irruentes plane eum pos„ſiderent & tenerent ſubactum. Nunc autem agite ipſi, ut in „peregrinatione veſtra ad vitam æternam ducem & xenagogum „fidelem, ſunt enim hodie δημαγωγοὶ multi, accipiatis, quem vo„bis bonitatis pater largiatur. Ego decurſo meo curriculo de„pono meam apud vos una cum exuviis meis doctrinam, quam „annos triginta ſex multa lectione, meditatione & tentatione a„pud vos probatam docui, integritate ea, qua decebat, & ut ſpe„ro, non ſine fructu: abſit enim, ut noſter in Domino labor ſit „inanis, cui jam moriens inſiſto conſtanter, & quidem juxta ἀνα„λογίαν confeſſionis Auguſtanæ, ad quam me refero. Sed quia „multipliciter illa ſit his annis tentata, quid de præcipuis certa„minibus ſenſerim, repetam. Primum erat certamen poſt abdi„catam pontificiam idololatriam de adiaphoris. Etſi autem in „his regionibus *Interim* natum crederetur, attamen recipere mi„nime volui, cærimonias tamen aliquot, ſecundum principis no„ſtri conſtitutionem, in eccleſia, quæ minime cum pietate & ver„bo Dei & legibus pugnarent, retinui. Sunt enim cærimoniæ „quaſi lac & nutrimentum ad pietatem. In profanas minime „conſentiri volui, ſic ut etiam de fortunis meis ea de cauſa peri„clitarer, nolens ſimul Baal & Deo ſervire, in duas partes claudi„cando. Et quantum potui, dedi operam, ut omnia decenter & „ordine fierent, non tamen ſic, ut ex his petenda eſſet ſalus vitæ „noſtræ. Fruſtra enim coli Deum mandatis hominum intelligi„tis, quæ ſi pro neceſſariis ad ſalutem defendantur, eſſe dæmoni„orum doctrinas, juxta regulam uſitatam: Adiaphora in caſu „confeſſionis, ſcandali & neceſſitatis fiunt mortalia. Secutum eſt

ſchi-

ſchiſma aliud, quod juſtitiam in Deo eſſentialem noſtram volebat" juſtitiam, merito filii Dei rejecto. Ad hunc ego errorem minime ta-" cui, noſtram evincens eſſe juſtitiam illam imputativam Chriſti Jeſu," quam per obedientiam ſuam nobis promeruit, eam, quæ conſiſtit" in remiſſione peccatorum per ſolam gratiam ſine operibus noſtris," per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Docui, Spiritum ſan-" ctum credentibus dari, qui illuminet & renovet corda noſtra, ut" virtute & operatione illius incipiant Deo obedire, ſed tamen mini-" me obedientiam illam eſſe juſtificationis noſtræ cauſam, ſed tan-" tum fidei fructum, qui juſtificatum neceſſario ſequatur. Homo e-" nim propter lapſum ita depravatus eſt, ut ad bonum efficiendum o-" mnino ſit ineptus, & quia peccata etiam magna ſanctis inhæreant," qui ſexies in die cadant, obſcurantur noſtra opera, quæ alias per ſe," licet optima, in hac vita mortali perfectionem minime recipiant." Ad liberum arbitrium quod attinet, oſtendi, hominem in rebus" divinis eſſe truncum, nec carnem percipere, quæ ſunt Spiritus." Aliam fuiſſe hominis vim & conditionem ante lapſum, viribus" illius, qui erat imago Dei integra, corpore & animo, in intel-" lectu & voluntate ſalvis & incorruptis, qui ex hac naturali luce" intellectus ſui potuit eſſentiam & voluntatem Dei, ſecundum" legem naturæ inſitam, recte & vere intelligere, nec difficile fuiſ-" ſe naturali facultate & voluntate legi Dei perfecte obedire, ex-" terne & interne, & habuiſſe libertatem in ea obedientia manen-" di, aut diſcedendi ab ea. Sed arbitrio hoc abuſum hominem," & peccato obnoxium factum, viribus animi & corporis univer-" ſis corruptis & depravatis ſeſe perdidiſſe, & illud, in externis qui-" dem, quantum ad corporis ſuſtentationem pertinet, aliquo mo-" do retinere, quatenus tamen non carnis imbecillitate aut diabo-" lo impediatur: Sed in rebus animæ eſſe ſervum arbitrium, & ha-" bere ſe hominem mere paſſive, qui ſi convertendus ſit, opus eſ-" ſe Dei, qui ex gratia per Chriſtum Spiritum ſanctum mittit, qui" in eo fidem veram & converſionem operetur. Qui igitur glo-

„riatur, in Domino glorietur, qui dat velle & perficere. Alias „non ſumus idonei cogitare aliquid à nobis. Etſi autem De„us immediate hæc nobis conferre omnia poſſet, attamen „divina opera ſua regulariter efficere per media ordinata, ver„bum & ſacramenta, ſolet. Per hæc illuminat, convertit & con„ſervat Spiritus ſanctus hominem in vera fide, quæ eſt ex au„ditu. Verum igitur eſt, operationem Spiritus ſancti in nullo „homine, niſi miniſterium uſurpante, expectari. Turbata quo„que fuit Marchia noſtra ab Antinomis, & pugnatum eſt acriter „ab utraque parte claſſicis ſcriptis. Sed quia à Luthero anteſi„gnanus eorum erat proſtratus, minus detrimenti captum eſt. „Docui vos ſemper, fidem ſine operibus mortuam. Chriſtiani„ſmum verum eſſe τὴν πίςιν καὶ καλὰ τὰ ἔργα. Nolite igitur vos„met ipſos decipere, ſcortatores, adulteri non poſſidebunt re„gnum Dei. Et ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Ma„xima autem controverſia fuit de cœna Domini, Chriſtiq; aſcen„ſione, ejusque omnipotentia ſecundum humanitatem. Qui ne„gant, in cœna corpus & ſanguinem Chriſti ſubſtantialiter por„rigi, fundamentum erroris ſui rationem habent. Sed qualis eſt „hæc fides, credere, quæ oculis ſunt ſubjecta & ſenſibus? ratio„nis quidem eſt, ſed cujus ædificatio eſt fidei noſtræ deſtructio, „ejusque deſtructio noſtræ fidei ædificatio, quæ verſatur circa res, „quæ non videntur. Credimus igitur, vere & ſubſtantialiter in„viſibiliterque, manente qualitate panis & vini, in cœna Domini „corpus & ſanguinem, qualiter in patibulo crucis pro expiatio„ne delictorum noſtrorum ſe obtulit ad placandam iram Patris, „dignis & indignis porrigi ad manducandum & bibendum; di„gnis quidem in remiſſionem peccatorum, & commemoratio„nem Chriſti, ejusq; bonorum & beneficiorum participationem: „indignis autem ad judicium: transſubſtantiatione pontificiorum „rejecta, figuris, tropis ſacramentariorum, & quicunque κατὰ „τὴν διάνοιαν fucum nobis facere volunt, exploſis. Interim præſen-

ſentiæ illius modum commendamus, & qui omnia, quæcunque" voluit, fecit in cœlo & in terra, & apud quem nihil eſt impos-" ſibile. Hæc & alia ex fontibus Iſraëlis deducta docui conſtan-" ter, & nunc ceu teſtimonium meæ apud vos doctrinæ depono" & trado, cum hac obteſtatione, ne latum quidem unguem ab" ea diſcedatis. In qua vos & poſteros veſtros Deus Optimus Ma-" ximus ſervet, ut ſitis heredes vitæ æternæ. Dubium non eſt," triſtia imminere tempora, plena impietatis & ſcandali, magnas-" que imperiorum ruinas futuras. Sed in his eccleſiam ſuam ſer-" vabit, qui dicit: Ego portabo vos in ſenecta, & ero vobiscum" ad conſummationem ſeculi. O Domine JEſu, quem ego do-" cui, in quem credidi: quis me eripiet ex hoc corpore, ut ſim" ſpectator infinitæ tuæ majeſtatis, & plene tibi gratias pro tantis" tuis in me privativis & poſitivis bonis agam. Benedictus Do-" minus Deus meus, qui me benedixit omni benedictione, co-" medi & ſaturatus ſum, qui toties angelum ſuum miſit in oc-" curſum meum, & ſervum ſuum cuſtodivit à malo, malitiam-" que adverſario in caput ſuum reddidit. Benedictus Dominus" Deus meus, qui non abſtulit veritatem ſuam à me, civemque" eccleſiæ ſuæ eſſe voluit, & peccatorem ſanguine ſuo mundavit." Benedictus Dominus Deus meus, qui locutus eſt per me, qui" me humiliavit, & dedit mihi intellectum, ut diſcerem juſtifica-" tiones rectas, & non amovit à me miſericordiam ſuam. Bene-" dicam Dominum omni tempore, ſemper laus ejus erit in ore" meo. Benedicat vos quoque Pater Domini noſtri JEſu Chriſti," qui cuſtodiat vos, egreſſum & ingreſſum veſtrum, oſtendat vo-" bis faciem ſuam, & miſereatur veſtri, convertat vultum ſuum" ad vos, & det vobis pacem. Benedicite Dominum omnes, qui" ſperant in eum." Sic concionem triſtem & gemebundam cum omnium dolore & fletu dimiſit. Tandem cum in diem terti-um ſepultura differretur, quod mirandum erat in obeſo corpo-re, nullus fœtor, nulla deformitas apparebat, ut dormire, non mor-

mortuum crederes. Sic 16. Cal. Febr. in magna frequentia nobilium, miniſtrorum verbi, amicorum, ſuorumque omnium, & civitatis univerſæ luctu publico, delatus honorifice in templo ad latus altaris tumulatur, orationem funebrem præpoſito Bernoviano habente. Sepulcrum monumento lapideo, & poſt epitaphio lapideo cum tabula honeſtatum. In quo expectat adventum JEſu Chriſti & reſurrectionem glorioſam. Veni Domine JEſu, etiam veni. Tu vero, pater cariſſime, requieſce in cubiculo tuo à laboribus: vive ſancta anima & fruere ſumma felicitate. Ego, ut ſupremum meum in te amorem conteſtarer, pietatis ergo officia omnia, quæ à filio proficiſci poſſent, exhibui. Faxit Deus, ut brevi una ſimus. O JEſu veni, vide, & judica.

GRATULATIO

Pro ſummorum honorum,

Illuſtriſſimo & reverendiſſimo Principi ac Domino,

DOMINO JOACHIMO FRIDERICO,

Adminiſtratori Magdeburgenſi, Marchioni Brandenburgico, Duci Pruſſiæ, &c.

A. S. P. Q. Magdeburgio 7. Cal. Novembr. ao. MDLXXIX. decretorum,

felici auſpicio & incremento.

Epigramma.

Ad JOACHIMUM FRIDERICUM, Marchionem Brandeburgenſem, Ducem Boruſſiæ, &c. Archiepiſcopum Magdeburgicum deſign.

CUm Junone Venus, cum docta Pallade certat,
Cujus, ait, Præſul Parthenopæus erit?
Ad quod Juno: Meus, qui tantas poſſidet urbes,
Innumeris opibus divitiisque potens.

Sed

Sed renuit Pallas: Meus eſt tanta indole Princeps,
Qui virtute genus vincit & ingenio.
Hinc Cytheris: Cedant regna & virtutibus artes,
Major vis formæ, forma dat eſſe viro.
Tum genitor: Veſter quia tot bona poſſidet unus,
Auctior ornatus debet hic eſſe meus.
Inde ſacer terris: poſt fata noviſſima Divus.
Qui melius poſſet vivere hic atque mori?

M. Nicolaus Leuthinger.
Vitebergæ f.

Ad reverendiſſimum Principem ac Dominum, Dn. JOACHIMUM FRIDERICUM, JOHANNIS GEORGII, Principis Elector. filium, Archiepiſcopatus Magdeburgenſis Adminiſtratorem, Germaniæ primatem, potentiſſimæque domus Brandenburgicæ Marchionem illuſtriſſ. Pruſſiæ, Stetinenſium, Pomeranorum, Caſſubiorum, Sclavorum, Sileſiæque Ducem, Principem Rugiæ, & Norici caſtri Burggravium, &c. Dominum ſuum clementiſſ.

RECte tandem, Princeps illuſtriſſime, tuorum pro univerſa republica laborum, omniumque in te regiarum virtutum præſtantiſſimi ſtudii fructus veros, non morituros, laudem & gloriam cum voluptate percepiſti. Magnum erat, tot majorum, avorum, atavorumque inſignibus magnifice decoratum, tot præluſtribus ornamentis, rebusque eorundem optime geſtis clariſſimum eſſe, ſed majus quiddam ac divinius, ſuis quoque factis inclareſcere, & quod maximum, gloriæ facem ſuis præferre. Quod tu mihi ita, Princeps inclite, conſecutus videris, ut, quibus ſis comparandus, non facile inveniam: Ita egregiis tuis virtutibus non ſplendorem illum modo familiæ tuæ, cui tamen ut quid addi poſſit neſcio, integrum conſervaſti, ſed & plurimum illuſtraſti. O generoſam mentem, o invictum animum, o rem viro Principe dignam, & ad omnem poſteritatem transmittendam, non vitam agere velle, quamvis ſplendidiſſimam,

mam, nisi vivas. Non igitur, Princeps generosissime, vivis modo, sed bene, feliciter, summaque cum admiratione vivis. Si enim ex honore virtutis præmia æstimanda, Deum immortalem, quæ tibi non ex amplissimo illo, ut in messe seges exoptatissima, parata est. Quid enim aliud tot fortissimorum & optimorum virorum præstolationes sibi volunt? tot magistratuum superiorum & inferiorum honorificentissimæ salutationes? tot heroum & Principum gratulationes? denique quid commune hoc gaudium, populique universi studium incredibile & de pace & salute acclamatio? Meo profecto judicio amplior homini magno gloria omnino expectari non potest. Quid autem tantus omnium ordinum concursus? nonne quod te unum omnibus honorum amplissimorum ornamentis dignum censent? te sibi de cœlo missum, majusque quid præ te ferre, quam ut mortalitati consecreris, recte & vere credunt: gaudiumque hoc adeo peramplum, ut non intra limites diœceseos consistat, sed commune cum multis hinc ad remotissimos penetraverit. Macte virtute, optime Præsul, & his laudibus ad nominis æternitatem grassare. Jacta sunt pulcerrima fundamenta, magna pars jam decursa est, nihil immortalitati tuæ, præterquam extrema manus deest, hanc tempore imponere, non tam tibi arduum & difficile, quam honorificum fuerit. Non igitur sola civitas Magdeburgensis, apud omnes sane laudatissima, gaudes, & ad summam felicitatem tuam, maximumque urbis incrementum pertinere adventum Principis merito existimas, nec sola fructum tuum illius pietate, potentia, consilio, fide, virtutibusque maximis, in quibus acquiescis, metiris: Sic omnia lætitia & gratulatione plena sunt, ut nec una regio, nedum una civitas capere possit. Quid enim non sibi hinc potentissima illa domus, illustrissima Brandenburgica provincia vendicat? Hinc pater Septemvir Romani imperii augustissimus diu desiderata voluptate afficitur, quam ex bonorum filiorum præclara fortuna parentes φιλόστοργοι καὶ φιλάρετοι capiunt: Hinc Marchiæ

chiæ ampliſſimi Proceres gratulabundi undique confluunt tantis auſpiciis bene precaturi: cum populoſiſſimis urbibus certatim omnis nobilitas & populus ſe effundit, pacem & victoriam acclamans. Quonam animo putabimus? Quæ vero Boruſſia illinc non parat, exoſculata & amplexa Principem, cujus tot ornamentis Archiepiſcopalis dignitatis faſtigium acceſſerit? Quam præterea iſthinc Francia quoque, magnaque Sileſiæ & Voitlandiæ pars, (nam hæ provinciæ omnes hæreditarium JOACHIMUM FRIDERICUM dominum agnoſcunt,) publicam lætitiam non oſtendunt, eamque perpetuam & Marchicæ civitati ſalutarem eſſe exoptant: Adeoque omnis respublica chriſtiana continere ſe in communi gratulatione non poteſt, dum deſperatis his temporibus, ubi nullus religioni aut virtuti honor eſt, tantæ expectationis Marchionem ſibi plurimum opis allaturum confidit. Ideoque nihil magnum ſatis eſſe, quod tantis meritis par ſit, judicat. O terque quaterque te beatum, cui ſic vivere à Deo datum! O felicem, cui vel in ſenecta, quæ tibi in primæ juventutis annis, eveniant! Videas ipſius Dei quoque Optimi Maximi favorem: nam cum 7. Cal. Novembr. huic ſolennitati conſtitutus eſſet, iisque diebus varia eſſet aëris tempeſtas, ventorum ingentes turbines, & nivium cum pluvia mixturæ graves & difficiles, præter opinionem tanta ilico ſerenitas effulſit, ut omnes, lætiſſimis animis omen accipiendo, optima ſibi de tanto Principe pollicerentur. Scilicet virum, quem Deus in deliciis habet, & ad maximos honores reſervat, alia experiri non conveniebat, quandoquidem ut auctor eſt in Heroibus excellentiſſimis & ſingularum virtutum, ita egregius & optimus cenſor, nihil non cohoneſtatum & remuneratum relinquit, & frequenter per principiorum omina, nos de eventorum exitu, inprimis in rebus arduis & ad publicam rem pertinentibus, indicio quodam præmonet: Qui, quod principio felix fauſtumque fuit, & jucundum arriſit, exitu feliciſſimum quoque ſit, faxit. Sed quis mihi hic frivola quadam philoſophus Sa-

turninus ἐποχῇ insusurrat, jubens, casune Principes terris veniant, an à rerum conditore immittantur, in medium relinquere. Si hoc conceditur, ut non poteſt, unde igitur tot & tanta præ reliquis virtutum ornamenta? humana enim non ſunt, quibus tu abunde, Princeps illuſtriſſime, emines, ut ſi quis cogitet, ſpectet, dubitet, omnes Deos Deasque, ut veterum more loquar, ſua dona contuliſſe, negare non poſſit. Talis tantusque es, ſic excellis pariter ἐν τῇ εὐδαιμονίᾳ ϗ εὐτυχίᾳ, ut vel principiis Theologicis, quæ omnia à Deo proficiſci monent, à quo hoc quoque honoris ferunt, ut Scalith Domini nominentur, tacentibus, ſecundum tamen rationem, impoſſibile eſſe hanc pulcerrimam creaturam caſu extitiſſe, convincamur. Cum autem non unum bonorum genus ſe offerat, ſaniores circa id maxime ſolliciti fuerunt, quod τὸ ἐν ταῖς τῶν ἄλλων ἀγαθίδεσι ἀγαθὸν μέγιστον hominem feliciſſimum efficiat. Variæ hic in Philoſophorum cathedris jactatæ ſententiæ, dum illi hoc, hi illud, quo vel ratio duceret, vel appetitus raperet, ſtatuerent. Sed utut hæc accepta ſunt, dum videas ſingularia in ſingulis, hic uno obtuitu ϗ παρόψει univerſalem κυκλοδαιμονίαν videre licet. Si enim externa, ſeu quæ ſapientibus prima, τὰ πρῶτα φύσεως ſunt, ſicut illa quoque diſcendi cupiditate plurimum tenemur, quales illi fuerunt, à quibus magni viri originem ſuam acceperunt, quandoquidem & ſemina virtutum à majoribus in poſteros propagari exiſtimantur. Si igitur, inquam,

Genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,

nobilitatem ſpectes, laudem hodie præ ceteris familia Brandenburgica obtinet, quæ per omnem ferme Germaniæ oram, multos præcipuæ nobilitatis vel affinitate, vel amicitia, vel armis, & bello ſibi devinctos habet, ſicut longe lateque hodie in Germania dominatur, & alias facile potentia ſuperat. Si rerum exordia & familiæ vetuſtatem explores, quid non habuit vel potius non habet. Nam præterquam quod ſeculis jam aliquot jus poteſtatemque eligendi Romani Imperatoris, quæ longe maxima dignitas eſt,

uſur-

usurpet, rerum quoque bellicarum gloria, virtutisque & sapientiæ, sed inprimis eloquentiæ, non opinione, ut ferme fit, sed solida laude semper claruit, ut nullum mihi ex his plurimis dare possis, qui non ornamenta singularia ad familiam attulerit, cujusque merita præclara non in provinciam modo Marchicam, sed omnem prope Germaniam non extent. Quibus Regum quoque & Principum exterorum egregia, honorifica & immortalia virtutum testimonia promeruerunt, & ipsis cum paucis acceptum referendum, quod poëta de Romanis dicit:

Germanos rerum dominos, gentemque togatam.

Sed major hic se ampliorque campus aperit, quam ut falce ingenioli mei, ὄτε τῇ γραφικῇ, ὄτ' ἑρμηνευτικῇ δυνάμει instructa, messis illa uberrima gloriæ demetenda & colligenda sit. Quod vix Romanæ facundiæ parens *Cicero*, aut orbis delicium *Livius*, lacteo eloquentiæ fonte manans, præstaret: Ex multis tamen & innumeris ALBERTUS Marchio Elector, à quo tu, JOACHIME FRIDERICE, recta linea paternam originem ducis, qui contra Belgas, FRIDERICI III. Imperatoris tempore, rempublicam servavit, vel apud Italos clarissimus est. Qui etsi alias alienæ laudis parcissimi, Germanorum tamen inprimis virtuti & gloriæ invident: inter alia *Cornelii Taciti* equitis Romani scriptis & monumentis, quæ integra habere putantur, testibus, incredibile tamen, quod de illo memoratum posteritati reliquerunt. ALBERTUS, inquit *Sebnensis*, cum Norinbergensibus bellum intulisset, omnes ferme Teutonici sanguinis Principes ad se traxit: Comites vero Norinbergensibus suppetias misere. Grave illud & diuturnum bellum fuit, in quo tot potentiæ concurrentes infestissimis odiis certavere biennio. Novem prælia commissa feruntur, ex quibus octo victor ALBERTUS confecit. A teneris annis in armis educatus, pluribus interfuit præliis, quam alii sui temporis Duces aut viderint, aut legerint: Militavit in Polonia: Pugnavit in Silesia: Stipendia in Austria fecit: Prædas ex Ungaria tulit. Nullus in

Alemannia terræ angulus, quem non calcavit. Armatus duxit innumerabiles exercitus, proſtravit ferociſſimos hoſtes, expugnavit munitiſſimas urbes. In congreſſibus pugnam prior iniit, victor è prælio ultimus exceſſit. Ad ſingulare certamen crebris vicibus incitatus, nunquam detrectavit, neque unquam non ſtravit hoſtem. In militaribus turbis, quibus haſta contenditur, unus omnium repertus eſt, qui nunquam equo dejectus ſit, & ipſe omnes in ſe currentes ejecit. Ex torneamentis ſemper victor exivit, ſepties & decies ſolo tectus clypeo, aut galea, cætera nudus, ut eſt apud Teutonicos duelli quædam ſpecies, in provocatores pariter armatos lancea acuta cucurrit, nullo unquam damno affectus, cum adverſarios ipſos nunquam non equo turbaverit. Quibus ex rebus non injuria *Teutonicus Achilles* appellatus. In hoc viro non ſolum militares artes & imperatoriæ virtutes ſingulari quadam gratia eluxere, ſed nobilitas quoque generis, proceritasque corporis ac venuſtas & virium robur: De quo vulgo jactatum proverbio, ALBERTUM *Marchionem inſtar omnium in Germania Principum unum eſſe.*

> *Scilicet armarat Deus hunc, idemque cremavit:*
> *Jam civis eſt, & de tam magno reſtat Achille*
> *Neſcio quid, parvam quod non bene compleat urnam,*
> *Ac vivit, totum quæ gloria compleat orbem.*

Quæ vero ætas non laudaverit FRIDERICUM I. ALBERTI patrem, qui primus dignitatem electoralem à SIGISMUNDO Imperatore in concilio Conſtantienſi, ob præclaram imperio pace & bello operam navatam, in hanc familiam acceptam tranſtulit, & propter ſapientiæ & fortitudinis opinionem apud omnes celebratiſſimus eſt. Quis majore Huſſitas, quos invictos vulgata proclamabat fama, prælio fudit? quis feliciore conatu ſeditioſos in Marchia compeſcuit? Megelburgios profligavit, Pomeranos vicit, oppidaque multa Marchiæ ab hoſtibus erepta & occupata recepit, arcisque Colonienſis ad Suevum prima fundamenta poſuit; adeo-

adeoque fors & virtus nihil addere potuerunt, ut unus dignus, qui tantæ familiæ facem præferret. Sicut tamen nihil per omnia felix, Lansbergum ſub illo vetus ab Huſſitis, qui tum formidabiles erant, incenſum, dirutum, ſolo adæquatum. Magni nominis olim civitas, ex qua ipſi Principes Electores ad 70. annos, contra Vandalorum incurſiones, qui Brandeburgum & omnem fere Marchiam tenebant, ſe ſuosq; tutati ſunt. Parvum jam Lansbergum vocitatum ob infrequentiam, & antiquum ob vetuſtatem, unde nomen accepit, quod cum primis in his regionibus ædificari & condi cœptum ſit. Quid de FRIDERICO II. Electore dicam, qui cognomen à ferreis, ob egregia facinora in bellis edita, dentibus tulit, & primus Ducis Pomeraniæ titulum geſſit. Quis JOHANNEM Electorem, *Teutonici* ACHILLIS filium, cognomento *Magnum*, non prædicaverit? cujus auctoritas, cujus facundia aſſequi poterit, quod ille ad urbem Vratislaviam, Sileſiæ metropolim, trium maximorum Europæ Regum, interregni tempore, de Sileſiæ Principatu contendentium, controverſias componendo? Quis unquam melius de republica meritus eſt, qui non unum atque alterum civem, ſed univerſam patriam ſervavit. O rem memoratu digniſſimam, conſilia ſua ad patriæ & publicam ſalutem referre. Scilicet cujusvis eſt rempublicam turbare, ſed in integrum reſtituere ſolius Dei, aut ad Deum proxime accedentis. Ornatus quoque JOHANNES Elector hoc encomio publico: *Neminem illo tempore melius aut perfectius dicere potuiſſe.* Ita oratio ſententiis & affectibus luxuriabat, venuſtate & lepore excellebat, ut ipſæ Charites in ea manus lavaſſe vel undique de floribus conſperſiſſe viderentur. Nec his inferior fuit JOACHIMUS I. nominatus *Teutonicus Cicero*, qui latrociniis maximis rem domeſticam purgavit, & academiam Francofordianam, humanitatis, religionis, legum & virtutum nutricem & cuſtodem, ao. MDII. fundavit. In quo ſeipſum vicit Princeps eloquentiſſimus, qui in conventu illo πανγερμανικῷ Auguſtæ ao. XXX. cum CAROLUS V. Im-

Imperator Auguſtus, ab Epiſcopis, &, ut vocant, Clericis, latino ſermone accipiendus eſſet, ut oratoris partes ſuſciperet, vel quod neminem ornatius & ſplendidius dicere poſſe vere judicarent, vel quod doctrina in illis deſideraretur, exoratus. Deum immortalem, quis omnium ordinum & hominum vel diſertiſſimorum, qui de hoc genere judicare poſſent, concurſus factus, qui omnes uno ore, orationem melle dulciorem fluere, prædicarunt. Huc provocat inſignis ille nobilitatis antiſtes, ALBERTUS *Marchio*, Archiepiſcopus Moguntinus & Magdeburgenſis, Halberſtadienſis Adminiſtrator, imperator Elector, cujus in evehendis literarum ſtudiis incredibilis ardor, in percolendis hominibus doctis immenſa liberalitas, ac regia plane munificentia, in augendo denique optimarum artium cultu ad ſuperſtitionem mira induſtria. Quos omnes JOACHIMUS II. Elector, *Teutonicus Neſtor* cognominatus, tantum poſt ſe relinquit, quantum eloquentiæ, ſapientiæ, rerumque bellicarum ſcientia & uſu reliquos præeundo ſuperat. Hujus avi tui virtus tanti æſtimata, ut bis publico imperii nomine dux & imperator exercitus imperii, communi omnium ordinum ſuffragio, declaratus, anno XXXII. & anno XLII. bellum in Ungaria contra hoſtem immaniſſimum geſſerit. Quam vero *Conſiliis habitus non futilis auctor,*
quam ſapiens fuerit, & τὴν ψυχὴν πλȣσίαν habuerit, meum non eſt judicare. Qui velut oraculum, in gravioribus deliberationibus, à ſummo illo in terris Romani imperii ſenatu conſultus, velut numen reveritus, ſuis conſiliis magna ex parte publicam rem adminiſtravit & gubernavit. In multis deliberationibus gravibus verba illius teſtimonia, ſententiæ, Evangelia fuerunt. Certe velut alterum parentem filiis FERDINANDUS Imperator moriturus teſtamento reliquit, ex quo virtutem Trojano velut Ænea diſcerent, quem vires non ſine mente gerere, dextram bello utilem, ingenium moderamine, & tam animo, quam corpore prodeſſe poſſe, noverat. Nec aliis tantum ſapuit, ut fere fit in rebu

hu

humanis, qui in comitiis publicis & privatis & ſecretis actionibus conſilia cruenta & feralia ſæpiſſime prohibuit, ſed ſibi & ſuis quoque. Nam cum Germania omnis cum alias, tum anno MDXLVII. inteſtinis bellis arderet, in his tantis turbis & tumultibus totius Germaniæ, quibus nullus locus expers erat, ſola Marchia bellum experta non eſt. Hanc quoque laudem ſingularem reportavit, quod in actionibus pacis felix, & absque delectu in omnes, doctos tamen inprimis munificentiſſimus fuerit. Dum igitur literæ, literarumque cultores, dum docti alicujus fama perennarit, memoria tanti Herois intermoritura non eſt. Patriam multis ingentibus operibus & præclaris monumentis ornavit, & primus titulum Ducis Pruſſiæ geſſit. Quamvis autem laudes aliæ maximæ & plurimæ ſint, tamen hæc longe omnium maxima, quod anno XL. in tota ditione ſua libertatem prædicandi Evangelium in vigilia, quam vocant, omnium Sanctorum clementer conceſſit, qua & primæ theſes Antichriſtum oppugnantes à reverend. P. *Luthero* ad templi valvas cathedralis Vitebergæ annis 26. ante erant affixæ. Princeps diſertiſſimus & in utraque lingua doctiſſimus, qui non modo religionis doctrinam recte intelligebat, ſed dextre etiam de illius controverſiis, & horum temporum certaminibus judicare poterat. Oſtendit hoc inter alia confeſſio quoque illa, quam in ſynodo Berolinenſi, anno LXIX. in conſeſſu illuſtriſſimorum Principum filii & nepotis, illuſtrium Comitum & Baronum, totiusque Marchiæ & aulæ procerum & præcipuorum verbi Dei miniſtrorum 20. Cal. Auguſti die Magdalenæ de omnibus articulis fidei Chriſtianæ ingenti motu ardentique ſpiritu edidit. Qualia multa alia pietatis, conſtantiæque in ea defendenda & confitenda, documenta Marchionum familia inſignia habet: GEORGIUS Marchio, GEORGII FRIDERICI pater, cum in comitiis Auguſtanis adverſus recte ſentientes in religione, anno XXX. atrox ſententia promulgata eſſet, capitis potius periculum ſubiturum, quam à veritatis doctrina diſceſſurum ani-

mo intrepido palam dixit. JOHANNES II. quoque Marchio, cognomento *Sapiens*, in repudiandis corruptelis religionis, quibus inepte titulum fecerant Interim, (forte quia Papatus interitum præsagiebat, quæ dictio per literarum transpositionem, nulla vel deficiente vel redundante, Mentiri exprimit,) constantiám, anno XLVIII. præstitit, ut reliquis in tanta Imperatoris fortúna, armatisque comitiis, consternatis & vacillantibus, ipse solus imperii decreto reclamaverit. Nec virtus minor est JOHANNIS GEORGII, Principis Electoris, T. Celsitud. & Patriæ Patris, qui cum ceteris Imp. Principibus jam pridem de conservanda antiquissimæ pietatis doctrinæ pura & sincera veritate, matura consilia confert. Ad quem, ut reliqua prætercam, amplissimarum provinciarum hæreditates pervenerunt. Patriæ amans Princeps, quam pulcerrimis ædificiis, splendidissimis arcibus, firmissimisque munitionibus ornat, opibusque necessariis pacis & belli tempore instruit, ut nescias de futuris magis, quam præsentibus solicitus videatur. Competit illi, quod in laudem DOMITIANI Imperatoris dicebatur: Ædificare gaudes. Quales *Homerus* λαῶν κοσμήτορας, populorum exornatores vocat, ut sit splendida nunc, olim sylvestribus horrida dumis Marchia. Et dici posset, Marchiam luteam & ligneam accepisse, lateritiam & cultissimam reddidisse. Et in his etsi nihil sit, quod vel à natura, vel virtute, vel fortuna amplius expectandum, quin cumulatissime consecutus non sit, & jam dudum eas res possideat, nomen æternitati commendaturus, tamen fructum opinione nostra maximum capit, quod filium generosissimum honoribus amplissimum, ornatum pari secum gloria videt, eoque nomine carissimum habet, non quod unicus sit, sed quod unicus paternarum laudum, ut paterni principatus Electoralis indubitatus successor. Exsurgat itaque Italus arrogans & horum Principum virtutes, quæ in maximis totius Europæ motibus, in religionum dissidiis componendis, tutanda patria & constituenda imperii perpetua forma enituerunt, ac res eorum ge-

stas

ſtas elevet aut neget. Sicut ſuperioribus temporibus quidam Germanos vaſa vinaria ad paſtum & ſomnum nata ſcripſit, qui pro armis vino pugnent, pro doctrinis crapula, tantumque habere virium, conſilii & ſapientiæ, quantum vini caperent: & recentioribus magna ex parte iniquiſſime de Germaniæ Principibus quidam in hiſtoria ſua judicavit. O impudentiſſimi homines. Qui ſi oculos, ſi frontem, ſi mentem haberent, non Germanos faterentur ſtertentes, non amphoras Bacchi, aut ignavos vix ſcapulas geſtantes, ſed viros, eosque ſapientisſimos, præclarisſimarumque virtutum gloria præſtantisſimos, à quibus Germania excitata, non bellicis modo artibus, quibus ſemper claruit, ſed maxima cultus elegantia, doctrinarumque expolitione præ reliquis populis florentiſſima eſt. Cum interim illis

Mauros
Ventoſa in lingua, pedibusque fugacibus iſtis.

Ut poëta ex Ariſtophane, qui Mileſios, ait, τὰ ὅπλα ἐν ταῖς γλώτταις ἔχειν, canit. Si igitur

alto de ſanguine natum
Atque genus jactare ſuum, laudesque ſuorum
Geſta patris, monumenta atavi, patruique trophæa,

libet enim uti verbis *Palingenii*, ad felicitatem, ut omnino multum, conferant, es tu, Princeps inclite, longe feliciſſimus, qui non ſolum tot avos proavosque & majores clariſſimos numeras, ſed cui illa patria eſt, qua non minus, quam *Plato* ſua, gaudere & gloriari debes. Dubium enim non eſt, has ſedes olim veteres illos Senonas tenuiſſe, quorum tanta vel apud antiquiſſimos pietas & morum probitas celebrata fuit, ut auctor παρὰ τοῦ σέβειν quaſi τοὺς σεμνοὺς nominare non vereatur. Sed hac ἐυγενεία & generoſitate ita uteris, ut ſicut nihil jucundius aut optabilius homini in ea familia, qua nulla virtutum feracior fuit, & non immerito τῆς ἀρετῆς οἶκος ἄριστος dicitur, nato, ita præclara hæc majorum exempla animum jam dum magnum, majorem ad maxima au-

denda & peragenda efficiant. Sicut prisci illi quoque insignis & tabulis comparandis plurimum operæ studiique posuerunt, ut qui ad nobilitandum excitandumque animum multum conferre existimabant imagines eorum, qui gloriæ & sapientiæ virtutumque studiis floruissent, si in oculis essent. Et nobilissimæ familiæ Romanæ omnis generis spolia opima hostibus detracta, enses, galeas, currus, rostra devictarum navium in atriis, foribus citra domorum limina, velut avitæ gloriæ ornamenta suspendebant, affigebant, & ostentabant, quæ quanto vetustiora essent, tanto plus decoris & majestatis habebant. Quod si vero hæc externa interioribus animi ornamentis destituantur, quæso quid à pomo Asphaltitico differunt aut piscibus illis lacus Averni inter Cumas & Puteolos, qui ROBERTI Regis Siciliæ temporibus pisces foris pulcros, intus plenos sulphure ejecit, quos quicunque comederunt incolæ, statim mortui sunt, ut *Boccatius* & *Agricola* referunt. Quanto magis animi hæc definita bona expetenda, quæ tanto præstantiora, quanto difficilius obvia, sed contra tantum illum magis, qui possederit, in oculos, animum, & laudem aliorum incurrere faciunt, quanto studiosius colat. Noveras tu illud, Princeps generosissime, qui exemplo *Scipionis*, statuis & imaginibus majorum conspectis ardentissime ad virtutis studium incitatus jam

Ante annos animumque geris, curamque virilem.

Hoc est, ex quo constans honor, perpetua & nobilis gloria paratur, & non solum Principes illustres & *Cyri*, qui vitæ innocentia præluceant, sed beati quoque efficiantur, famaque & memoria hominum immortales reddantur. Hinc est, quod non sine singulari & heroico motu illud Alexandri M. ad suos crebro repetis, qui dicebant, tot & tanta tibi relinquet Pater. At ille, imo quid prodest, si multa relinquantur, nos ipsi nihil agamus. Hujus ingenii atque instituti jam ab ipsis vitæ primordiis manifesta in te patuerunt indicia. Nam ut taceam Horoscopum in prima parte Aquarii, quo Principes gloriosi & polichronii longævi nascuntur; &

& quod magna vis naturæ in nominibus expreſſa, quæ nomina omnia eſſe ſolent futurorum, & τῶν ὁμωνύμων patrum & majorum virtutes repræſentare: A teneris ſtatim annis talem te ingenio & indole oſtendiſti, ut conjecturæ & rationes haud dubiæ apparerent magnum Principem futurum. Nam nec illi prominentes atque acuti ſcopuli, de quibus eſt apud poëtas ſummæ dignitatis faſtigia, quibus plerique ejus ordinis freti, virtutum ſtudia faſtidiunt, inprimis ſi quis indulgentior fortunæ flatus impulerit, à recti verique conatu avocare animum potuerunt: Nec illi Syrenum male dulces moduli, quibus præter navigantes ſopire atque mari mergere ſolent, decipere. Adeo generoſa omnia, omnia ſtudio illo addicta, quo laudem tibi quam maximam comparares, & patriæ prodeſſes. Qua in re magna ſecundum Deum clariſſimo Viro, Dom. *Tobiæ Hubnero* gratia debetur. Exin non modo expectatio omnes cepit, & omnium animi in ſpem vitæ & conditionis melioris arrecti, ſed & per ætatem quam primum potuiſti. (Nam longum & prope infinitum foret, ſi ſingula, quæ in te fulgeant, ornamenta minuatim ſingillatimque recenſere vellemus, neque panegyrice perſequi omnia in animo eſt, neque ſane his literarum cancellis includi poſſunt.) In Archiepiſcopum electus, poſt togam ſumptam, omnes cogitationes ad publicam ſalutem & incolumitatem retuliſti, ea præſumptione, quo majora patraſſes, majoris quoque admirationis futurus. Quæ ſpes te, ut vides, non fefellit. Imitatus igitur *Archidamum*, illius Laconici regis filium, quem *Theopompus* ſummum virum ſuæ ætatis fuiſſe refert, qui edidit illam generoſam vocem, ἀποδῶμεν τοῖς ἐπιγινομένοις τὴν πατρίδα, ὅιαπερ παρὰ τῶν πατέρων παρελάβομεν, & quanto potior animi ſalus, corporis ſalute, omnium prima apud te cura & cogitatio erat, ut abolita pontificia animarum carnificina & διχοστασία in ſcholis & templis ſecundum ἀναλογίαν fidei, ex ſcriptis propheticis & apoſtolicis miniſterio *Lutheri* fideliter deſumptæ & traditæ, ad regulam & modum Auguſtanæ confeſſionis,

anno XXX. CAROLO V. Imperatori exhibitæ, posteritati ecclesiam recte constitutam traderet. Qua in re mihi videris alter *Scipio Nasica*, & quidem tanto dignior, quanto religio melior, & Deus major, qui in altissimis habitat. Nam cum *Annibal*, terror Romanorum, domicilium sibi vi & armis Italiam constituisset, nec inde ulla ratione pelli posset, consultis & inspectis libris Sibyllinis, inventum, alienigenam hostem Italia non expulsum iri, nisi mater Idæa à Pesinunte, oppido Phrgyiæ, Romam ab optimo viro deportata esset. A Senatu *P. Scipio Nasica*, Cn. filius, optimus vir judicatus, adolescens nondum quæstorius, qui matrem Deum recepit & in palatio consecravit. Ita sexto decimo anno in patriam *Annibal* revocatus, Italia fremens & gemens, nunc Deos, nunc homines accusans, in se suumque caput exsecrans, quod non cruento milite ab Cannensi victoria Romam delevisset, ex diutina possessione detractus discesit: Sic revelato per *Lutherum* Antichristo, pelli tamen non potuit Magdeburgo, quod tot annos vastaverat, nisi sexagesimo sexto demum anno, nequicquam isto minante, omnem se Germaniam armis, equis, virisque, omnemque oram maritimam classibus completurum, & quidem non nisi per te optimum Principem, cujus ope Christus JEsus templum illud cathedrale ingredi voluit. Cujus rei memoria aureis literis vestibulo chori templi summi apud Magdeburgenses insignita, his verbis: ANNO MDLXVII. DOMINICA I. ADVENTUS REPURGATUM EST HOC TEMPLUM CATHEDRALE, ET INSTAURATA PURA EV. DOCTRINA ET LEGITIMA SACRAMENTORUM ADMINISTRATIO, EXPLOSO ANTICHRISTO. Sub cujus reformationis initium illius templi concionatores fuerunt Doctor *Sigfridus Saccus*, & *Christoferus Weichmannus*, Decanus vero collegii *Christoferus Mollendorpius*, Thesaurarius *Liborius à Bredow.* Sed parum erat sententiis dissentire à monstrosis & fanaticis opinionibus, nisi quoque diversum ageres. Quod igitur supra 400. annos

nos factum non fuerat, Archiepiſcopus ἄβιος eſſe non voluiſti, qualiter ab *Homero* vita quaſi carentes cœlibes appellantur. Quo meritus, ut non civica corona, quod unum atq; alterum in bello civem, ſed æterna, qui eccleſiæ ſpemque metumque inter dubiæ, contra infeſtiſſimum lupum, qui cum bellum ἄσπονδον πῦρ πνέοντι gerimus, ſubveneris, multosque conſervaveris, donandus. Hinc difficile non erit, hoc fundamento de reliquis excellentibus tuis virtutibus, ſed ταῖς ἐπιπολαζούσαις modo judicare, quarum tantus cumulus eſt, tantaque ἡ ἐξοχὴ, ut ſi unam priori loco memorem, altera ſe poſtponi ægre paſſura ſit. Si enim à prudentia incepero, occurret juſtitia gemebunda ſe relinqui queſtura: Si de fortitudine dixero, triſtabitur temperantia: Si liberalitatem prædicavero, frugalitas ſe contemni exiſtimabit: Si clementiam extulero, ſeveritas indignabitur, adeo in ſingulis virtutum bonis emines, ut cum M. ANTONIO Imperatore mirari te facilius ſit, quam laudare:

I bone, quo virtus tua te vocat, & pede fauſto,
Vade age, & ingentem factis fer ad æthera Trojam,
Diis genite, & geniture Deos.

Præſta te dignum patre illuſtriſſimo, quo nihil hæc ætas videt illuſtrius. Perge imitari majores, eorumque facta. Nec enim fruſtra apud poëtam de *Aſcanio* ex *Ænea* Trojano Andromache quærit:

Ecquid in antiquam virtutem, animosque viriles,
Et pater Æneas, & avunculus excitet Hector.

Impone ſummam manum immortalibus monumentis, à quorum perfectione parum abes. Quod enim nunc reſtat, plus habet decoris, quam difficultatis. O populum hoc Principe beatum: O Principem hoc populo ſalvum. Qua reciprocatione nihil melius. Nec virtus altior ire poteſt. In his tamen plurimis & maximis virtutibus nulla gratior aut admirabilior eſt clementia atque placabilitate, qui talem te civibus exhibes, qualem tibi Deum expoſcis,

ſcis, neminemque à te triſtem, TITUM Imperatorem ſecutus, dimittis. Gratus inprimis literatis, qui tanquam ad ſacram anchoram ad te hac tempeſtate receptum habent. Sicut illuſtriſſimi Principes Marchiones Brandeburgenſes in excitandis & fovendis ſtudiis munificentiam ſuam ſemper declararunt. Et quis omnia perſequeretur? Specta potentiam, ſpecta opes, quos non vincit? quibus non par? quanquam in iis tantum præſidii non ponit, quam χρυσομανὴς CALIGULA Imperator, qui aurum beatitudinis ſummum credens, ſuper immenſum innumeri auri ſignati acervum nudus toto corpore aliquandiu volutatus. Bona quidem, quia beare videntur, & omnes difficultates illis ſunt perviæ, & Adamantinæ quoque fores perſtringuntur, ſed quibus revera nihil vanius, nihil miſerius, nihil periculoſius, & quæ nihil non mortalia pectora cogant. Quos non Charybdum inexplebiles iſtæ voragines χρηματικαὶ, ſi forte corripuerint, detinent, ac crebrius in orbem actos abſorbent, & barathro demergunt? unde Flacco auctori aut bona, ſed ſumma mali materia, & quæ divitiæ cum vitiis ſemper conſuetudinem habent. Ab hac autem, Princeps clarisſime, cupiditate tantum abes, ut quam alii Dominam revereantur, tu vix ſerva digneris. Sapiunt, certe ſapiunt, qui ἐν τῇ αὐταρκείᾳ ſe ipſos vincere norint, ſibique magis imperare, quam aliis, & illa cœleſtia potius atque perpetua, quam hæc terrena caducaque ambiunt. Specta præterea gloriam, propter quam homines, inprimis nobiliores, aut vincere volunt, aut mori non dubitant, ut quoque ceteras omnes cupiditate premant. Ita ille glorioſo quoque anus Atticæ ſuſurro in alterius aurem, οὗτος ἐστὶ αὐτὸς, lætatur. Sed hic non eſt, quod meum judicium interpoſitum expectes. Res ipſa loquitur, inſpice theatra, medias vias, forum, obſerva vultum, frontem, mores hominum incedentium. Aſpice omnium ſtudia, nihil reliquum erit, quod excogitari majus vel honorificentius posſit. Specta alia, ſtupor te, non admiratio capiet, dices, non melioribus fatis, aut excellenti-

tioribus virtutibus Episcopum potuisse legi à Canonicis & Proceribus, nec à S. P. Q. Magdeburgensi accipi. O vos reliqui,

Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Jam sua, nos alia ex aliis in fata vocamur,
Vobis parta quies.

Tu Princeps inclite, macte hac gravitatis gloria, & quod aliorum rebus bene præclareque gestis supremam manum imponeret, tibi ad majora incitamentum sit. O vos magnificos Proceres & Canonicos, ceteris laudabiliores, qui ex multis egregiis Principibus optimis elegistis. Vos respublica christiana ad cœlum feret, nemo Principem laudabit, qui non vos quoque, qui rebus gerendis præfecistis. O te inclitum Magdeburgum super æthera notum, quis tibi pro tuo in Principem officio, hoc honore, hoc Senatus decreto gratias agendas non censebit? quæ posteritas, tum aliis multis, tum hac de causa te non reverenter habebit, prædicabit, extollet? Sed paucis rem, ut acta est, perstringamus. Urbs est Saxoniæ superioris ad Albim, quæ initium videtur sub libræ signo habuisse, & singulari Dei gratia fundatam. Habet enim omnia, quæ urbs vel felicissima habere potest. Olim in condendis urbibus prima cura erat, ut locus saluberrimus, fertilissimus & ad negotiationes & res bellicas commodissimus eligeretur. Habet illa omnia. Nam aptissimum plane portum habet. Fertilitas etiam tanta loci, ut frumenti ubertate cum quavis in Apulia certet. Amœnitas illa, qualis vix Tiburi aut Tarento, sed aërem inprimis clementem & salubrem habet. *Magdeburgum* vulgo τῶν παρθενῶν πύργος vocitatur, castellum initio seu phanum Veneris, à *Druso* erectum, & à CAROLO M. Imperatore destructum, ubi olim sedes Longobardorum fuit, quos *Ptolomæus* Λαккоβάρδες appellat. Etsi autem in Saxonia multæ præclarissimæ civitates, urbes magnificæ & opulentæ sint, tamen nulli aut ingenii acumine, aut doctrinarum & sapientiæ studiis, religionis doctrinæ puritate, civium prudentia, rerumque bellicarum

ſcientia, potentia, munitionibus, aut ullo virtutis genere ſecunda. Quod alias ſæpe, tum ſatis ſuperque declaravit, quando infeſtis aliorum conatibus anno MDL. & LI. occurſum eſt, ut hæc unica urbs docuerit alios, quid poſſet conſtantia, & jure quodam gentium libertatem ſibi vendicaverit. Eſt ea metropolis illius Saxoniæ, quæ eſt in diœceſi Archiepiſcopali, libera civitas, & multis immunitatibus & privilegiis ab OTTONE I. Magno Imperatore, anno DCCCCXL. qui & ibi ſepultus eſt, dotata. Sed certis legibus Archiepiſcopo reverendiſſimo devincta, quem & Dominum agnoſcit, & ſervata libertate, privilegiisque ſarctis tectisque obſequia fert debita Celſitudini ipſius. In hanc urbem, ubi ſedes eſt Archiepiſcopi, & cathedrale templum, poſt electionem, pro confirmatione introducitur Archiepiſcopus, quanta poteſt fieri ſolennitate & apparatu. Huic rei decretus erat 7. Cal. Novembr. ῥητὴ ἡ ἡμέρα, qua amandi & amatoris ſanctorum memoria, profecto non absque omine læto, celebratur. S. igitur P. Q. Magdeburgenſis pro dignitate Principi gratulatura, nihil omnino prætermiſit, quod illuſtriſſimæ pompæ conveniret. Primum per præcones hoſpitia peregrinis venturis præparare, & omnium rerum copia civitatem providere. Exin ad unum omnes occupati eſſe, quod ad ornatum portarum, itinerum, locorumque omnium, qua Princeps iturus erat, excogitari poſſet. Inſtruere machinas bellicas, parare tormentaria in muris, turribus, vallo, habere delectus civium, publice & privatim exornare, qui Principi occurſarent: Turmas quoque equitum ex patritiis & nobilioribus civibus conſcribere, dona demum, quibus adventantem honorarent, quam ampliſſima parare, adeoque omnes certatim hac cura torqueri, ne quid ad ſummam magnificentiam deeſſet. Domus eſt Epiſcopalis, alioquin pulcerrima, ea quoque ſplendidiſſime exornatur, parietes intrinſecus & exterius inducto tectorio levo levigantur, ſuperliminariaque oſtiorum inaurantur, omnia renovantur. Fervet ubique per totas ædes apparatus re-

ga-

galis, conclavia tapetibus ſtragulaque veſte conſtruuntur. Dum hæc intra urbem pro dignitate præparantur, forinſecus non minora efficiuntur. Convocat Archiepiſcopus omnes Clientes ſuos, Comites, Barones, nobiles, &c. invitat affinitate cognatos Principes, qui partim ex officio, partim honoris & neceſſitudinis cauſa præſto ipſi ſunt: Arx eſt magnifica & regia, uno milliari à Magdeburgo diſtans, quæ à WOLDEMARO auctore nomen, ut putant, retinet: vel rectius à CAROLI MAGNI voce, qui in expeditione contra Saxones crebris illorum defectionibus defatigatus, cum in caſtris ad Oræ oſtium, qua in Albim exoneratur, revertiſſet, *Bene*, inquit, *mihi ſit hoc in loco.* Inde *Wolmerſtadium* loco nomen datum. Hic frequentiſſime convenitur. Ad urbem ut rumor hic advolat, nemo ullius ordinis homo fuit, modo nomenclatori notus, à quo advenienti Principi non proceſſum, non occurſum. Ad portas viarum gradus ab infima plebe completi erant, à qua plauſu maximo cum eſſet gratulatio ſignificata, ſimilis & frequentis & plauſus ad templum usque cathedrale celebravit. In foro & viarum compitis miranda multitudo erat, ubique voces honorificentiſſimæ edebantur: O felicem hunc diem, qui nobis illuceſcit, quo in faciem noſtri Principis hos oculos defigimus. O nos beatos, qui eo tempore nati, quo tanti nominis Marchio in Principis Epiſcoporum locum evectus, non per Germaniam modo, ſed univerſam prope Europam in pietate principalem obtinet. O nos infeliciſſimos, ſi citius ab hac vita migrare contigiſſet. Longum eſſet omnia ſigillatim recenſere, quæ in Principem dicta factaque ſunt, quo ordine pompa, quæ aciem referebat, ducta fuerit, quo ſplendore Principes ipſi, Comites, nobiles, reliquique inceſſerint, quo habitu, quanta purpura, auro & gemmis. Hoc ſaltem præterire non poſſum, omnium uno ore conſtanter affirmari, non Epiſcopum magnificentiore ornatu, ornatiore magnificentia, illuſtriore comitatu, numeroſiore equitatu, ampliore honore, pompaque inſigniori ab urbe

acceptum, vel à civitate, majore ſtudio paratioreque voluntate omnium ordinum atque ætatum, exceptum. Tantus conſenſus, tantus plauſus, tanta ſingulorum lætitia, tantum univerſorum gaudium, ut expectatiſſimi triumphi voluptas percipi poſſet, tanta apud opulentiores magnificentia, apud humiliores cupiditas. In mœniis quoque machinæ bellicæ omni ex parte, quibus inprimis hæc civitas valet, reſultare atque incantare, crepitus belli tormentorum ſclopique cuncta perſonare: altius in turribus ſonitus tintinabulorum & varia Muſicorum inſtrumenta exaudiri. Ordo tibicinum tubicinumque populoſus, ut clangore & ſtridore lituorum cœlum reboaret. Principes multi aut ipſi venerant, aut vicarios & legatos habebant, qui in ſuis quisque ordinibus collocati, ſplendidiſſime invehebantur. Comites, nobiles, omnes ſericati, alii purpureo, alii praſſino colore monſtrabiles, formoſum exhibuere ſpectaculum. Quod non vidiſſe ſemel ſatis eſt, juvat usque morari. Nullus omnino ſine holoſerica ac bombicina veſte conſpectus. Sic per mediam civitatem novam, per metropolim veterem, via lata, ordine longiſſimo deductus, undique acclamatum eſt: *Principi* JOACHIMO FRIDERICO *ſalus, vita & victoria!* Et quis tali omnino futurus ingenio eſt, qui poſſit hoc ita mandare literis, ut facta, non ficta videantur eſſe? quis erit tanta animi facilitate, qui quæ veriſſime memoria propagata, non fabulæ ſimilia ſit exiſtimaturus? Ita hac pompa nihil pompalius, hoc ſpectaculo nihil ſpecioſius videri vel cogitari contenderim. Neque tibi Princeps optimus comparandus alius in hac laude, ut cui ſoli poſt multa ſecula gloriari licitum ſit, Magdeburgenſis civitatis humeris in urbem importatum. Quam affectionem communem, quam civium in te benevolentiam, plebis conſenſum, hoc ardens populi ſtudium, hanc publicam tui videndi cupiditatem, gratulationes omnium ordinum, acclamationesque plebis, omnibus honoribus, triumphis, imperiis, præferendam tibi exiſtimabis. Cum igitur, quod felix fauſtumque uni-

ver-

versæ reipublicæ christianæ, inprimis patriæ, Princeps illustrissime, optimis auspiciis lætitiam singularem singulis excitaveris, præclaramque illam de te expectationem compleveris, gratulamur tibi merito, gaudemusque omnes, quorum animi in meliorem spem erecti, hiemem hanc durissimam, quam diu vivimus, æstatem auream subsecutum iri. In quo multum juvare rempublicam potes, sed & ipsum periculum, quod tibi commune nobiscum, necessitatem inevitabilem imponit. Succurre igitur patriæ corruenti, serva labantem, secundum Deum omnis in te tuaque virtute, si modo in rebus humanis, iisque fere desperatis, relicta spes, est posita,

nam te majoribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides, sic fata Deum Rex
Sortitur, voluitque vices, is vertitur ordo.

Aspice hoc seculum τὸ ἐπιθυμητικόν, ubi non tantum scelus additur sceleri, & ad ea tempora perventum est, ubi nec vitia nostra, nec remedia ferre possimus, voluptatesque desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere, sed & omnia pereunt, nullum, quod non mutationes horribiles & bella infanda expertum sit. Vix adhuc Germania hæret, tanquam lutum, cui à Daniele comparatur, quod facile est conterere. Tu vero

Sponde digna tuis ingentibus omnia cœptis,

subveni patriæ, quantum in te est, sicut plurimum est, adjuva rem communem, omnium oculi in te fixi, omnium animi in te erecti, ut in quem spectent & recidant maximæ provinciæ. Sic majores tui immortales facti sunt, sic

Devenere locos lætos & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.

Occasio dari tibi nulla uberior unquam poterit, unde vel gratiam à Deo Optimo Maximo majorem ineas, vel ab hominibus gloriam honestiorem consequaris. Ipsa mater communis Ger-

mania hoc poſcit, ipſa Marchia filia blanditiis tantis petit, ut negare non poſſis aut debeas vel Adamantinus. Et omnino,

ni tua cura reſiſtat,
Jam flammæ tulerint, inimicus & hauſerit enſis,
Circumdederint acies.

Aureum illud ſeculum, in quo τὸ λογιστικὸν ſeu ἡγεμονικὸν regnavit, & ſapientiæ divinæ & humanæ floruerunt ſtudia, præteriit, nunc quilibet, poſthabitis divinæ vocis oraculis certis & indubitatis, vult ἑτεροδιδασκαλεῖν & tricas Apinas otioſas rebus ſeriis miſcere. Sublatum aureum illud caput, & ſimul ſapientia. Eruti oculi, ut quod honeſtum minusque ſit, videri amplius non poſſit, aures obtuſæ, ſecuritas impiorum divinas videt comminationes, ut inania terriculamenta:

Οὐδεὶς ἀκούει οὐδὲν οὐδενός.

Os ſecluſum, ut idem quidem ſpectandum, ſed non dicendum. Adeoque omnis ſenſus corruptus ad deteriora propenſiſſimus eſt. Præteriit & argenteum τὸ θυμικὸν, & cum hoc omnis virtus: Λυποψυχία interim ingens regnat, quæ σύντηξιν cumulat, & illam τὴν μάρανσιν non expectat, ſed σβέσιν tragicam & violentam affert. Præteriit quoque τὸ μηκτὸν, illud aheneum ſeculum, & ex affectibus nec amor, nec lætitia, aut miſericordia, ineffabile ſolummodo odium & triſtitia triſtiſſima mortem accelerans reliqua. Abiit & ferreum. Adeo omnia tranſeunt, nihil conſtans & durabile in rebus humanis. Lutea ſecula redierunt, ex luto facti in lutum revertimur, homines in humum. Et quis eſt, qui hanc noſtram deformitatem & Dei iram conſumentem conſideret. Romanum imperium, ne altius rem repetamus, & illa ſumma vaſtaque mole ad ſummam tenuitatem eſt redactum. Daniel ferreum fore prædixit, quod reliqua omnia ſit comminuturum. Sed diſſolvendam molem, & in digitos decem deſituram. Horum pedum digiti decem, quibus finduntur, ſunt illæ decem provinciæ, ſeu membra Romani imperii, quæ alias cornua à Daniele vocantur.

In-

Inter quos duo maximi Romanum & Conſtantinopolitanum imperium diviſum denotant, diverſique pedes, occidentis & orientis. Sed digiti iſti omnes, qui olim junctim ſalvis omnibus incedebant, nunc ab invicem avulſi, ſinguli ſeparata corpora habere videntur, & contra naturam in ſe ipſos ruere & alteri alter ſupremum exitium ſtruere. Si quid tamen opis in dextro pede occidentis ſperandum, parum id eſt, & ferme nihil. Alter ſiniſter, qui multum poterat, tantum abeſt, ut ſubveniat alteri, ut quoque infeſtiſſimus illi ſit. Maximus ille dextri pedis Germania utcunque, reliquis infectis, valet. Valeret autem melius, ſi valetudinem curaret, & ποδομαντείαν divinitus traditam admitteret, caute & ſolicite incederet. Satis profecto nobis alienæ clades exemplorum præbuiſſent, ut non quærere neceſſe haberemus, quomodo aliis exemplo ſimus. Sed hic quæſo attentum te mihi præbe,

& crimine ab uno
Diſce omnes Satanæ fraudes, cui nomina mille,
Mille nocendi artes.

Qui tanta occœcatione μογίλογον detinet, ut præſentiſſimum ſuum exitium intelligere de ſe non poſſit. Et ita συμπτώματι lethali, ſecuritate corroborata & tabe putreſcit, & cum habere poſſet, ἀνορέξει tamen quadam fatali omnem medicinam ſaluberrimam evangelii JEſu Chriſti σχήμασι τεχνάζων reſpuit, ut non injuria cum Romanorum Conſulibus doleamus, ſegnius homines bona, quam mala ſentire. Multorum olim, qui hanc medicinam, non de quinta, ut vocant, eſſentia, ſed θεῖαν de cœlo altiſſimi Dei deſideratiſſime deſideraverunt, erant vota, toties manus ad cœlum porrigentium voces auditæ. En unquam illa dies futura eſt, qua Germaniam in bona pace, in ſincera & vera religione viſuri ſumus?

Hæc erat illa dies, quæ nos ſuprema manebat,
Exitiis poſitura modum.

Dedit eam Deus, nec tamen ſunt, qui Deo gratias agendas cenſeant, ita advenientem ne quidem gratiam homines benigne accі-

cipiunt, nedum ut præteritæ satis memores sint. Illa securitas aliquando Germaniam nostram conflagratura est, illa furia pestisque, quæ delinimentis suis animos avertit, nec quietura est, donec nefaria arma induerit. Nec est ab immanissimo hoste Turca, aut sacrilego Papa, aut Christo adversantibus sine causa Jesuitis, tantum periculi, quantum à circumfusa hac undique securitate, cum summa impietate conjuncta. Interim hostes nostri in omnes occasiones intentissimi sunt, ut quos jam pridem ægros Germania stimulat. Et nisi nostris precibus, Dei Optimi Maximi auxilium exposcentibus, animus irati Dei in clementiam prolapsus fuerit, certe ut illi in nos ingratissimos omnia possint, daturus est, ut quodcunque ferat animus, de captiva Germania statuant, & veniamus in illorum arbitrium, à quibus ne invicta virtus nos possit vindicare. Neque enim credamus, tam facile apud Deum furore accensum

Famam extingui veterum sic posse malorum.

Hic cave Germania, nec bovis vocem, qualem Romani, Consule *Domitio*, sub initium belli cum Antiocho, audiverunt, sed ipsius Dei existima. Equidem misericors & miserator Dominus est, qui augendis doloribus nihil intentatum relinquit, ad sanam medicinam pedem revocaturus. Πρόδρομα multa & quidem τεκμήρια signa instantium calamitatum præmittit: Absit enim, casu quidquam nobis accidere: Absit, inquam, Deum malum permittere, nisi bonum eliciat. Ab initio clementissime per verbum, promissiones & sacramenta, ab ipso filio Dei instituta, nobiscum agit, quibus spretis, subjicit minas, ubi & illæ fastidiuntur, virga expedita est,

adest dirarum ab sede sororum
Bella manu lethumque gerens Alecto.

Fames malesuada urbes & regiones expugnat. Præterea

Corrupto cœli tractu miserandaque venit
Arboribusque satisque lues & pestifer annus.

Quem

Quem inundationes aquarum accelerant. Exempla ſunt ubivis obvia. Ut taceam tot infauſtas planetarum conjunctiones, tot ſolis & lunæ defectus, tot parelia, tot paraſelinas, ventorum turbines, concurſus & conflictus angelorum cum diabolis. Quis tot cometas, tot chaſmata, tot cœli incendia, & omnia referat, ut vere cum Auguſtino fatendum, miracula aſſiduitate vileſcere. Neque quæ propter hominem creata ſunt, neceſſaria amplius conferre velle videntur. Sol & luna ſubſident, cœlum nutat, ſicut Aſtronomi firmamentum cœli 9976. milliaribus ſubſediſſe auctores ſunt. Terra fit ſiccior & effœta, nec gignit tam fortia corpora. Venæ metallicæ deficiunt, ligna tardius creſcunt, homines quoque decreſcunt, adeo omnia fatis in pejus ruere. Et revera fuit multo major virtus, perfectior ſapientia, validius robur, adeoque omnia meliora in majoribus, quam in nobis. Sed ſicut Deus & natura nihil faciunt fruſtra, ita cum Davide orandum, ne deficiat virtus noſtra in ſenectute. Quod ſi & his nequicquam profectum, merita iſta merces, ἡ πτὴη Pindarica propoſita & tarditatem Deus gravitate compenſabit, & experiemur nos, quod apud poëtam Phryges ſecuri ſero deplorabant:

Urbs antiqua ruit multos dominata per annos,
Venit ſumma dies & ineluctabile tempus,
Dardaniæ fuimus Trojæ, fuit Ilium & ingens
Gloria Teucrorum, ferus omnia Jupiter Argos
Tranſtulit, incenſa Danai dominantur in urbe.

Et tum demum erit ἀσπάθεια æterna. Admonet nos quoque multa Germaniæ fatalis periodus. Nam annus quingenteſimus vix citra mutationem memorabilem abiit. Anni ſunt 500. ab exitu Iſraëlis ad Jeroboam. Inde ad excidium 1. Hieroſolymitanum itidem 500. A conſtitutione Conſulatus usque ad Julium 500. Ab eo ad vaſtationem Romæ per Gothos 500. A conſtitutione quoque Electorum Germania floruit 500. annos & amplius. Cedamus igitur,

Cedamus fatis, moniti meliora ſequamur.

Sed non eſt remedium, cùm quæ vitia ſunt, mores fiunt. Ventum ad ſupremum, & non meliora ſequentur. In his tamen turbis & periculis Deus ſuos tutabitur. Etſi autem commune ſit periculum, tamen quoque privata non negligenda. Nam non tantum in præſcriptis ac definitis periodis conſiſtunt & vertuntur ſumma imperia & regna, ſed in reliquis quoque gubernationibus illuſtrium familiarum variationes periodicæ reperiuntur. Hinc expertum eſt, numerum ſeptenarium, qui ſacer olim habebatur, mutationem velut κλιμακτῆρα vel de meliore vel deteriore afferre. Et ut ſolum noſtra attingamus, ab HENRICO AUCUPE Imperatore usque ad hunc annum Marchia 652. annos mediocriter floruit. Sumus itaque in ſeptingenteſimo termino, & interim ſepties inſignem mutationem eſt paſſa, & ſeptimo quoq; fere Principe, ut verum ſit, Principum familias etiam privatas periodo circumſcriptas, qua decurſa atq; exacta deſinant, vel auctoritatem & dignitatem amittant. Inprimis ultra abnepotes & trinepotes rariſſime extenduntur, frequentiſſime in ipſo articulo ſucceſſionis trinepotum converſiones incidunt, & citra hunc terminum deficiunt. Expertum illud eſt, ut de Marchionibus Electoribus ſaltem dicam, in familia *Comitum Aſcaniæ*, in qua primus Elector Marchio ALBERTUS URSUS fuit, à quo multæ civitates, *Berlinum*, *Bernovia*, & aliæ nomina traxere. Si numeraveris igitur ALBERTUM I. OTTONEM I. OTTONEM II. ALBERTUM II. OTTONEM III. cognomento *Pium*, Electorem, Cæſarem electum, OTTONEM IV. ultimum videbis Electorem HERMANNUM. Idem in familia *Marchionum Stadenſium* comperies, in qua primus Elector fuit SIGFRIDUS, poſt ex ordine HUDERUS I. HUDERUS II. RODOLPHUS, SIGFRIDUS II. UDO, ultimus CONRADUS. Animadverſum hoc quoque in Marchionibus ex familia *Boëmica*, in qua primus Elector CAROLUS IV. Imperator, inde WENCESLAUS, JOHANNES, HENRICUS, JODOCUS

PRO-

PROCOPIUS atque WILHELMUS: ſeptimus & ultimus SIGISMUNDUS, poſtea Romanus Imperator. In familia vero *Burggraviorum*, quæ præ ceteris illuſtris eſt, pater tuus illuſtriſſimus ſeptimum locum occupat, ſi numeraveris FRIDERICUM I. cognomento *Sapientem*: FRIDERICUM II. *ferreum*: ALBERTUM, *Teutonicum Achillem*: JOHANNEM, *Magnum* cognomento: JOACHIMUM I. *Ciceronem Teutonicum*: JOACHIMUM II. *Neſtora Teutonicum*, & qui jam imperio, quod Deus fortunet, potitur, JOHANNEM GEORGIUM, patriæ patrem. Et poſſent plura exemplorum documenta adduci. Non tamen præciſe ſemper ſeptenarius quærendus in ipſo articulo, ſed interdum quoque citra hunc terminum conſumi ſtatuendum. Sed qualia hæc ſint, ſeptima defectio omnibus temporibus, omnium auctorum judicio, infelix habita, & haud dubie occidentis μεταβολὴ θανατηφόρος in foribus eſt, quam non obſcure periodorum inſignium concurſus præmonet. Septingenti enim anni ſunt à translatione imperii per CAROLUM MAGNUM: Quingenti à conſtitutione Collegii ſummi in terris Electorum Principum per OTTONEM III. Imperatorem. Haud dubie igitur

Adveniet certum pugnæ, ne accerſite, tempus,
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpes immittet apertas.

Infringi tamen penitus Germaniæ imperium in planta pedis ferrei, usque ad diem Domini & reſtitutionis omnium rerum, non poterit, quo Chriſtus Jeſus finem omnibus rebus impoſiturus eſt. Qui cum omnia mundi regna in manu ſua contineat, Marchiam quoque, quæ Eccleſiæ, omniumque artium in vita neceſſariarum & utilium ſtudiis, hoſpitium liberale præbet, clementer protegat, & quam ſemel pietatis, ſapientiæ, doctrinarum, omnisque generis pace & bello virtutum luce & laude beatiſſimam fecit, ſub Principe pientiſſimo, Electore JOHANNE GEORGIO, ſub quo mirificum incrementum accepit, ſemper in hoc flore conſervet.

Et quia olim 19. Marchiones, circa HERMANNI Electoris tempora, (qui ad Ratenoviam in monte, qui in rei memoriam ab illis nomen retinet, de familiæ amplitudine & propagatione nimia conquesti,) intra biennium ad unum omnes, hic illo, ille alio fato extincti sint, familiaque illa universa interciderit, eo ardentius oremus, ut hunc illustrissimum ramum fœcundet, & germinare atque florescere magis magisque in pace & felicitate, in nominis sui gloriam faciat, teque nobis, Princeps beatissime, quam velut Heroa invictum & salvatorem reipublicæ christianæ misit, cum JOHANNE SIGISMUNDO filiolo, & omni familia Brandenburgica, salvum & longævum fortunet,

Ut nati natorum, & qui nascuntur ab illis,
Perpetuo maneant in relligione nepotes.

Tu vero, ut redeat oratio, quo cœpit, JOACHIME FRIDERICE, Princeps illustrissime & reverendissime, fruere immortali honore, quam tibi nulla vis externa eripiet, nullus fortunæ impetus quassabit, nulla tempora obliterabunt, & ut cœpisti, bene merendo, succurrendo, adjuvando rempublicam ingentibus & absolutissimis virtutibus progredere. Respice ecclesiam miseram & afflictam. Respice Musas, Musarumque cultores, quorum scriptis immortales efficiuntur Principes, nec sine præclaros conatus & salutares ab illis, quibus cara est ignorantia & barbaries καὶ αἵρεσις, impediri, nec voluntatem laudabilem à laudabili proposito callide averti. Sic fiet, ut mala imminentia inhibeat Deus Optimus Maximus, redeat suus honor pietati, literis & literatis, & tu gloriæ illius, qua semper, pace aliorum dixerim, magis à Marchionibus Brandenburgensibus Musæ, quam ab aliis ornatæ sunt, hæreditatem conserves & illustriorem reddas: Futurum, ut nunquam desint scholis & ecclesiis, & rebuspublicis viri boni, ut sapientia exulans redeat, virtus deficiens vires resumat, omniaque formam clariorem induant: Christus quoque JEsus apud nos maneat πρεσβευτής apud æternum Patrem. Sic optimam societatem homi-

minum adjuvabis, posteritati consules, & optime & præclarissime de universa republica christiana merendo, alium ex alio triumphum reportabis, decusque & gloriam immortalem non ex hedera, auro vel gemmis, sed vitæ æternæ corona cœlesti coronatus, dulcissima choro ecclesiæ & angelorum ἀκροάματα decantante, obtinebis. Futurum denique, ut in hac εὐφημίᾳ nulla provincia major, sanctior, aut virtutum exemplis ditior fuerit, quam Marchia; quam civitas Magdeburgensis: Utraque in perpetuum floreat opibus firmissimis, virtute omnia vincat, gloria cœlum pertingat, pietate præcipue in Deum & te insignis, religione sancta & beata sit.

In JOHANNEM SIGISMUNDUM, JOACHIMI FRIDERICI filium, Marchionem Brandenburgensem, Ducem Prussiæ, &c.

EXoptata refers magnorum nomina Regum,
Nomina quique refers, omina & illa refers.
Quanta SIGISMUNDI gravitas, constantia, virtus,
Marchio qui præsul Parthenopæus erat.
Barbaries latii monstri quo vindice pulsa,
Victricique tulit læta trophæa manu.
Quanta fuit quoque JOHANNIS sapientia, Wartæ
Mœnia qui fluvio firma superposuit.
Regum ut terror erat, quos tellus Teutona adorat,
Et qui Sarmatiæ sceptra, *Polone*, geris.
Gloria tanta tibi surgit præpetibus alis:
Quæ jam magna satis tempore major erit.

M. Baldasar Leuthinger,
F. Francoford.

(o)

ORATIO

De vita & obitu

Illustrissimæ & Serenissimæ Dominæ

ANNÆ AUGUSTÆ,

Natæ Reginæ Daniæ,

Potentissimi Principis AUGUSTI, Ducis Saxoniæ, Electoris, &c. Burggravii Magdeburgici, &c. Conjugis,

Quæ obiit anno Christi MDLXXXV. Cal. Octobris.

Psalm. XC.

Doce nos, Domine, ut sciamus numerum dierum nostrorum, & ambulemus corde sapienti.

Psalm. IV.

In pace simul cubo & dormio, quoniam tu, Domine, solus in spe constituisti me.

De AUGUSTO, pio Patre patriæ, *Duce Saxoniæ, Electore*, &c. assertore & conservatore religionis Lutheranæ & studiorum.

DUm gaudent alii proceres rapiente veredo,
 Immanes victus cuspide figit apros.
AUGUSTUS veterum divina poëmata vatum
 Perlegit, & totus Dux pius esse studet.
Quæritur in sylvis illis, sed quanta voluptas,
 Et siccare meri pocula plena placet.
In verbo Domini meditari summa voluptas
 AUGUSTI, studiis & vigilare sacris.
Hinc octo quamvis essent jam lustra peracta,
 Non pudet Ausonias excoluisse deas.
Scilicet ut melius divinis tradita scriptis
 Nosset, & in regno posset habere modum.
Hinc quicquid latia retulerunt voce Camœnæ,
 AUGUSTI pectus callet id omne Ducis.

Hi-

Hiſtorias novit, magnorum facta virorum,
Nec, quæ ſint priſco tempore ſcripta, latent.
Sic legit AUGUSTUS, ſic ſemper & ille legetur,
Hac omnes vellem vivere lege Duces.

Nicolaus Leuthinger. M.

Illuſtriſſimo & inclyto Principi, Dn. CHRISTIANO, AUGUSTI Electoris filio, Duci Saxoniæ, Marchioni Miſniæ, & Landgravio Thuringiæ, Domino ſuo clementiſſ. S.

CUm Phryges de ſuo luctu apud *Tiberium* Imperatorem, qui filium ante annum amiſerat, per legatos magno ſimulato dolore conteſtarentur, nihil illis aliud, quam ſe quoque, quod *Hectorem* bello amiſerint, dolere, reſpondit. Ingratum enim vere eſt, quod fit alieno tempore. De meo fortaſſis conatu idem judicabunt amiculi, qui me imitatum, & meo quidem judicio non immerito, *Ludovicum Sfortiam* exiſtimabunt, cujus inſignia morum referebam. Arbor hæc eſt ſapientiſſima, quæ tarde & non prius germinat, quam hiemis injuria effugerit, & in omni actione nequaquam properandum docet. Et par mihi cum *Ludovico* fatum eſſe libenter agnoſco, conſilium neutri feliciter ſucceſſit. Ille enim, dum principatum & libertatem meditatur, minus cautus & ſapiens vitam in carcere finiit, ego vero, dum capto occaſiones Charybdim fugitans, incidi in Scyllam. Tandem me colligens, quod ſero facerem, faciundum tamen putavi, non ſolum quia beneficia cumulate accepta neceſſitatem mihi imponebant, ſed quia etiam Tibi, Princeps clementiſſime, gratum futurum non dubitabam. Cum enim ſubinde matris deſiderium Te capiat, ut vivam hic illius quaſi imaginem haberes, ad quam reſpiceres, volui quidem efficere, ſi potuiſſem. Plus enim illuſtrium virtutum animique monumenta, quam ipſa corporis, ſi inter homines eſſe deſiit, ſpecies, afficiunt: & nos quoque juxta veterum præceptum: συνεχῶς ὑπομνήσκεσθαί τινος τῶν ἀρετῇ χρωμένων, quotidie illius, ut

quæ

quæ generoſe laudabiliterque vixerit & defuncta ſit, petita ἀποδείξει ad imitandum, recordaremur. Notiſſimum enim eſt, quam facile maximorum hominum merita ſeneſcant, niſi ad poſteritatem literis transmittantur. Tibi itaque, Principi inclyto, ſi probare ſtudium meum poſſem, facilius amarulentiam illorum, qui in Gratias ipſas dira evomunt quæquæ, contemnerem, (quibus tamen ſciolis alias *Vallam* ſuum libenter relinquo, qui aliis quidem elegantiarum præcepta tradidit, ſed in hiſtoria de rebus in Sicilia & in Hiſpania geſtis minime ejus videri poſſunt,) & ad alia præterea calcar mihi adderetur, quæ profutura omnino judico. Nec hic *Appionem Grammaticum* ſequor, qui opinione inepta immortalem ſe facere, ſibique gratiam debere, quibus ſua dedicaſſet, jactitabat, quin potius, ut ad noſtra ſereno vultu reſpicias, ea, qua poſſum, ſubjectione peto. Utinam vero pro ingenioli mei tenuitate tantæ reginæ virtutes, non dicam illuſtrare, adumbrare ſaltem potuiſſem. Lineamenta corporis ducunt alii felicius, ut hominum obtutibus pateant, at habitudines animorum vere exprimere, vitamque ipſam quaſi ἐν παρόψει exhibere, non eſt cujusvis. Interim buccinator inſtituti mei non fuero, ut *Thoas* iſte *Ætholius* gloriabatur, *Antiochum* tantum auri advehere, ut ipſos emere Romanos poſſet, qui tamen ipſe ab aliis petere neceſſe habebat. Eſt enim jactantia vere paupertatis comes. Itaque de καλλιογραφία hac mea polliceri multum non debeo, ne ipſi accidat, quod *Phaëtonti* Ovidiano:

Curſum
Quem ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis.

Quin potius fateor ingenue, non mihi eam contigiſſe facultatem, ut ſcriberem, quæ vellem, mearumque virium non eſſe Mercurium & Gratias, ut veterum more loquar, ſimul collocare. Scapham tamen me ſcapham dicere memini, licet cum *Coſmo Pactio* aridior forſan ſum, quam cothurnatum decet. Interim pati poſſum, ut me à tarantulis Apuliæ, ſic vulgo vocant, morſum, modo non

non impium, proclament: modo non hanc meam *Creontis Halicarnassei* de *Lysandro* orationem vocitent, quam de novandis rebus materias tractantem, propter gravitatem sermonis, ne alios ad idem studium excitaret, & *Lysandrum* male meritum & sepultum refoderet, ephorus inspiciens suppressit. Quale tamen fuerit, quod offertur, quandoquidem mola salsa litant, qui thura non habent, clementiæ generositatique tuæ periclitandum dare volui, & quidem ea spe, te Principem heroicis virtutibus inclytum munus hoc, quod virtutes matris complures tractat, gratum habiturum, Deumque mihi tutelarem futurum. Et si non assecutus sum, quod publica & privata merita postulant, (sicut me quoque singulari illi beneficio adstrictum cognosco, dum in Principis Electoris AUGUSTI, Domini mei benignissimi, ut illius mihi peregrino in Brandenburgica ditione nato gratiam conciliaret, complexum iret, aliisque beneficiis in ludo illustri Misenæ & academiis Lipsiensi & Wittebergensi clementissimis afficeret,) gravitati rerum potius virtutisque excellentiæ & luctuosis temporibus, quam infelicitati ingenii mei attributurum. Profecto cum auro & gemmis carerem, malo cotoneo & scypho aquæ gratitudinem meam ostendere volui. Defunctis enim non potest major exhiberi honor, quam vel honeste sepultorum memoria grata conservetur. Et utinam adhuc in vivis apud nos esset, & in alio argumento potius pietatem meam explicarem. Sed abiit, ut voluit, & vere vivit immortalis re & nomine. Tibi itaque, Princeps illustrissime, raptus hic, qui acerbior tibi existit, quam quisquam hodie cogitat, justo gravior esse non debet. Minime quidem probandum, quod Scythæ Essedones de funeribus parentum, adeoque corporibus ipsis pecorum visceribus immistis hilariter convivantur cum cognatis, aut quod hodie fit ab illis, qui prædæ inhiant paternæ, dum diutius vivunt, quam filiorum vota ferunt. Qualis fuit *Arnolphus Geldrius*, qui in consilio Flandriæ ad *Carolum Burgundum* conqueritur, patrem suum præfuisse per annos

quadraginta quatuor, æquum esse, ut ad se quoque principatus tandem veniat, sed qui misere à *Tornacensibus*, in eo prælio, quod cum *Gaudaviensibus* gestum est, fuit trucidatus & suæ impietatis pœnas luit: ab hac tu cogitatione, Princeps optime, ut alienissimus es, talesque detestaris plurimum, sicut in gravissimo hoc luctu ostendis, vita ipsa parentes tibi cariores esse. Est tamen modus in rebus, & certi sunt fines. Fertur, *Augustinum Didonis* mortem, quæ, ne nuberet, secundo se ipsam confodit, nunquam sine lacrymis apud *Vergilium* legisse, imo recte cum lacrymis, qui tantam reginam gloriæ æternæ privatam non nescivit. Nos vero christiani nostram potius, quam pie defunctorum conditionem flemus. Quos hoc tuo exemplo excitas, ut nostris post mortem eundem honorem habeamus, & in amore illorum consenescamus & commoriamur. Quod ipsum matri nostræ, dum in vivis erat, clementissimæ omnino facturi sumus, eoque magis, dum nihil non timemus, in hac fataliter imminente μεταβολῇ. Palladio Trojæ ablato Ilium perit, quid hoc Palladio, in quo vere Pallas divina seu Pele sapientiaque habitavit, amisso non metuamus? Quod restat, cum eam ex morte revocare ad nos non possimus, sicut Græci frustra suis defunctis parentibus acclamabant: ἀνάστα, φάγε, καὶ πίθι, καὶ εὐφράνητι, resurge, ede & bibe, & lætare, quod unum relictum nobis in εὐφημία grata illius memoriam semper retinendo, ad posteritatem merita illius certatim prædicabimus, & pro tua & tuorum parentisque tui potentissimi AUGUSTI Electoris &c. incolumitate & imperio fortunato ad Deum, sicut olim Græci in S. R. ut ubi nunc imperium Saxonicum, ibi perpetuum sit, nos ipsos omniaque nostra Celsitudini Tuæ paratissima cum omni subjectione debita exhibendo, precabimur. Vale Princeps inclyte. Vitebergæ anno salutis humanæ MDLXXXV. 13. Calend. Decembr. die Catharinæ, de qua superioribus seculis vulgo ex Prov. 31. proclamatum fuit: Manum suam misit in fortia, manum suam aperit inopi, & palmas suas extendit

ad

ad pauperem, fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in novisſimo die, &c.

Illuſtriſſ. Celſitudinis Tuæ

Servus
Nicolaus Leuthinger.

ORATIO

In funere Illuſtriſſimæ Principis, Saxoniæ Electoriſſæ, Dom. ANNÆ AUGUSTÆ, &c.

ETſi dolore luctuque graviſſimo Principis ANNÆ AUGUSTÆ, potentiſſimi electoris Saxoniæ AUGUSTI conjugis cariſſimæ, obitū oppreſſus, nulla mihi parte recte conſtare videar, ne dum vires in ampliſſimum tanti ſplendoris dignitatisq; virtutum & ornamentorum vel τῶν ἐπιπολαζόντων campum ſaltem exſpatiandi, ad quem amplificandum excolendumque, allata aliqua, ſi quæ in me eſſet, ope, agnoſco me promtiorem, quam parem, ſufficiant, ut taceam, quam omnia ſunt etiam cautiſſimo vel in umbra extimeſcenda, venenatorum animalium ad amœniſſimi horti fragrantiſſimorumque florum ſepes, ſibilis ictibusque paratis, & quam denique nihil à me talē in extrema τῆς γραφικῆς δυνάμεως, ut aliarum quoque rerum omnium paupertate conſtituto exſpectandum, in quo bonorum hominum judicia acquieſcere, & detrimentum reipublicæ acceptum ob oculos poni poſſit, tantusque Princeps, iſti luctui levamine quodam addito, aliqua ex parte eripiatur: in his tamen omnibus periclitabor libenter, modo planum fiat, me Deo, Gratiis, & animo grato ſibique bene conſcio, reique ſic poſtulanti obſecutum. Prætereo hic, quantum excellentium παραδείγματα virtutum exſtare, expediat, quæ ſi non ſint τὰ ψεκτὰ καὶ ἀμίμητα, novaque & recentia plus in oculis incurrunt, afficiuntque, & in amorem imitationemique ſui nos rapiunt, quam aliæ αἱ ἑρμηνείαι Quam vero neceſſarium ſit, apud poſteros etiam talium Principum memoriam

 in

in pectoribus quasi in archivis conservari, ut hoc quidem suus maneat honor, ceteri vero, unde gloriæ ἀπόδειξιν petant, semper habeant, longum foret commemorare. Nec me à consuetudine veterum alienum quid tentare arbitror, siquidem & inter alios NAZIANZENUS auctor est, suo tempore orationes de iis, qui è vivis excesserant, antequam in sepulcrum deponerentur, haberi solitas. Quanto igitur æquius est, id tantis fieri numinibus, quæ, ut THEOPHILACTUS sentit, in nos, si pia sunt, multa beneficia conferant, & per quæ post Deum vita hæc nostra solum constat. Et quis est, nisi sit caucasea rupe durior, qui ab universo luctu suum segreget, & non potius occasionem captet suam præ reliquis pietatem explicandi. Virtutes omnes cum multis querelis pallescere cernimus: lugere orbitatem suam ecclesiam, lugere Saxoniam, quia matrem amiserint, in qua præsidium ingens habebant: Querula voce, menteq; curis oppressa se, quicquid est orthodoxum conficere, & nescio quid vereri. Quo vertas oculos, aliam se, quam illa viva formam faciemq; afferre, conspicimus. Et quamvis post se reliquit, quibus respublica christiana religioq; carissima est, in quos recte oculos nostros conjicimus, spesque nostras figimus, fieri tamen non potest, quin gravissime feramus id, quod accidit. Cum igitur ecclesia, aula, scholæ, templa cum sellis & cathedris publicum acerbissimumque mœrorem ostendant reiteratis querelis, qui vir etiam fortis se contineat, ut consternati animi significationem non edat. Scribuntur igitur næniæ, causantur lugubria, dicuntur plurima in laudem illius; ego quoque meum studium & quidem extremum ad reliqua aggregare volui, ne mihi idem, quod Romanæ plebi senatus, objectaretur, ne advenientem quidem me gratiam benigne accipere, nedum ut præteritæ satis memor sim.

Dicam itaque de Principe ANNA AUGUSTA, cujus tanta sine controversia fuit pietas, id religionis sinceræ studium, castitas, φιλοστοργία, liberalitas in ecclesiam, studia & pauperes, ea φιλαν-

λανθρωπία & modeſtia, ut, quam cum illa conferam, hodie vix inveniam, nedum reperiam, & quam amiſerimus, jam tum demum intelligimus, cum alia ſe tempora aliique homines offerent, juſto interim, cujus agona nemo conſiderat, in cubiculo ſuo ſuaviter requieſcente, nobis autem mala noſtra ſero deplorantibus. Recenſet HIERONYMUS ad PAMMACHIUM, ſuper tumbas ſuo tempore violas floresque ſpargi ſolitos purpureos, dolorem pectoris ſui teſtantes, & his ſe conſolatos eſſe officiis: nos quoque in hoc non panegyrico, ſed parentali ſermone diligenter collectis virtutum floſculis, quibus coronata erat, & in laudem & memoriam noſtræ Principis, illis interim odorem ſuum vi nativi caloris exhalantibus ſuccumque fragrantiſſimum exhibentibus ad ſepulcrum decantatis, litteris immortalitatique commendatis idem facere conabimur, utinam vero ea eloquentia, quam Divus Paulus ἐυλογιωτάτην nominat, itaque me expedirem, ut mihi aliisque præclare ſatisfactum intelligerem. Sin minus & uſu mihi veniat, quod olim PRÆTEXTATO in *ſynodo Matiſconenſi*, cujus orationes, cum recitarentur doctis & gravibus viris, quibusdam arridebant, quibusdam non, quod artem non ſpirarent, patienter feram, dummodo pius in Dominam fuerim. Præceſſerunt in eodem ſtudio me doctiores, & majore cum laude, quos ego veneror amoque, & me longe illis inferiorem eſſe judico, nec ingenio, eloquentia vel auctoritate cum illis conferendum, ideoque longo intervallo meæ mihi conſcius tenuitatis, has iſtorum querelis conjungendo, ſubſequor, manesque & ſepulcrum pura mente venerando, triſtia ominans, multa bene precor univerſæ reipublicæ Saxonicæq; familiæ: illi vero, dum QUINTIANI *Avernenſis* exemplo, qui matrem à morte reſuſcitavit, hoc vel aliud officium præſtare non quimus, felicitatem hanc ἐν τοῖς ἁγίοις cœleſtem ſerio gratulamur. In quo fecimus, quod potuimus, quamvis, ut & HIERONYMUS ad THEOPHILUM *Alexandrinum* queritus, eloquentiam triſtem eſſe, ſi ad ægritudinem animi corporis

quoque ægrotatio accedat, haud negemus. Sicut tamen in senatu Attico non semper audiebatur DEMOSTHENES, sed etiam alii cives, qui licet non adeo splendide, vere tamen & utiliter quædam dicebant: Ita saltem, si ego quoque gratiam, favoremque & benevolentiam experiri possim, assecutum me, quod volebam, ingenue faterer, memor suo loco, in quid Gratiarum templa mediis in foris condi solerent. Cum igitur multum referat, ubi & à quibus quis sit natus, plerique etiam hac in parte plurimum laudis ponant, sicut ille Atheniensem αὐτόχθονα ob sapientiæ studium morumque elegantiam & ingenii subtilitatem prædicat: alter Romanum virum propter animi generositatem gravitatemque & rerum bellicarum usum extollit: tertius Lacedæmonios ἑκατομπολίτας propter disciplinæ rigorem, justitiam, integritatemque, & singularem fortitudinem, qui sexcentos annos agrum suum ab hostili incursione tutati sint, plurimisque aliis leges suas impertiverint, ad cœlum usque elevat. Alius alios laudat, quibus gloriam præclare partam non invidimus. Si autem genus & proavus, & quæ non fecimus ipsi, ex quibus illustrissima Princeps AUGUSTA nata est, consideremus, antiquitate generis, nobilitatis præstantia, sapientiæ laude, rerumque gestarum gloria, regum nulli cedit. Trahit enim ortum ex familia *Comitum Oldenburgensium*, inde à stirpe WITTEKINDI, Saxoniæ regis ultimi, quæ hodie longe lateque in *Cimbrica Chersoneso* imperat Cimbris. Quæ gens ad septentrionem est fortissima populosissimaque, de qua unum ex multis CORNELII TACITI, cujus hodie opera ab Italis odio nominis nostri maxima ex parte supprimuntur, testimonium adducam. *Cimbrorum*, inquit, *parva est civitas, sed gloria ingens, veterisque famæ vestigia late, manent utraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis, & tam magni exitus fidem. Sexcentesimum & quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Cœcilio, Metello ac Rabirio Carbone Coss. ex quo si ad alterum*

rum Trajani consulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur, tam diu vindicantur. Hactenus ille. Ex quibus haud difficile patet, fortissimam fuisse hanc gentem vel de judicio illorum, qui laudis alienæ sunt parcissimi, à qua virtute minime degenerarunt hodie. Sed de rebus gestis & ornamentis bellicosissimi hujus populi nihil hic regeram, de quibus satius est, quod de *Carthagine* SALUSTIUS dixit, silere. Etsi autem ad summam gloriam accessionis nihil fieri posset, quin abunde antea ὑπερβαλλόντως haberent; præstantiorem tamen, qui illis imperaret, ex hac familia elegerunt, ex quo dignitas hujus generis æstimanda est.

Ex hoc & quidem illo patre nata est, qui vere CHRISTIANUS nomine & re fuit, & major, quam ut nostrarum litterarum cancellis tantus rex intercludatur. Quamvis autem plurima ipsius insignia dicta heroicaque facta existent, quæ pietatem singularem, beneficentiam inexhaustam, robur Herculeum, fortitudinem Achilleam, clementiam Julianam repræsentent, animique moderationem eam in subditos exprimant, ut eo uno doceat, quantum regem rex præstet, & quam extremæ sit dementiæ, terrorem incutere velle iis, quos benevolentia conciliare possis, ut superioribus annis CHRISTIERNUS rex fecerat: in eo tamen se ipsum vicit, quod in tanta multorum offensione, destructis χαμαιβήλοις καὶ χαμαιτυπείοις impietatis pontificiæ, quæ non meliora erant MITHRO *Alexandrino*, anno trigesimo nono ecclesiæ suæ templa, religioni academiam Haffniensem & collegia, artibus deniq; scholas suas reddiderit, Deoque & musis consecraverit, & ut in εὐημερίᾳ placidissima nobilissimum depositum posteritati gratæ traderetur, incolumemque cum salute famam Cimbricæ reipublicæ importaret, præsidiis plurimis & necessariis sepserit, regiumque pietatis & omnis generis absolutissimarum virtutum exemplum proposuerit. De THEODOSIO II. imperatore THEODORETUS & SOCRATES referunt, aulam bene constitutæ scholæ non dissimilem habuisse, in qua se suosque exercuerit temporibus ordine distributis.

No-

Noctu quoque à lectione sacrarum literarum non abstinuisse, αὐτομάτῳ quodam sponte lucernæ oleum infundente: congressum quoque cum præcipuis ecclesiæ doctoribus judicium in religionum controversiis confirmasse, & quæ eo in loco copiose virtutes plurimæ narrantur. Hæc in THEODOSIO cum quadam ostentatione & admiratione laudantur, & quidem non immerito: vulgaria enim non sunt, sed si attingere saltem omnia nostri esset instituti, proh! Deum immortalem, quantus se hic campus aperiret. Nihil detraho veteribus, neque ambitiosius de nostris loquor Argonautis, illis, qui χρυσόμαλλον δέρας pontificiis larvis & monstris abstulerunt. Dedit tamen inter multos Germaniæ præstantissimos principes hunc quoque CHRISTIANUM, generumque AUGUSTUM, electorem Saxoniæ, evangelicæ veritatis vindices. Nec tantum tales publice videri, sed intra ipsa penetralia conclaviaque secretiora, quod quidem cum paucis commune habet, etiam esse voluit. Taceo politicas rege dignas virtutes. Quod nocturnos lemures istos pontificios, quos regnum Danicum à multis annis inveterata consuetudine non minus, quam illi, qui sunt in *Hispaniola* cancri tropico supposita suos Zeminos, quos nunquam viderunt, coluerat & timuerat, & quasi Deos vitæ simul fortunæque arbitros statuerat, expulerit: Quod plurimos tyrannide papistica oppressos bonis legibus ab interitu ad frugem & vitam revocaverit: Quod nutricius ecclesiam paterna cura adjuverit, justitiam ex æquo administraverit, imperium gesserit anæmaton, vocatusq; ad fœdera & exstimulatus ad bella, sapienter iis, conservata subditis suis pace, vicinis regnis undique belli incendiis gliscentibus & ardentibus, abstinuerit: & tritum quasi habuerit, facile esse regnum turbare & inquietum reddere, sed in tranquillum restituere, opus & laborem hic requiri: Quod ejus clementiæ fuerit, ut non solum damnatos interdum misericordia ductus absolveret, sed in se contumeliosos quoque pro delicti gravitate minime ulcisceretur, & absque delectu beneficus esset, sæpe etiam sponte offer-

offerret. Quod ad reliquas virtutes, caſtitatem, ſobrietatem & temperantiam adjecerit, quod in aulis rarum eſt, quibus, ut SCIPIO ad MASSINISSAM ait, non tantum ab hoſtibus armatis ſit periculum, quam ab circumfuſis undique voluptatibus. Quas frenare ut poterat, ita in eo continentiam præſtitit ſummam, quod χρυσομανὴς Midas inhians τῷ χρηματιστικῷ ſubditorum minime eſſet, & quæ ſexcenta alia. Sed noſtri, ut dictum, non eſt animi ſingula perſequi. Hoc ſaltem tenendum, eum conſortio ſapientum perpetuo uſum, & ut plurimum evangelii doctorum: econtra in univerſum à converſatione hæreticorum, inprimis ſacramentariorum abſtinuiſſe, ut libros quoque ſibi nuncupatos non ſine offenſione iisdem remitteret, eaque infectos contagione præcentores vel gregarios nullo modo ferret, ut quibus non ſatis eſſet ſe perdere, niſi alios quoque ſecum ad idem exitium pertraxiſſent. Stultitiam iſti nobis, & ignorantiam ſimplicitatemque objiciunt, ὐδὲν, inquiunt, ὑπὲρ τὸ πίστευσον τῆς ὑμετέρας σοφίας, ut JULIANUS olim chriſtianis. Quibus tamen propter ſapientiæ opinionem ne pedem quidem figere, multo minus receptum ad ſe habere permiſit, ut qui non neſciret, accidere urbibus, in quas homines ejusmodi veniſſent, idem, quod civitatibus olim Græciæ, ad quas Athenienſium legati diverterent, de quibus PYTHIAS dixit, ſimiles eſſe domibus, quæ morbo laborarent, quibus lac aſininum apportaretur. Quod omnino, ne in Daniæ regnum derivaretur, libris illorum lubricis non abſtinuit ſolum, ſed etiam regni ſubditis interdixit, ut quibus blande inſit venenum, & ſicut illi, qui ſæpe in ſole imprudenter verſantur, nigredinem, etſi non ſentiant, contrahant, ita inficiantur quoque paulatim, naturamque iſtorum ſub crebra lectione induant, neceſſe ſit. Factum itaque eſt illi ſecundum verbum Domini: *Honorantes me glorificabo.* Tanta enim in auctoritate apud reges fuit, tanta apud ſuos gratia, in tanta denique apud omnes laude conſtitutus, ut quibus officiis, obſequiis & encomiis eum ſibi demereri poſſent, vix invenirent certantes ubique.

 Et

Et quamvis ſanctus in vivis rex crederetur, ſanctior tamen poſt funera habitus, etiam apud adverſarios, qui non minore cum veneratione ſepulcrum illius proſequuntur, quam GEORGII quondam CASTRIOTTI apud *Liſſam* Turcæ immaniſſimi in *Epiro*. Interior vita invocatione ac timore Dei, fide ſanctitateque erat pleniſſima, regiam exercitiorum omnis virtutum generis officinam habebat. Diem pſalmis & bibliorum lectione in graviſſimis etiam negotiis auſpicabatur, multum ſe in præſenti moleſtaque rerum tractatione ſublevari affirmans, ſemperque ex ea hoc commodi ferre, ut faciliore via feliciorem eventum res, quæ in deliberationem vocata eſſet, ſortiretur. Magna laus eſt ALPHONSI, *Arragonum* regis, quod biblia quater & decies cum gloſſis & commentariis perlegiſſet: Major vero laus illa, inde ſibi regnoque univerſo ſalutem acquiſiviſſe, de qua in ALPHONSO dubitare poſſet. In menſa D. LUTHERI ſcripta reverenter à nobilibus legebantur, nullaque plane erat cœna hujus condimenti expers. Ex carminibus quoque ſacris bonis voluptatem incredibilem percipiens, iis pro loco frequenter utebatur. Linguas & ſtudia impenſe amabat, aliisque auctor ad diſcendum erat. Cum forte aulicus in conclavi ad parietem Horatianum illum verſum, quo delectatum iri, ut ſemper alias, regem credebat, ſcripſiſſet: *Quicquid delirant reges, plectantur Achivi*, rex placidiſſimus etſi primo miraretur adſpectu, quid ſibi vellet, equum tamen præmii loco propoſuit, qui ſenſus illius veram offerret interpretationem, qua ab eodem opportune & dextre allata, delectatus hoc animi libertate, pulcritudineque ſententiæ, equo donavit. Quod mane feeerat intente, veſperi ſtudioſius factitabat, mane Dominum laudando, & veſperi non tacendo. In gynæceo, quod mihi curioſius perſcrutandum non ſumo, nihil erat otioſum, nihil obſcœnum, nihil offendere poſſet. Omne pene tempus pietati & rebus ſacris dabatur, quod reliquum erat textoriæ & pharmacopœæ arti impendebatur. Filios itidem præclare erudiri voluit, quod in-

intelligeret parum prodesse, etsi OTUM & EPHIALTEM, qui sub novem annorum spatio corporis staturam in cubitorum triginta longitudinem proferebant: vel ALEXANDRUM M. rerum gestarum gloria: aut ACHILLEM, qui unus instar exercitus erat, Græcorumque contra Trojanos murus, fortitudine superarent, & tamen salute æterna destituerentur, longeque feliciora esse regna, si ad reliquas virtutes cœlestis cognitio doctrinæ exacta accederet. Et ut ὡς ἐν τύπῳ dicam, nihil in hoc heroë erat ἀνέγκλητον aut culpandum, talisque omnino rex, qui immortali gloria & vita dignissimus erat, quam in agone supremo sub annum climactericum heroicum in vera fide exspectans, Christus, inquit, vita est, qui igitur peream? Est via, egone errare potero? Veritas denique ipsa, & non fallit. Sed prolixior hic fui, quam volebam.

Ex tali patre cum esset anno reparatæ salutis humanæ trigesimo quarto prognata, & à natura ad virtutes aptissima esset, sicut earum semina in liberos à parentibus propagantur, mirum non est, ad eam excellentiam pervenisse, præsertim cum plurimum domestica institutione adjuvaretur. Unde à teneris statim annis vitiosa dicta factaque & simulacra detestata est, non solum, quia Deus ad iram provocaretur, aut hominum recta judicia pertimesceret, sed propter solam istorum turpitudinem, & ita Deo templum suum mundum, castum & sanctum servavit, ut non Ana, sed Hanna esset ἡ χαρίεσσα, ut Græci illas, quæ natura vel institutione, vel ex bonarum actionum consuetudine excultæ elegantesque existunt, appellant. Qua pulcritudine captus Princeps illustrissimus AUGUSTUS, singulari quodam judicio & fortuna usus, eam præ reliquis in conjugem sibi expetiit, & Torgæ 4. Id. Octobr. anno MDXLVIII. publice nuptias, maximis eo principibus confluentibus, singulari cum approbatione & gratulatione, ad aram ritu ecclesiastico GEORGIO, *Anhaldino* Principe, consecrante, celebravit.

Ex eo tempore AUGUSTO Duci, non ut SYPHACI SOPHONISBA, ADHERBALIS filia, quæ nuptialibus facibus regiam potentiſſimi regis conflagravit, regnumque illius evertit, cariſſima fuit, maximique eam in curis privatis & negotiis publicis fecit, ut qui prudentium & piarum feminarum ex regia inprimis familia monita minime aſpernenda ſciret, ſicut JULIUS CÆSAR CALPHURNIAM deridet, & in exitium præſentiſſimum devolvitur. Quem econtra reverentia blanda, amoreque ardentiſſimo, in quo conſenuit, & obſequio perpetuo proſecuta eſt, oſtenditque deſiderium illuſtriſſimi pectoris, quam ſuaviter illa ſit uſus, illiusque beneficio in difficillimis moleſtiis plurimum ſe ſublevatum ipſe fatetur. Credite mihi, viri hominesque, eſt quædam vis latens femineæ ſexui in generoſa natura prævidendi multa inſita, quæ ſi affectuum expers fuerit, commoda ſecum trahit infinita. Quoties illa in principum congreſſu & conventu timebat, ne Princeps in gratiam aliorum faceret, quod detrimentum corpori ſanitatique afferret, vel bacchum, lynces, tygres & pantheræ comitarentur. Quoties itinera neceſſaria deploravit, quæ ſummam parerent moleſtiam & cum periculo conjuncta eſſent, verita, ne quid humani pateretur, aut inſanabilibus implicaretur morbis, aliove modo periclitaretur: Quoties herbarum & medicæ artis perita ſalubrium medicamentorum præparatione morbos prope deſperatos inhibuit, ne ad fatalem properarent terminum: Quoties de Harpiis, quæ non amplius in ſtrophadibus habitant, ſed in principum aulas demigrarunt, utiliter monuit, quales eſſent συγκατανευσιφαγοὶ CRATETIS *Thebani*, & qui cum CHYROSOPHO DIONYSII Principem ridere conſpicati, ipſi quoq; riderent, etſi, quid ageretur, minime ſcirent: qui mentiendo & blandiendo animos occupantes principes excœcarent, ut ſuſpectos & inviſos haberent, quorum opera ipſis oportuna & ſalutaris eſſet. Et quis referat omnia. Divelli itaque ab illo non potuit, etſi optata quiete frui daretur, in fortuna meliore illo Hippocrateæ Mi-

thri-

thridaticæ uſa, ubi eſt, inquit, Dominus meus, ibi quoque divitiæ, animaque & regnum. ANDROMACHE apud HOMERUM laudatur, quod in amorem HECTORIS equo pabulum ſubminiſtraverit: ſic noſtra quoque vulgaria obibat miniſteria amore ſolummodo pio adducta: Illa principem ad iram, quam plumbeam heroës gerunt, incitatum ad animi moderationem revocare poterat: Illa offenſum flectere, ſi quid petenti denegatum, impetrare, vel ſi quæ tempora attuliſſent negotia, quæ ob gravitatem rerum ſolicitudinem non levem objicerent, illa virtute quadam μαλακτικῇ inſita in lætitiam inſpectatam vertere didicerat, ſi vero quid peccatum eſſet, quod excuſari tamen commode poterat, ut res ſunt humanæ ad lapſum proclives, modeſte illa noviſſe, non odiſſe ſciebat, prudenter diſſimulando ſuo tempore de eo tempeſtive admonens. Quanta hæc ſit virtus in muliebri ſexu, quæ per impotentiam animi ſæpe in momento res plus æquo exaſperant, ut dolor & labor vix illas expediat, alii judicent. Denique plane cum illo ψυχὴ μία erat, quæ conſilio prudenti, humile nihil cogitans, ſæpe Dominum adjuvit.

Commemorant VICTOR EGNATIUS, SOCRATES & alii, THEODOSIUM ſuperiorem defenſorem eccleſiæ fuiſſe acerrimum, admiratorem eruditorum ſingularem, in omnes profuſe largum, pacis & continentiæ ſtudioſiſſimum, in literis quoque mediocriter eruditum, & in lectione hiſtoriarum aſſiduum fuiſſe, placabilis iræ, hoſti etiam parcentis, blandum patrem, maritum concordem, regem omnino placidum, in cognatos vero ſupra modum pium, adeo ut adfines pro ſuis atque ex ſe genitis complecteretur. Et quamvis ſapientiſſimus eſſet, in conſilium tamen PLACILLAM uxorem adhibuiſſe, rebusque communicatis, de ejus ſententia plurima feciſſe. Hujus quoque monitu, ſicut reipublicæ formam in unum corpus collegerat, ita eccleſiam quoque poſt ſublata ſchiſmata ad concordiam reducere duabus ſy-

nodis conatum. Sicut igitur elector Saxoniæ illustrissimus AUGUSTUS vere THEODOSIUM virtutibus & felicitate exprimit; ita AUGUSTA quoque PLACILLAM omnimode exæquabat. Hæc ut Themis altera non justa & honesta tantum suadere, sed pia etiam & utilia consulere poterat. Periculosissimus erat sub initum matrimonium ecclesiæ status, adversariis ex una parte fraude & calumniis, ex altera vi injuriisque pugnantibus, *Sphynge Augustana* nostræ confessioni opposita, eratque in nullo non res Lutherana ob potentiam Cæsaris discrimine, plerisque captiose agentibus, aliis vero cum periculo capitis contradicentibus. Itaque omnium oculis in principem electorem Saxoniæ, quem Cæsar sine modo solicitabat, conversis, quantum poterat, nequaquam principi suo permisit, ut in impiam sententiam descenderet. Denique cum animum imperatoris amicissimum à se abalienatum experiri molestissimum MAURITIO accideret, & propterea aliquot *Torgæ*, *Cellæ*, *Pegavii*, *Grimmæ*, *Juterpocci* conventus, *Lipsiæ*que & *Misenæ* synodi habitæ essent, una cum Principe AUGUSTO & CHRISTIANO patrem electorem confirmavit, ut cimmerias tenebras & labyrinthos perplexissimos plane evitaret, & in constantia pristina perseveraret.

Quod exemplum, sicuti alii, & ipsi confirmatiores facti uno ore reclamarunt. En quale documentum jam tum in illa ætate turbulentissimis temporibus & regni auspiciis tenuioribus dederit. Ex quo judicari absque controversia potuit, quantum præsidium religio in hac heroina haberet. E vivis autem MAURITIO, nunquam satis laudato heroë, erepto, cum administratio imperii Saxonici ad AUGUSTUM recidisset, ampliorem nacta occasionem ecclesiæ res propagandi, reliquum omnino nihil in eo fecit, quod à pietate ipsa exspectari posset, primaque cura fuit, ut pax ecclesiis restitueretur. Novo postmodum dissidio *Wormatiæ* exorto, cum *Numburgi* componi difficile esset, quod haberent suas faces, qui classicum canerent, colloquiis rem agere placu-

cuit, si collatis sententiis animi distracti opinionibus coirent, sibique invicem communicarent. Qua sane ratione factum est, ut per *Misniam* & *Saxoniam* ecclesiarum status esset tranquillior. Dissensiones enim seminaria sunt impietatis Lucianicæ & scepticæ, à quibus tota abhorrebat, imitata patrem CHRISTIANUM regem, qui toties iterando versiculos GEORGII FABRICII *Chemnicensis*, qui vir verior ingeniorum faber erat, quam *Stapulensis*, verbi ministros ad animorum & sententiarum conjunctionem hortabatur:

Sint unum, doceant unum, fateantur & unum,
Qui bene de Christi nomine nomen habent.

LUTHERUM baaliticos papistas mactantem, & ex nostris Marsyas quoque ad certamen ipsum cantu provocantes, alterum velut Apollinem ob arrogantiam excoriantem, ejusque libros, ex quibus verius scientiarum divinarum, quam ex Tauro in Asia aquarum flumina profluunt, maximi fecit & studiose legit. Cujus cum audiret auctoritati detrahi, Sicyoneosque calceos & cothurnos Hetruscos aptari scriptis monumentis, minime ferendum censuit. Qualis enim fuit LUTHERUS, παῤῥησία ipsius ostendit. Quales autem Hienæ sunt illi, qui de ecclesiæ controversiis pronunciant adeo ambigue, ut nescias utram sententiam approbent, dum personati larva una post aliam induti, ne dinosci possint, calidine sint, an frigidi, discipuli LUTHERI θεοδιδάκτȣ, aut CAROLOSTADII ἀυτοδιδάκτȣ, etsi interim multa non, ut de veteri philosopho dicitur, εἰς νȣ̃ν scribant, sed εἰς χνȣ̃ν calamos intingant. Quæ ut & PETILIUS prætor Romanus de NUMÆ POMPILII recens in agro sub Ianicula repertis libris in senatu Rom. judicabat, legi servarique non oportere, quia dissolvendarum sint in iis pleraque religionum jusjurandum dari potest. Et ut de errore nihil dicatur, libri sunt fere tales, qualis Æmus Thraciæ. De eo vulgata opinio erat, Ponticum simul & Adriaticum mare & Istrum amnem & Alpes conspici posse. Sed PHILIPPO præter ceteras dif-

difficultates in jugis ea nubila ſe offerebat, quæ omnia contegeret, ut haud ſecus quam nocturno tempore impediretur. Ita qui cartis illis, quæ prima fronte pietatem & doctrinam ampliſſimam promittunt, tenacius inhærent, ut plus reliquis videant & intelligant, ea præter opinionem ſubito ſophiſtica, & tenebris plus, quam cimmeriis involvuntur, ut quid videant, quid credant, vere neſciant, conſcientia ipſorum hoc atteſtante. Unde ad minimum periculi metum Panico quaſi furore correpti, turpiter ſe deridendos, qua conſtantiæ laude hercle non video, propinant.

Prodigioſum illo tempore & admirandum ſidus in aſteriſmo Caſſiopeæ ſub dodecatemorio tauri ſolicite conſpiciebatur. Fulgebat & cometes aliquanto poſt, de quibus alii aliud, ut fit, ominabantur, ex his erant, qui ſibi, ſi Diis placet, aureum ſeculum felicitatemq; ſub imperio exoptato ſingularem promittebant, cum chriſtianæ religionis incremento. Doctoribus theologis neſcio quam curam & ſolicitudinem objiciebat, religioniq; adferre cladem præſentem non obſcure divinabant, remque periculo omnino non caruiſſe, hiſtoria illorum temporum oſtendit. De his cum ANNA AUGUSTA audiſſet, intelligeretque inprimis, LUTHERI ſcriptis vim inferri, idq; agi, ut è manibus ſtudioſorum, aliis ſubſtitutis, paulatim excuterentur, zelo non Judaico, ſed divino correpta ab Principe AUGUSTO diligenter aliquot ſynodis ea de re inquiri petiit & effecit.

Sed ut ſolet id hominum genus, quod pro tempore modo affirmat, modo negat, Lutheranos omnino ſe profeſſi ſunt, cum aliter ſentirent, dederuntq; proverbio locum, aliud eſſe ſpectandum, aliud vero dicendum. Tales fuerunt olim *Acaciani*, qui ſubſcripſerant *formulæ Antiochenæ* in *Encœniis*, Filium per omnia Patri ſimilem, cum revera ſecundum voluntatem duntaxat ſimilem crederent, ut in *ſynodo Seleuciana* ſe ipſos explicarunt. Mox *Arimini*, τȣ̃ ὁμοίȣ voce tecte ſublata, Filium ſecundum voluntatem & eſſentiam plane ἀνόμοιον fecerunt. Tandem vero cum infa-

famiam ferre non possent, ne in exilium pellerentur, παλιναυτόμολοι fidei Constantinopoli approbatæ subscripserunt. SOZOMENUS *lib. IV. cap. XXIX.* Idem in nostris usu veniebat, sed nolo hic prolixior esse, ne vulnus vix utcunque obductum à me refricetur. Donec tandem se ipsos, sicut sorex, suo indicio prodidere. In quibus omnibus AUGUSTÆ pietati & prudentiæ multum debetur, sed decantatius hoc est, quam ut à me repeti debeat.

Neque vero in politicis à se ipsa degeneravit, aut solicitudinem suam à principis cura segregavit: cujus rei illustria afferrem exempla, si πανηγυρίστης esse vellem. Cum Imperator *concilium Tridentinum*, quod erat revera tantum κερκώπων ἡ ἀγορά, urgeret, & propter hanc & aliam causam bellum in Imperatorem pararetur, etsi pacem maluisset, in causa tamen illa consilia votaq; sua ab aliis sejungenda non putavit, & credibile est, tum temporis insperatæ paci, quæ data religioni fuit, ut *actio* quoque *Passaviensis* in legem abiret, plurimum contulisse præsidii. Multum enim valet deprecatio justi ἡ ἐνεργουμένη, ut Judith olim Holofernis potentiam precibus & fide fregit. Factum itaque est, ut contra omnium opinionem & cogitationem gravissimum bellum sine periculoso motu sit sedatum. Quam difficile autem fuerit in officio retinere, quibus astrologia excelsusque animus maximam dignitatis regiæ summique imperii spem fecerat, dicere nostri non est argumenti. Cum hæc tempora exciperent tristiora, in Daniam se cum Principe suo recepit, occinens crebro istud unius ex tertigenis fratribus ad Cadmum,

ne te civilibus insere bellis,

ut quæ præsentissimum secum exitium ferant, illa præclara THESEI ad PERITHOUM iterata voce:

O me mihi carior, inquit,
Pars animæ dilecte meæ, licet eminus esse
Fortibus: Auræo nocuit temeraria virtus.

Cum itaque de Servatoris testimonio pacifici & mites inter

beatos numerentur, quorum pater Deus ſit optimus maximus, & hereditatem terræ accipiant, quam vix ſperare in hac vita auſus eſſet, felicitatem fortunamq; conſecutus eſt, cum MAURITIO, eheu! fato immaturo cum omnium maximo dolore ex hac ærumnoſa vita, lethali accepto vulnere, tribus ſimul Principibus Germaniæ, aliisq; ex illuſtri & nobili genere confectis, evocato, univerſa adminiſtratio jure quidem hereditario, ſed divina aſpirante approbanteq; gratia ad ipſum legitime cum omnium, felici omine AUGUSTUM accipientium, gratulatione pervenit, ubi alius caſus, ſi prælio interfuiſſet, illum opprimere potuiſſet. Tantum ſcilicet potius ſanis Themidos conſiliis, quam Najadum oraculis vanis obſequi refert: graviſſimum quidem vulnus generoſo pectori immatura fratris tanti mors inflixit, ſed conſolatus eſt ſe ipſum, quod in brevi vitæ ſtadio prælia bellaque multa feliciſſime confeciſſet, victoriis præclariſſimis reportatis, quod in poſtremo quoque actu pulcherrime, ut quondam EPAMINONDAS, viciſſet, inſigni hoſtium ſtrage edita. Quod hoſtem ita fregiſſet, ut ab ea clade vires recuperare non poſſet: quod reſtituta his terris pace in invocatione nominis divini, fideque ardenti ad æternum cœleſteque regnum migraſſet. Quæ & alia præclara ornamenta factaque AUGUSTA, ut à luctu mentem avocaret, illi prædicare. Talem Achatem, talem in bonis malisve ſociam habere inter τῆς ἐυτυχίας genera ἐυδαίμων facillime primum numeravit. Quot meminimus hoc uno nomine miſeros, & in maximas anguſtias devolutos, de faſtigio ſummo in ordinem redigi, quod fideli & ſapienti conſilio deſtituerentur, vel ſi haberent, non agnoſcerent. Quanti igitur felicitatem hanc in AUGUSTO putabimus? Vel quid reſpondebunt ἀπηλγηκῶται νȣ̃ν ἀδόκιμον habentes, qui delectati τοῖς ἐνυπνιαζομένοις ſexum femineum etiam generoſum adeo deſpectum & contemtum habent, ut quo longius ab ſe relegaverint, eo majorem ſibi proſperitatem promittant? Etſi autem plurimum potentia & honoribus aucta eſſet, inſolentiorem tamen mi-

minime se gerebat, quin accessio multa facta est studii contentionis illius, qua se probare clementissimam omnibus cupiebat. Ita in rebus gravissimis, quæ eo tempore tractabantur, & *Vimariæ* tandem transacta sunt, suum AUGUSTA amorem, suam CHRISTIANUS Rex auctoritatem interponebat, ut multum de juris rigore remitteretur. Quod Deum ipsum probasse creditum est, cum generosissimæ illam & pulcerrimæ indolis filio bearet. In ea tamen felicitate, ut nihil solidum est, μεγαίρα infelici undique locum irrependi quærente, periculis aliisque acerbitatibus non caruit. Cum enim virtus omnibus, & ex ea prosperitas invidiæ afflatu tangatur, tactum illius nec hoc imperium defugere potuit. Sunt enim homines, qui ægri cum sint animi, fortunis tamen aliorum nocere non possint, quod unum reliquum est, invident, & eo ipso sibi, quam aliis sunt amariores: sicut ANTONIUS ille TIBALDEUS stranguria cruciabatur, adeo acriter, ut ex atra bile se ipso factus amarior non insulse delirare crederetur, cum janua fenestrisque occlusis CAROLUM V. imp. quem oderat, ex Africano triumpho ad limen Neapoli cum pompa transeuntem spectare non posset. Ex hoc tamen fonte alia & quidem violenta demanarunt, cum princeps venenis, fraude atque vi peteretur. Quid tum fuerit AUGUSTÆ animi, quæ solicitudo, quæ angustia pectoris tenerrimi, egone exprimam? Sed quemadmodum AUGUSTUS ex mediis periculis evasit, & gloriosius postea imperavit & vixit, bona vincente causa: ita hæc quoque cum felicitate perpetua, tum prole multa plurimum recreata est, ut felix esset fœcundaque mater. Quæ res effecit, ut, quamvis propter pulcerrimas virtutes longe carissima esset, hoc tamen nomine cariorem haberet, curisque sepositis, quæ plurimam molestiam adferant iis, qui ad gubernacula imperii sedent, suavissime vita fortunaque usus, tardo & lento gradu ad senectutem accederet, essetque συζυγία plane felix & fortunata per annos sex & triginta, & non aliter atque olim *Terentiana* suo conjugi per tot

annos nulla oborta offensione cohabitaret, in Principis sui naturam tota conversa: & sicut speculum probum imaginem semper reddit intuentis, ad affectum AUGUSTI se attemperaret, planeque absque ζυγομαχία congrueret, uberibus suis illum inebrians. Quid itaque mirum, si generosissimus elector eo luctu afficiatur, si dimidium sibi pectoris ablatum conqueratur, si diem in mœrore consumat, ejusque desiderium impatienter ferat, à qua tam reverenter habitus, tam blande & amice tractatus, tanto obsequio exhilaratus, tot modis adjutus & sublevatus, tantisque sæpe molestiis & difficultatibus ereptus sit, velitque ab omnibus, sicut CYRUS rex CASSANDRINAM suam, publice lugeri. Sed in immensum cresceret oratio, si obiter saltem delibando omnia perstringeremus.

Quod autem tanta στοργῇ liberos prosecuta est, generositatem animi, ut sexcenta alia, illustriorem facit, probatque verum esse: Quod documenta damus, qua simus origine nati. Quo enim quisque est generosior & melior, eo ex se natos ardentius amat, sicut post sensum iræ Dei major dolor accidere non potest, quam qui ex calamitate natorum accidit. Hinc TIMANTES AGAMEMNONEM in mactatione IPHIGENIÆ pingit involventem caput in pallium, quod affectus paternus & magnitudo doloris exprimi non posset. Sic ANDROMACHE apud EURIPIDEM se pro filii salute offert. Non enim ex jactu lapidum orti sunt homines, ut poëta fingit, qui in calamitatibus suorum non moveantur. Talis cum in ea ἔννοια esset, non tamen indulgenti, sed sanctissimæ subjecit educationi, unde ad patrem venustissimos & gratissimos remitteret, qui suam in iis imaginem contemplatus unice illos complecti, nihilque non gratiam illorum, ut AGESILAUS quoque fortissimus rex, dicere & facere. Quam primum autem per ætatem licuit, pietati & doctrinis præclare instituendos censuit, quos sciret non secundum rationem chymicam THEOPHRASTI PARACELSI, qui novo modo, si quis tamen

est

eſt in rerum natura, hominem format, ſed ſingulari benignitate divina ſibi conceſſos. Cum itaque, quid educatio pia ad generoſam indolem adferret, per ſe intelligeret, tum apud patrem CHRISTIANUM regem, apud matrem DOROTHEAM reginam didiciſſet, non ſatis eſſe, ſi ingentes opes cumularentur, ſtatuebat, aut ſi potentia tantum regnum confirmaretur, hæc enim caduca eſſet, & ut GILIMERUS *Vandalicus* rex apud JUSTINIANUM imperatorem: *vanitas vanitatum & omnia vanitas*, exclamat, quin ad illa potius bona, quæ cum & poſt vitam manent incorrupta & perpetua ſunt, & ut mortali & caduca fortuna recte & ſuaviter utamur, ut noſtri nos nunquam pœniteat, viam & aditum faciunt, & planæ ſalutis noſtræ cauſa ſunt, reſpiciendum. Qualia ſunt Dei ſcientiarumque cognitio & virtutis aſſuefactio. In eum finem maximos & regios ſumtus in academiis aliisque locis cum faceret, ut juventus recte in doctrina & diſciplina educaretur, multo id ſibi ſtudioſius in ſuis laborandum eſſe.

Nequaquam igitur imitata illos, qui pulcerrimæ indolis filios Moloch ſacrificant, bonisque privant æternis, dummodo hic feliciter, quod putant, vivant, cum vix vitam agant, nec PAULUM II. Romanum verius porcum, quam pontificem, qui literis & literatis inimicus, Romanis hortator & auctor fuit, ne liberos ſuos ſtudiis darent, ſatis eſſe, ſi litteras noſſent. Bellæ ſcilicet & pulcræ beſtiæ ex talibus porcis oriundæ: ſed Abrahamum virum illum & conſiliarium Dei, cum quo ſua communicat conſilia. Quomodo, inquit, celare Abraham poſſum, quæ geſturus ſum, ejusq; laudat inſtitutum, quod mandabit filiis ſuis & domui univerſæ, ut vias domini cuſtodiant: Nec quidem inter *Curetes* aut *Coribantes* ex imbribus natos, ut Jupiter olim adulter, ſed filias quidem apud ſe, filios autem magiſtro PAULO VOGELIO, *J. U. D. Viro clar. & ampliſſimo*, ſanctiſſime educari voluit. Cujus diſciplinæ argumentum in CHRISTIANO, illuſtriſſimo benigniſſimoque principe noſtro, habemus admodum illuſtre, de qua indo-

le nihil non sibi Saxonia, sed & universum Romanum imperium promittit, ut qui jam nunc in hac ætate justi magnique principis exemplum est, &

Ante annos animumque gerit curamque virilem.

In quo plurimum illi profuit disciplina domestica illustrissimi & potentissimi electoris AUGUSTI, cujus vita interior plena est heroicis virtutibus, qui etiam quadragenarius linguam latinam, cujus usum videbat latissime patere, didicit. Sicut autem diem in certos labores portitum habet, certum tempus lectioni sacræ decernitur, certum orationi ceterisque hujusmodi negotiis, ne confuso ordine tædium faciant, mentisque affectum languere cogant, aliud deliberationibus & cognitione causarum per suas provincias, aliud principum peregrinorum legationibus tribuitur, aliud denique certis studiis & inprimis lectioni historiarum confertur, quod restat valetudini curæque corporis vix datur. Ita AUGUSTA quoque sanctissima gynæceum laudatissimum habebat, in quo pietas & invocatio nominis divini in psalmis, historiis & tympanis, fidesque vera primum locum, secundum ab hoc modestia & pudicitia, tertium continentia tenebat, aliaque post aliam succedebat virtus. Inprimis memorabile erat, quod certas horas precibus ad Deum destinatas haberet, quas pro incolumitate reipublicæ suorumque lacrymis large profusis fundebat ardentissimas. Intelligebat vim precum, inprimis publicarum, quibus tantum tribuebat, ut recte his solum suam suorumque salutem debere cognosceret. Ideoque toties, ut certa concepta formula, præeunte in verba pastore loci illius, uno quasi ex corde & ore, & eodem pene momento emitterentur, efflagitabat. Defatigato animo corporis quoque exercitia suum locum habebant, otio omni exploso, & manibus facere non pudebat, quod ad œconomiam pertineret, dicebatque frequenter, quod ALPHONSUS rex MATTHÆO SICULO, ab eo increpatus, quod manibus laboraret, naturam non solum caput, sed etiam manus regibus de-

dis-

diſſe. Inprimis autem Palladis inventum ingenioſum & admirabile texendi artificium, plantationes herbarum, coroniarum ad amœnitatem, & medicarum, ut de reliquis taceam, ad ſanitatem, pharmacopœæ item artes & aliæ in deliciis erant, multaque hic præparabantur, quæ communi hominum vitæ ſanitatique plurimum ſerviebant. In quem uſum hortos Heſperios ſumptu & labore plurimo *Annæburgi* & *Dresdæ* fecit, qui non in minore admiratione ſunt, quam olim penſiles iſti. Et ſi fortunatam illam dicunt, quæ pulcra & formoſa pulcrum habeat conjugem, pulcrum regnum, pulcram mentem, pulcros liberos, pulcros hortos, fortunatisſimam hanc ego judico. Inprimis de pietate ſermo omnis erat, lectio & cogitatio, ad quam actiones reliquæ omnes referebantur: ſic educatæ filiæ, cum alias genus cum forma certaret, voluptati ſummæ, petitæque ab illuſtrisſimis principibus in matrimonium, honori quoque maximo AUGUSTO patri fuerunt, qui ea in parte felicior fuit AUGUSTO imperatore, qui JULIAS & AGRIPPAM, tres vomicas, ut vocabat, triaque carcinomata, in Pandatariam relegavit, exclamans Homericum illud:

O utinam cœlebs vixiſſem, orbusque periſſem.

Etſi autem ex his per immaturam mortem Deo aliquid remitteret, & graviſſimum dolorem mater ex eo conciperet; attamen non ſolum prudentem, ſed etiam fortem ſe gerere poterat, memor illius præclari dicti Judithæ, quam BASILIUS tantopere laudat, quæ in martyrio ſuo mulieres ad fortitudinem, exprobrata mollitie, hortata eſt, quod ſexus femineus ex eadem materia, & quidem præſtantiore, quam virilis, conditus eſſet, eandemque referrent imaginem Dei, quam viri. Virtutum igitur præſtantiam in matronis æque atque in viris conſpicuam eſſe oportere, & quod corporis robori decederet, animi præſentia eſſe compenſandum. Ut itaque Salamandra in mediis ignibus non comburitur, illa quoque repreſſo luctu cedens voluntati divinæ conſolata ſe ipſam eſt, quod nihil mali, nihil novi illis factum eſſet. Si enim PRIAMUS

in

in funere NESTORIS hoc se solamine confirmat, quod nihil mali accideret illi, qui deorum cultor in vita semper fuisset: Quid christiana mater non in *Alexandro* filio speraret? Cordatior igitur illo SYNESIO fuit, quem EVAGRIUS *Cyrenæum* appellat, viro laudatissimo, qui ob amissum filium de tragicis sibi manibus inferendis cogitavit, docuitque, viros à feminis sæpe virtute superari. Cumque ignara non esset, dies nostros in manu Dei esse, & sine voluntate Patris nostri in cœlis nihil nobis fieri vel immitti, salse deridebat quorundam prædictiones: quin potius, inquit, fiat mihi secundum voluntatem tuam, Domine. Cum quidam ex astris filium *Alexandrum* μακρόβιον faceret, & postea in ipsa morbi sævitia, qua μακρόβιος exstinctus est, idem constanter affirmaret, quam istud, inquit, vellem, & est apud Deum nihil non possibile. Sed astris tantam tribuere potentiam est creaturam, conservam suam, super creatorem statuere, stomachosiusque in eum invecta sine gratia dimisit. Ceterum, quæ à matre optima proficisci possent, cumulatissime fecit omnia, de quibus suo loco. Eandem στοργὴν ἀγαπὴν matri, fratribus, sororibus & reliquis cognatis indulgentissimo amore probavit, quibus si quando, quod sæpe factu opus erat, grata obsequia officiaque plus quam amica præstare pace & bello posset, Deum immortalem, quam parata se offerebant ex intimis cordis visceribus studia, & ostendunt eandem ἐμφατικώτερον itinera illa periculosa & difficilia terra mariq; maximis sumtibus suscepta.

Qui illius fuerit amor, quæ reverentia erga ministerium, ab aliis potius, quam à me dici malo. Experta erat usu, non unum esse prophetarum genus, non unum doctorum omnium institutum. Hammonios igitur istos, qui cum TIMOTHEO *Constantinopolitano* in gratiam omnia dicunt & faciunt, de quo NICEPHORUS memorat, eum huc illuc instar Euripi per animi æstus fluctuatum *synodo Chalcedonensi* nunc anathema dixisse, mox vero magnopere commendasse, ex animo oderat. Et vere genus homi-

mi-

minum odio digniſſimum, quod nihil hodie aliud eſt, quam quod Baccho Silenus, Hercopes, aut Jovi Vulcanus erat. Illos autem, quos τȣ̀ς θεȣ̃ διακόνȣς cognoverat, probatosque aliqua, ut Eſaias loquitur, vexatione, quæ dat intellectum, habebat, etſi ſolebant auriculas teneras mordaci radere vero, & pro loco opportune & importune increpabant, benignius fovebat & honorabat, longe melior PARYSATE illa, quæ verbis byſſinis uti volebat: longe felicius ſeculum noſtrum, quam VALENTINI illud imperatoris, quod nec vitia ſua, nec remedia ferre potuit, & ſi quando Holofernis aut Pharaonis mentio fieret pro concione, mox in regem ipſum dictum accipiebatur, & periculum præſentiſſimum erat creatum.

Laudem præterea ſummam affectio illa materna & clementiſſima in viduas & pupillos miniſtrorum verbi meretur, quos omnibus modis proſpiciendo τοῖς ἱκανοῖς juvabat, ut ſæpe etiam ad honeſta officia & loca transferret. Talem meminerat DOROTHEAM, matrem cariſſimam, cujus veſtigiis tenaciter inhærebat, adeo à teneris aſſueſcere multum eſt. Et teſtantur alias tot ſcriptorum dedicationes nuncupationesque de ſingulari ejus in miniſterium verbi pietate. Talem quoque beneficentiam in pauperis ſortis homines exercuit, quos minime ἀπρόσιτος patienter admiſit, ut quæ hominem quoque ſe non neſciret, & à Chriſto, qui & ipſe pauper in terris fuiſſet, judicandam, apud quem nequaquam eſſet προσωποληψία. Si quis cœlum ipſum attingeret, aut pede non eſſet altior uno, qualem tempore HIERONYMI CARDANI Italia vidit juſta ætate non majorem cubito in cavea Pſittaci circumferri, ejusdem eſſe reſpectus. Laudatur à THEODORETO PLACILLA *lib. V. cap. XVIII.* propter hanc in miſeros inopesque liberalitatem: AUGUSTA, ſtudium iſtud ſi non ſuperavit, omnino exæquavit, AUGUSTOque currenti non frenum, ut TIBERIO imperatori uxor, ſed calcar addidit, ut pauperum res ſibi commendatas commendatiores in poſterum ha-

beret. Quamobrem benedictione Dei fortunante non NARSETIS thesauros, sed opes infinitas in fortuna stupenda cum principe opulentissimo acquisivit. Reliquos vero subditos amavit semper, & cum tanquam ex Acto, Corintho aut Taygeto illorum oculis cogitationique fortunam subjiceret, bona quidem plurimum est lætata, malam autem beneficio sublevavit, illos resque illorum diligenter principi commendans. In vita autem nihil pejus oderat, quam turpitudines χαμαίβηλα & mendacia, à teneris annis veritatis pulcritudine delectata. Et nos quidem AUGUSTO, Domino nostro elementissimo, precamur, ne cum AUGUSTO imperatore necesse habeat conqueri, deesse, qui vera ex animo illi loquantur. Neminem in ista felicitate & fastigio despiciebat, & quoad vixit, amicitias frequentes cum Germaniæ principibus matronis, inprimis, quæ familiæ erant Brandenburgicæ, sed maxime cum SABINA, illustrissimi electoris Brandenburgici, JOANNIS GEORGII, nunquam satis laudata conjuge, colebat. Reliquas omnes benigne complexa, ut aula tanta nihil haberet illa placidius & humanius, ut verum sit, quo quis sit major, eo se submissius gerat. Non dico de humillimæ sortis hominibus, qui necessitati sæpe debent, quod faciunt, & in humilitatis laude non sunt ponendi. Nullus otiosus vestium luxus, aut nitor acquisitus suberat, qui, si GREGORIO credimus, absque peccato esse non potest. Cor erat mundum & simplex, talis quoque cibus & potus, talis denique vestitus, cum interim abjectissimæ sæpe sortis homines nihil non hic sibi libenter sumant. Sed quo pertinet usitata & quasi inveterata ista vestium luxuries? Memini GEORGIUM FABRICIUM *Chemnicensem* dicere, comitissam Thuringiæ trecentas simul tunicas pretiosas soli aërique exposuisse. Et cum frugalitatem in omnibus magni faceret, frugalem quoque, ἀσωτία sede sua ejecta, aulam fecit, ita tamen, ut ad magnificentiam nihil deesset. Et ut breviter me expediam, genus in ea cum forma, forma cum impuritate, quæ cum mansuetudi-

dine & continentia, hæ tandem cum beneficentia & veritate certabant, ut nescires, quam in ea potissimum virtutem admirareris. Quæ enim singularia erant in laudatissimis, hic quasi ἐν τῷ κύκλῳ & speculo universa se offerebant.

Tale autem ut esset nobis virtutum παράδειγμα, versabatur in crebra bibliorum lectione, ex Psalmo 116. precata: Inclina Domine aurem ad verbum tuum, & non ad avaritiam, fac, ut sit lucerna pedibus meis. Conciones attente etiam in afflicta valetudine audiebat, ut exactam sibi veritatis evangelicæ cognitionem compararet. Hanc enim qui ignorat, Deum ipsum ignorare non est dubium, ut CONSTANTINUS in literis ad synodum *Tyri* recte sentit. Hic fortassis mihi tacite objicitur, an nihil humani passa est, quam divinam propemodum facis. Si qui sunt tales, quibus hæc in mentem veniunt, illi consilium meum non satis perspexerunt. Ego de donis ornamentisque AUGUSTÆ dicere volui, utinam conatus mei illis correspondissent. Interim sine vitiis hominem nasci & vivere mihi sit religio dicere, quæ tamen curiose perscrutanda minime mihi sumo, ut PETRUS CANDIDUS DECEMBER in vita PHILIPPI, *Vicecomitis Mediolani* laudatissimi, in quo SUETONIUM lepide imitari voluit, quamobrem merito vituperatur, quod tanti hominis vitia cupide nimis maligne detexerit. Absit hoc à nostris, quas colimus, musis, qui absentibus & defunctis honorem habere in εὐφημίᾳ recepta didicimus. Immo ipsa per omnem vitam, tum vero maxime in extremo vitæ actu omnes infirmitates, quos passa esset, serio deploravit, venia à Deo in vera fide petita.

Decurso itaque vitæ spatio, cum tandem fatis urgentibus decumbere cœpisset, morbo quidem initio non gravi, sed paulatim per incrementa vires assumente. Etsi medicis cupidius, quam alioquin ejus ferebat consuetudo, obtemperaret, in iis tamen, quæ ad animæ salutem requirerentur, quærendo arcam Nohæ, ut æternam mortem effugeret, multum solicita primum & maxime pro-

curata eſt, & petiit à Deo, ut in hac vita potius, quam in altera daret pœnitentiam, illic autem indulgentiam parata portare iram Domini, qui quidem onus illi imponeret, ſed tamen ſalus eſſet noſtra.

Tandem exhauſtis attenuatiſque viribus cum ſpes vitæ ſupereſſet parva, de extrema voluntate cum ſuis, quorum intererat & quos evocaverat, collocuta, commendata illuſtriſſimo conjugi eccleſiæ liberorumque cura diligentiſſime, cum prius à triſtitia avocare animum illius doloremque eximere conata eſſet, liberosque, qui aderant, illarum virtutum, in quibus ſalus hominum & reipublicæ tranquillitas ſita eſt, admonuiſſet, piiſſime, datis aliis certis quibusdam mandatis, δυνοπαθεία extrema illis benedicens, porrecta manu ultimum valedixit, multis quidem cum lacrymis & dolore immenſo, ſpe tamen reſurrectionis & reſtitutionis ſe ipſam erigente & confirmante. Ex eo tempore indeſinenter precationibus vacans totam ſe cogitationi & deſiderio rerum cœleſtium dedit, in ſumma patientia & ſilentio Dominum expectans, multaq; ſecum reputans. Interim cum interrogaretur, an tentationes quoque haberet? turbor quidem, inquit, ſed non perturbabor, quia vulnerum Domini recordor, & in eum confido, qui dixit, confidite, ego vici mundum, ubi ego & vos eritis; iterum veniam & accipiam vos ad me ipſum. Tandem ἀγῶνα extremum adeſſe præſentiens, poſtquam de remiſſione peccatorum, fideque ſua & vita æterna, edita confeſſione piisſima, locuta esſet, iterata aliquoties hac voce: in manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum, qui me redemiſti, in invocatione filii Dei absque majore aliquo cruciatu, qui quidem animadverti poterat, recta ad cœleſtem vitam, æternumque regnum circa horam veſper-

ſpertinam octavam, cal. Octobr. anno ætatis quinquageſimo primo, feliciſſime perrexit, cum paulo ante turbines ventorum tanti exorti eſſent, ut multa convulſerint ædificia, robora quoque arborum procera ad miraculum usque proſtraverint, & contorta & quaſi medium inciſa fregerint. Quod ut abſentibus ominoſum erat, qui, quid fieret, ignorabant, ita reliquis metum incutiebat, curamque injiciebat calamitatum, quæ è veſtigio cito pede piiſſimorum hominum obitum comitari ſolent, quarum imaginem Deus per turbinum iſtorum violentiam ob oculos ponere voluit, cujus dextra mutare omnia poteſt. Exuviæ tandem in triſti quidem & luctuoſa, ſed ampliſſima pompa honorificentiſſime, deducentibus proceribus univerſi imperii Saxonici, *Fribergam* Hermundurorum delatæ, & apud filiorum filiarumque monumenta in cubiculum ſuum usque ad diem extremum cum omnium gemitu & luctu depoſitæ. Sed proh! Deum immortalem, qualis hic ſe materia offerret, ſi querelis indulgere in immenſum creſcens oratio pateretur. Amiſit illuſtriſſimus princeps elector AUGUSTUS fideliſſimam & ſapientiſſimam imperii thorique, in bonis malisque ſociam, pietate, φιλοστοργίᾳ, πολυτεκνίᾳ καὶ εὐτεκνίᾳ, obſequio, paratiſſimo ſtudio, ſuavitate morum ſibi jucundiſſimam, in qua acquieſcere totus poterat: Amiſit inclytus princeps CHRISTIANUS matrem cariſſimam, ſine qua vitam ſibi acerbam putabat: eccleſia, respublica, ſcholæ ſuum decus & præſidium ſibi ereptum ſolicito animo dolenter requirunt: pauperes, inopesque, quod unum reſtabat, ſolatium ſibi ademtum in agris & plateis ejulanter conqueruntur. Vicini reges & principes multo ob eam dolore afficiuntur: Nos quoque hac Domina benigniſſima

 de-

destituti, nescimus, quibus curis & molestiis iterum implicabimur. Sed singularem hæc sibi orationem deposcunt. Illa ut vixit sancte, ita feliciter ex hac vita abiit, vel potius ergastulo, defuncta omnibus caris, superatis cuncta malis, collecta ad patres in pace, ne viderent oculi omnia ista, quæ inducturus est Dominus super locum istum, conclusa in manu Dei, ne tormentum tangat, vivitque vere animula illa castissima ἐν δεσμῷ τῆς ζωῆς παρὰ κυρίῳ τῷ θεῷ, in complexu filii Dei, in ea lætitia & gloria, ut, si totus mundus offerretur, ad nos ad hanc ærumnosam vitam, quæ tamen vere ἀβιώτη est, redire nollet. Non enim cœlum est res dubia piis, sicut fortunatæ insulæ, quæ an veteres sint omnes, an interea enatæ in ea vastitate maris, nescitur: nec profecto est Quinsai urbs, quæ viginti quinque milliaria Germanica secundum longitudinem continet, quam cœlestem hodie & propter incredibilem omnium voluptatum affluentiam paradisum nominant: Sed solium majestatis divinæ, locus splendoris, abundantiæ infinitæ, suavitatis, pacis, admirationis, &c. ubi nullæ sunt dæmonum insidiæ & improborum machinationes, nullæ amaritudines & tentationes, nullus stimulus carnis adversus spiritum, ubi non est ira Dei metuenda, terrores inferni sustinendi, aut tandem mors omnium terribilium terribilissima expavescenda. Nec illic, ut miser CERCIDAS se ipsum consolabatur, se in omni scientiarum genere doctissimos, ex philosophis Pythagoram, ex musicis OLYMPUM, ex historicis HECATÆUM mox visurum, hos vel alios impios contemplatur: Sed Deum ipsum, qui sit, an non sit, principium est PROTAGORÆ, non nostræ theologiæ, sanctos itidem angelos & omnes selectos, & inter hos sibi carissimos,

CHRI-

CHRISTIANUM patrem, matrem DOROTHEAM, filios, ALEXANDRUM & reliquos cum amicis, in quorum complexum jam ex complexu AUGUSTI Principis devenit. Nec intuetur illos, ſicut ÆNEAS apud VIRGILIUM ſuos in *Camœna* ſpelunca, aut ſicut illæ, de quibus PLINIUS, in Africæ ſolitudine hominum ſpecies conſpiciuntur, quæ ſubinde obviæ illo momento evaneſcunt, ſed vere ſuos agnoſcit, qui pelle ſua in die reſtitutionis omnium rerum circumdabuntur in immortali gloria conſtituti. Jam demum videt vera eſſe, quæ de μιϑοδοσία, omnibus piis præparata, à filio Dei dicta ſunt, quod ibi ſit κατὰ τὴν ςέρησιν ϰ ἕξιν, abſentia omnis mali & præſentia omnis boni, ſabbathum ex ſabbatho, feſtivitas ſine fine, æternitas ſine labe, ſerenitas ſine nube, eaque præmia, quæ non poſſunt menſurari, terminari aut æſtimari, & audiuntur τὰ ἄῤῥητα, & demum ea eſt lætitia, quæ auris non audivit, nulla lingua eloqui, aut mens ulla concipere poteſt. His tu, ANNA AUGUSTA, Domina, dum in vivis eras, clementiſſima, fruere in ſecura & ſumma felicitate. Nos dies lacrimoſa tenet, & ex una calamitate in aliam vocamur, eaq; expectamus tempora, in quibus erit tribulatio, qualis non fuit, ex quo gentes eſſe cœperunt. Ego pro clementiſſimis tuis in me beneficiis, pietatis & gratitudinis ergo, hanc tibi pura mente teſtificationem, in ſpem glorioſæ reſurrectionis, exhibere volui, non quod tibi ſit adjumentum aut neceſſarium, ſed nobis qualecunque ſolatium. Reſtat nunc, ut, quod cupimus, tuo quoque exemplo ἀναλύειν, & tecum & cum Chriſto noſtro eſſe poſſimus, ad hanc migrationem nos præparemus. Quam adjuvet & inſtruat ipſe, qui dixit, veniam iterum, & recipiam vos ad me. Qui ſit benedictus in omne ſeculum.

D I X I.

Epi-

Epitaphium

Sereniſſimæ & inclytæ Principis ANNÆ AUGUSTÆ, natæ Reginæ Daniæ, illuſtriſſimi & potentiſſimi Principis AUGUSTI, Ducis Saxoniæ, Sac. Rom. Imperii Archimarſcalli & Electoris, Landgravii Thuringiæ, Marchionis Miſniæ, &c. conjugis cariſſimæ & deſideratiſſimæ.

D. O. M. S.

ANNA vocor, patre Rege fui prognata ſub Arcton,
Hic ubi Cimbrorum gloria magna manet.
AUGUSTI conjunx, gladiis qui territat Albim,
Et lata Myſos ſub ditione premit.
Me coluit Pietas, ejusque pediſſequa virtus,
Et Lucina ſuum rettulit eſſe decus.
Florida me patriæ matrem respublica dixit,
Pignora ter matrem, quinque vocare thori.
Luſtra decem vix unumque annum fecerat ætas,
Cum me ſub tumulum mors properata vocat.
Nunc ago cum CHriſto dio ſplendore refulgens:
Quanta per hanc aulam ſunt bona parta piis.
Diſce meo exemplo, tumulum quicunque reviſis,
Vivere, poſt mortem ſic quoque vita manet.

Obiit anno ætatis quinquageſimo primo, ſalutis noſtræ MDLXXXV. calend. Octobr. hora octava veſpertina.

SUC-

SVCCESSIONES FAMILIARVM
ET
RES GESTAE
ILLVSTRISSIMORVM PRAESIDVM
MARCHIAE BRANDENBVRGENSIS

AB ANNO DCCCCXXVII
AD ANNVM MDLXXXII
TRIBVS LIBRIS
DISTINCTE ET BREVITER
EXPOSITAE

A
ZACHARIA GARCAEO
PRIZVVALCENSI
NVNC VERO AD NOSTRA TEMPORA
PERDVCTAE
PRAEMITTITVR
DE VITA FATISQVE AVCTORIS
DISSERTATIO.

Nemo patriæ ſuæ hoſpes eſſe debet

* * *
* *

PLINIVS lib. VII. ep. XVIII.

Oportet priuatis vtilitatibus publicas, mortalibus æternas anteferre,
Vtinam hoc fieret!

ZACHARIAS GARCAEVS
LECTORI BENEVOLO
SALVTEM.

Magnum & difficile opus eſt, integram hiſtoriam recte ſcribere, &, teſte PHILIPPO MELANCHTHONE, quem *vlla dies vnquam memori non eximat æuo*, inter eloquentiæ opera omnium difficillimum: commentarios excerpere & epitomas conficere, facilius eſſe videtur quidem, ſed tamen eligere ea, quæ plurimum habent ponderis, intelligere conſilia atque occaſiones negotiorum, hominis eſt non ſolum non hebetis, ſed etiam vſu periti, & verſati in republica; apte vero ea, quæ excerpta ſunt, diſtribuere, & dilucide recitare, nemo, niſi liberali doctrina excultus, poteſt. Hæc cum ita ſe habeant, miretur quiſpiam, quid mihi in mentem venerit, cum aggreſſus fuerim rem difficillimam, & ingenii mei vires longe ſuperantem, pertexendo nimirum *familias, & res geſtas eorum Principum, qui ab* HENRICO

AVCVPE, *Romanorum imperatore, circiter A. C.* DCCCCXXVII, *huic oræ limitaneæ præfecti, & ab officio Marchiones, a primaria vero vrbe Brandenburgenses* dicti sunt. Etsi vero, hæc ita esse, & sæpenumero me ab instituto reuocasse, ipse ingenue fatear: fecerunt tamen *amor patriæ, & pietas erga principem*, vt posthabitis quibusuis difficultatibus, & iudiciis legentium diuersis, prodirem tenus, si non daretur vltra. *Amor* quidem *patriæ*, cum, quod ei me natum esse scirem, tum, quod *ei* secundum PLATONEM *deberetur maior honos, quam vel patri, vel matri, & omnibus parentibus*, quibus præstantior & sanctior est. Discant sane alii, & memoria teneant Romanas & Græcas historias, ita tamen, ne fastidio quodam respuant ea, quæ domi nata & gesta sunt, nec studeant extremæ Indiæ ciues videri, cum domi & apud suos, hospites propemodum sint ac peregrini. *Pietas* vero *erga principem*, eum præsertim, cuius sub protectione viuo, quod intelligerem, fidelitatis eius, quam illi post timorem Domini pro virili debeo, non esse mi-

ni-

nimam partem, memoriam rerum geſtarum, & origines literis mandare, & in certum ordinem redigere & complecti. Etſi enim *ornare principem omnes decet:* maxime tamen eos, quos natura ingeniis & ſtylo armauit. Defendunt Principem alii armis, alii conſiliis ac legibus; vtrique ſane operam ſplendidam & arduam conferunt ad conſeruationem nominis ipſius, & ſalutem ſubditorum, & eximiam laudem hanc ob cauſam merentur, & merito ab omnibus diliguntur, & magnifiunt. Verum, non minori laude digni ſunt ii, qui originem & ſplendorem familiæ, dignitates & ſucceſſiones, rerumque geſtarum memoriam, literarum beneficio, poſteritati commendant: adeo, ut, *niſi hi operam ſuam adiungant, omnes illorum labores & conatus, quantumuis magnos, difficiles & laborioſos, laudabilesque, vel breui momento temporis obliuioni tradi, vel cum ipſis auctoribus interire, experientia doceat.* His de cauſis, vt amicorum poſtulata prætereạm, exiſtimaui, faciendum eſſe, quod res ferret, nimirum, non eſſe negligenda hæc, quanquam rudia monumen-

 ta

ta maiorum noſtrorum, quæ, licet pulcherrimas virtutes non ſatis, vt dicitur, viuis coloribus illuſtrarent, adumbrarent tamen, & hac ipſa adumbratione animos legentium ad ſe allicerent & doctiores ad maius opus excitarent. Partitus ſum has annotationes (nam integrum opus alium hominem, aliudque tempus poſtulat) *in tres libros*. *Primus* in genere pauca de appellatione, origine, dignitate, ſitu, moribus & incolis Marchiæ Brandenburgenſis continet. *Secundus* familias Marchionum enumerat, res geſtas pertexit, diplomata, reſcripta Principum, epiſtolas & alia monumenta habet. *Tertius* repetit ea, quæ de Brandenburgo, Metropoli Marchiæ, piæ memoriæ clariſſimus Vir, Doctor GEORGIVS SABINVS, *Brandenburgenſis*, conſcripſit, quæ nonnullis aucta ſunt annotationibus.

In his, ſi quis forte inter legendum hæc, vel illa, ab aliis aliter annotata meminerit, vel alio modo ſe narrare eadem voluiſſe, &, quæ a me omiſſa, illa vel tali forma ſe complere poſſe, putauerit, eum amanter peto, &, vt condonet mihi, ſi in obſcura re aliud, ac me decuerit, non egerim;

(ita

(ita enim in dubiis loqui & ſcribere velle, ne tacuiſſe videaris, audacis fortaſſe, ſed, me hercule! imprudentis omnino eſt,) &, vt publicæ vtilitati ſua communicando candide mea adaugeat, &, ſi non eſt illi graue, ſecum reputet, an fortaſſis illi præſtiterim, quod viatori a prætereunte contigit: ſedit olim viator ſecus viam, feſſus deambulando, & cum prætereuntem alium, viribus integrum, robore corporis præſtantem & diurno motu nondum debilitatum, ad eandem metam properare intellexiſſet, precibus ab eo impetrauit, vt illum humeris ſuis imponeret, & portando, comitem itineris ſibi adiungeret: annuit ille, humeris imponit viatorem & ſecum abducit. Sed, quid fit? humeris inſidens, baiulatoris beneficio non tantum certius ea, quæ vndique occurrebant, proſpicere, ſed etiam tum, cum deſcenderet ex humeris, longius ipſo portatore progredi potuit. Sin alius quiſpiam eſt, qui inclementius in ſe ſuoſque dictum ſcriptumue quidpiam exiſtimauerit: is colligat ſeſe quæſo, &, conſideratis hiſtoriarum legibus, meque miſſo, auctoribus ipſis potius, quorum verba

ba retinui, &, me non monente, ab omnibus leguntur, omne id, quod offenſionem parere videbitur, acceptum referat.

De me ipſo, & ſcriptione hac nihil addam in præſentia. Eſt enim noſtrum ſeculum eiusmodi, vt ea, quæ ad excuſandum te quam modeſtiſſime, etiam precibus humaniſſimis proponis, in deterrimam partem contra te ipſum rapiantur. Sane, ſi mihi, hæc ſcribenti, accidat, quod luſciniæ, non indignor: ſin mei labores aliter ac ſperaueram, ab aliis accipiantur, honeſtiſſima ſtudii induſtriæque voluptas præmium liberale & maximum eſto. Honeſtorum & doctorum virorum tamen iudicio mihi nihil debet eſſe gratius & antiquius: tales opto mihi cenſores, quomodocunque res ſit caſura; tametſi velim, vt quam optime cadat.

VITA

VITA ET FATA

ZACHARIAE GARCAEI

ZACHARIAS GARCAEVS 1) ex celebri *Garcæorum* familia, quae in variis Marchiæ vrbibus dignationem nacta est, ortus, viuendi cepit initium *Prizvvalci*, quod haud ignobile *Prignitiæ* est oppidum. Parentes vbi in eo ingenii vires animaduerterant tractandis studiis haud impares, bonis eum artibus inficiendum curauerunt omni opera: propter id tradebatur ludi patrii magistris primum iis imbuendus artibus, quibus ætas

):( ):(pue-

---

1) Quæ de GARCAEI vita hoc loco memorari potuerunt, accepta referentur LEVINO IOHANNI SCHLICHTIO, Scholæ Saldriæ, quæ *Brandeburgi* floret, primum rectori, & demum verbi diuini ministro ad ædem, quæ *Berolini* in suburbio D. Georgio est consecrata, qui de vita GARCAEI, quantum ipsi licuit indagare, exposuit tam in *historia scholæ Saldriæ, quæ Brandeburgi*, 1713, 8, sermone prodiit patrio, *p.* 14, *sqq.* quam in *horis subcesiuis in schola Saldria P. I, p.* 86, *seqq.*, *ed. Berl.*, 1718, 8.

puerilis ſolet impertiri: quas cum rite haberet perceptas, valedixit ſcholæ patriæque, atque grauioribus ſtudiis obſecutum, contendit ad academiam *VVitebergenſem*, cuius tum præ ceteris gloria erat illuſtrior. Demigrationis ſtudiorumque ibi colendorum exiſtebat ſocius CASPAR PRAETORIVS, 2) *Putlicen-*

2) Huic clariſſimo poetæ, quem *Marchiæ Ouidium* merito dixeris, commode ſecundæ partes debentur a GEORGIO SABINO, *Brandeburgenſi*, carminibus pangendis nobilitato. Verſuum contexendorum quanta in PRÆTORIO fuerit ſuauitas, teſtantur libelli poetici, qui, eo auctore, prodierunt in lucem, in quibus eminent *carmina ſacra*, prelo iterum ſubiecta a IOHANNE CASP. CARSTEDIO, rectore olim ſcholæ Saldriæ, nunc vero concionatore legionis militaris regiæ, quae Potſdamum tenet præſidio, *Brandeburgi*, *1722*, *8*. Præfatus eſt illis de vita PRÆTORII, mentione quoque iniecta amicitiæ, ab illo cum GARCÆO cultæ, quem tamen, quod mireris, *Ioachimum*, non *Zachariam*, appellauit. BARPTOLOMAEVS BILOVIVS, *Stendalienſis*, *comes palatinus & poeta laureatus cæſareus*, in libro poetico, cui titulus: *Anagramatiſmorum pleiades, ſeptem libris diſtinctæ, illuſtres aliquot Germaniæ heroas ac viros nobiles, theologos*

censis, GARÇAEI in scholastico munere,
):( ):(2

gos, iurisconsultos, medicos, poetas, philosophos, philomusos & amicos repraesentantes, Erfurti, MDCXIV, in 8 editae: ex nomine CASPARVS PRAETORIVS per anagramma haec verba elicuit; *O purus & sacra paris*, sequentiaque adiecit in eius laudem;

FABRICIO vatum si iudice causa geratur,
Alma poetarum Marchia mater erit.
Et merito, foueat quaeuis licet aura poetas,
Floreat & doctis vatibus omne solum;
Nostra tamen cunctis palmam regionibus omnem
Praeripit, & vatum numina Marchis habet.
Hortus erit locuples testis meus; aequa legentis
Sit censura boni; consule: certus eris.
Vatum lumen, honos, & gloria prima SABINVS,
Nonne perenne suo carmine nomen habet?
PRAETORI, relegis vestigia docta SABINI;
Purus *es o vates* & sacra *metra* paris!
Hinc te Marchiacis adscribit Apollo poetis;
Addet & emeriti laurea serta comis.
Perge tui ingenii plures expromere foetus;
Nec cessa Clario fonte bibisse senex.
Paruula sic Podlesta *caput super aethera tollet,*
Et tibi post cineres nobile nomen erit.

re ſucceſſor, tandemque conſul Brandeburgenſis, cum quo a condiſcipulatu vixerat coniunctiſſime, atque etiam nexu quodam cognationis erat copulatus. In academicis ſtudiis dabat præceptis, quæ ius ciuile tradunt, cognoſcendis operam præcipuam: haud tamen abiiciebat ſacrarum rerum, philoſophicarum & philologicarum curam, ſed in iis ita verſabatur, vt illarum magnam nanciſceretur prudentiam. Tantas in literis progreſſiones cum poſt aliquot annorum, quos WITTEBERGAE exegerat, interuallum ſenatus *Prizvvalcenſis* intelligeret, ſcholæ patriæ rectorem, A. MDLXXI, eum deſignabat. Huic muneri publico dextra opera non ſolum præfuit, ſed priuato etiam ſtudio ita colebat literas, vt doctrinæ, quam ſibi iam quæſiuerat, magnum adhuc adderet cumulum. Nihilo tamen minus maiore adhuc in ſtudia rapiebatur impetu, quem

pu-

publici muneris, cui præerat, molestiis vehementer inhiberi sentiebat. Solutiori igitur animo, vt vacare illis posset, A. MDLXXV, abdicabat se munere, qui mos multis hominibus doctis ea memoria erat familiaris: peragrare enim constituerat alienas terras, vt virorum doctissimorum vsu expletas magis cumulatasque sibi pareret scientias. Vix autem annus erat interpositus, cum senatus *veteris vrbis Brandeburgi* ei scholam vrbis traderet regendam: cui, vocanti, peregrinatione haud ita prospere, ob turbas publicas, succedente, obsecundabat, atque, A. MDLXXV, d. XII April., muneri inaugurabatur, habita oratione: *quod Deus sit auctor, gubernator & defensor piarum scholarum, nec non præsens & acerrimus vindex omnium scholomastigon*, quæ in lucem quoque postea exiit. Spartam, quam nactus erat, adornabat egregie: deuorandae ta-

 men

men illi erant multæ moleſtiæ, ex iurgiis inuidiaque, 3) quæ indefeſſos honeſtoſque labores ſolent comitari, enatæ. Exſoluebatur autem illis non ita multo poſt, ſenatui Brandeburgenſi, A. MDLXXVI, adſcriptus, Syndici officio illi impoſito, atque, aliquo tempore interiecto, in Scabinos eiuſdem vrbis allectus. Adminiſtrauit hæc munera ad vitæ vſque exitum,

3) Moleſtiarum harum facit mentionem C. PRÆTORIVS, *eleg. III, 10*, mortem eius lugente, hunc in modum:

Iuit honoratus felix cum laude per artes,
Et didicit vario verba referre ſono.
Viſus ob id fuerat dignus formare iuuentam,
In ludo primas & tenuiſſe vices.
Hic didicit duros animo perferre labores,
Iurgia pro meritis inuidiamque pati.
Has etenim pretii dotes plerumque reportant,
In pueros ſceptrum qui ferulaſque gerunt.
Qui nequit ad varios animum componere caſus,
A ludi frenis auferat ille manus.

tum, qui vero quo anno euenerit, eſt poſitum in incerto, neque ipſi B. Schlichtio explicare annum licuit emortualem.

Quas vero a reipublicæ procuratione reliquas habebat horas, haud tranſire inanes paſſus eſt, ſed vario literarum genere tranſegit. In primis animum tractandæ patriæ hiſtoriæ, cuius erat perſtudioſus, adiungebat, concinnabatque compendium aliquod rerum, quæ a marchionibus Brandeburgenſibus egregie fortiterque ſunt geſtæ. Quod vt commode perficeret, præſtantiſſimos, qui tum habebantur, perlegit hiſtoricos, excerpens ex illis, quæ ad ſumum pertinere arbitrabatur negotium. Literas quoque publicas, quæ diplomata vocantur, vocauit in ſubſidium, depromtas haud dubie ex tabulario Brandeburgenſi, quibus multis hiſtoriæ capitibus egregiam attulit lucem. Et, cum ſtirpes principum contextæ

textæ in hiſtoriis haud exiguum ferant momentum, magnumque decus adiiciant libello hiſtorico, ſollicita quoque opera eas compoſuit, tabulis neceſſariis propoſitas. Neque vero tantum principum facta expoſuit, ſed & plurima attuſit, quæ illuſtrant hiſtoriam vrbis *Brandeburgi*, cum ſecundo, tum præcipue tertio libro. Dicendi, qua vtitur, ratio ita eſt comparata, vt minime perſonam illius dedeceat, qui res, ab aliis præclare adminiſtratas, memoriæ cupit tradere. Atque hic liber vnicum eſt ingenii monumentum, quo nominis ſui famam ad poſteritatem propagauit.

I. N. J.

DE

APPELLATIONE, ORIGINE, DIGNITATE, SITV, MORIBVS ET INCOLIS MARCHIAE BRANDENBVRGENSIS.

LIBER PRIMVS.

Descripturus familias illuſtrium Præfectorum eius Principatus, qui ex conſtitutione HENRICI AVCVPIS *Marchia*, & a BRENNI vel BRANDI *Burgo*, *Brandenburgenſis* dicitur, paucis, quæ ad appellationem, originem, dignitatem, ſitum, mores & incolas huius pertinere videbuntur, præmittam, & huic annotationi primum librum adſcribam.

APPELLATIO.

Marchiæ vocis etymologia.

DE *etymologia* vocabuli *Marchiæ* non conuenit inter eruditos. Alii enim deducunt a MARCOMIRO, alii a *Marcomannis:* quorum ille *Francorum* dux fuit: hi rerum in his terris aliquando potiti ſunt. Alii dictum putant a *Marca*, dictione germanica,

quæ

quæ limitem ſignificat, vt Marchia noſtra lingua ſit, quam latine diceres *limitaneam præfecturam.* Hinc CRANZIVS *lib.III. cap.XVI. Vandaliæ: Nihil reperio de nominis origine probabilius, quam, vt ex vulgari Saxonum ductum eſſe credam, vt ſit in aliis quoque nationibus, vt vernaculæ linguæ quædam nomina inſerantur latinis, Latiumque beetur diuite lingua. Marchiam autem vocant vulgo Saxones, diſtrictum vnius villicationis: vnde Feldmarken nomen duxere, vt tum Marchiam dicerent Saxones eam prouinciam, quam ſui iuris eſſe, per arma ſint conſecuti. Inde præſidi nomen inditum, vt Marchio diceretur, qui illis ius diceret.* Sic SIGONIVS de Carolo Magno ſcribit: *Regni limites atque oppida comitibus adminiſtranda commiſit, atque eis omnem publicam & priuatam iurisdictionem mandauit. Limites Marchas vocarunt: vnde Præfecti limitum, Marcharum Comites ac Marchiones, dicti.* Hæc illi, quibus & PEVCERVS ſubſcribit. Alii a *Marciſia* celtico vocabulo, quo *equitum ala* ſignificatur, deriuant: ſicut appellatione *Trimarchiſia*, in exercitu BRENNI, reguli Senonum, triplicis ordinis ſeu equeſtris pugnæ diſpoſitionem vocatam fuiſſe, ALCIATVS refert *lib.I. Parerg. cap. XXVII.* In hac etymologia reſpiciunt ad Alemannicam dictionem *Marrha*, *Marha* vel *Maerhe:* vnde & *Marſtall* & *Marschalck*, teſte BEATO RHENANO. GEORGIVS denique SABINVS, Brandenburgenſis, græcum nomen & corruptum eſſe exiſtimat, vt Marchia per aphæreſin ea ſit, quam νομαρχίαν Græci vocant, quarum rectores Νομάρχαι dicuntur: ſic enim canit in *Sigismundo:*

Marchia nunc, quondam ſed dicta Nomarchia Græcis
Eſt, & ab imperii præſide nomen habet.
Summus enim præſes Romani Cæſaris olim
Argolica dictus voce Nomarcha fuit.
Vnde quidem priſci veſtigia nominis extant,
Vna ſed eſt primo ſyllaba dempta loco.

Hanc etymologiam veriſimilem reddit ex appellatione *Exarchatus*, quæ dignitas fuit vicarii imperatoris in Italia, & trans-

lata

lata imperii sede, nomina magistratuum mutata, & plerumque græca pro latinis vsurpata fuisse scribit.

Marchiones, quales sint?

Marchiones igitur latinis præsides limitum sunt, *quorum officium*, vt PEVCERVS docet, *fuit ab initio, vt ceu limitanei præsides assidue ad imperii limites excubarent in armis, finiumque curam agerent, eos munirent præsidio perpetuo, & proferrent, non contraherent, populisque, quos armis defendebant, aduersus vicinos hostes, iura darent.* Inde est germanicum *Marckgraff: Marck* enim, vt prius, *limitem* significat, & quos veteri germanico vocabulo *Grauios* vocamus, olim *iudices* fuisse *armatos* publica auctoritate & potestate ab imperatoribus, non est dubium. IOHANNES autem STIGELIVS sic sentit: *Comites erant olim vicarii principum, quibus præsto erant, tum officio obseruantiæ, tum opera prudentiæ & consilii, & vtrumque officium germanico vocabulo aptissime exprimitur: dicuntur enim die Graffen: non tam, quod oporteat ætate esse seniores reliquis, quam auctoritate & consilio.*

Pfaltzgrauii & Burggrauii.

Præter Marggrauios fuerunt etiam *Pfaltzgrauii* & *Burggrauii;* quorum *illi* quidem latine *Palatii* seu *Palatini Comites* nominantur, antiquiores *Burggrauiis*, & fuit eorum munus, vt ius dicerent prouinciis bello partis pacatisque, vel veteri *Romanorum* consuetudine, vel *Francorum* constitutione: *his* vero nomen inditum fuit, quod ceu ex ordinaria sede, quæ imperatoris arx erat, ius dicerent, & exercerent omnem potestatem politicam loco imperatoris & auctoritate eiusdem in certis & destinatis terris ac regionibus, quæ attributæ erant ecclesiæ & episcopis, concessione ac beneficio imperatorum. Et quanquam aliis etiam in locis *Burggrauii* constituti sunt, præcipui tamen tres numerantur: *Misnensis, Magdeburgensis* & *Norinbergensis: Misnensem* huic oræ Germaniæ seu HENRICVS AVCEPS, seu OTTO I. imposuit, cum conditus est episcopatus, & a *Sorabis* hæ terræ receptæ parerent imperio. *Magdeburgensem* constituit OTTO I. vt præesset publicis iudiciis & gubernationi publicæ, loco imperatoris in his terris, & in hoc

episcopatu ac ceteris coniunctis. *Norinbergensium* Burggrauiorum non ita frequenter meminerunt historiæ ante FRIDERICVM BARBAROSSAM: legebantur hi ex iis seu comitibus seu nobilibus, qui *in agro Norico* circum vrbem, vel in ipsa habitabant vrbe, quæ post bella *Henricorum* sese vtcunque recollegerat. Sub RVDOLPHO, imperatore, celebratur HENRICVS *Burggrauius*, sine mentione stemmatis: hoc mortuo, RVDOLPHVS munus Burggrauii commendauit FRIDERICO, *Comiti in Zollern*. Sed de his, & quomodo vetera iura Burggrauiorum fregerint episcopi, & post hos, principes consensu imperatorum, vide *libr. V. Chronicorum* CASP. PEVCERI.

ORIGO.

Marchiæ Brandenburgensis origo.

MArchias in Italia prius extitisse, quam in Germania, docent historiæ, & vtitur etiam hoc argumento, ad defendendam græcam nominis originem, SABINVS. Marchiæ autem *Brandenburgensis* prima quasi fundamenta iecit CAROLVS MAGNVS circiter A. C. DCCLXXXIX. contra *Henetos*. Nam aliæ *Landsbergensis* ad *Oderam* & *Vartam*, & *Soltwedelensis* multo priores & contra *Vandalos* constitutæ sunt. Post CAROLVM HENRICVS AVCEPS, Rom. imp. totam hanc oram, domitis *Henetis* & *Sorabis*, distinctam in præfecturas limitaneas distribuit præsidibus & gubernatoribus. GONNONE, *Danorum rege*, deuicto, opposuit huic genti Marchiam *Schlesuicensem* in *Cymbrica Chersoneso* A. C. DCCCCXXIII. & firmauit eam præsidio, vt reuertentem ad arma cohiberet atque arceret: inde reliquum est nomen *Dano-Marchia*. *Brandenburgensem* statuit contra *Henetos* vltra Oderam, circiter A. C. DCCCCXXVII. De vtraque CRANZIVS *lib. III. cap. XXVII. Metropol.* sic scribit: *Transferens imperii sui limites Henricus ad Danos in Sliaswig, fecit eam Saxonum coloniam, & vsque ad Vandalos in Brandenborg: ambobus in locis constituens Marchionem, qui rebus præesset. Sed apud Danos res euanuit, apud Vandalos autem vsque permansit in hodiernum: apud Sleswigum*

cum

cum vita Henrici finiuit & Marchionatus. Cum enim ille finem viuendi fecisset, Dani iugum, quod acceperant, proiecerunt, & occiso Marchione, coloniam Saxonum eiecerunt: felicius igitur cessit praefectura in Vandalia, quam in Dania. In quo loco, sicut in multis aliis, CRANZIVS confundit *Vandalos* & *Henetos*, quod hic obiter monuisse sufficiat. Idem etiam HELMOLDVS *lib. I. cap. IX.* de fine Marchiæ Sleswicensis annotauit. *Landsbergensem ad Salam* peruetustam esse, certum est, & a *Francis* fuit opposita *Sorabis*. *Misnensem* A. DCCCCXXXI. & mox *Lusaticam* constituit HENRICVS contra *Boiemos*, *Polonos* & *Silesios*, qui posteriores tum Polonis coniuncti fuerunt. Cæteræ Marchiæ in Germania posteriores sunt.

DIGNITAS.

Marchiæ dignitas ius marchionis Cæsarem creandi constituit.

INter prædictas siue Nomarchias siue Marchias Germaniæ, Principatus Brandenburgensis, vt vetustate, ita etiam potentia & dignitate eminet. Nam inter Septem-viros Germaniæ, penes quos est ius creandi Cæsarem, Marchio Brandenburgensis locum tenet, & S. R. Imperii Archicamerarius dicitur. Vnde CRANZIVS *lib. III. cap. IX. Saxon: in solo Vandalico Brandenburgi mirum in modum profecit Marchionatus, vt inter maximos Germaniae Principatus numeratus, dignitatem iam diu tenuerit electuræ ad imperium.* Est autem hæc dignitas ea lege familiis alligata, vt, patre mortuo aut agnato, illa cum hæreditate transeat ad filium, natu maximum, aut agnatum proximum, ætate ceteris antecellentem: sed, si hæredes desint, stirpe deficiente, auctoritate imperatoris & summi collegii, transfertur in aliam familiam. Sicut accidit, cum sublatis e viuis sine prole ALBERTO, Saxonum Duce, & WOLDEMARO, Marchione Brandenburgensi, vtroque ex ALBERTI VRSI posteris, SIGISMVNDVS, Rom. imperator, Saxoniam FRIDERICO, Marchioni Misniæ, & Marchiam FRIDERICO, Burggrauio Norinbergensi, tradidit, adiuncta Septem-virali dignitate. *vid.* PEVCERVS *libr. V. Chronicorum.*

SITVS.

PRincipatus Brandenburgensis Marchiæ, qui generali distin ctione Germaniæ ad Saxoniam referri potest, expedito pa tet tam in longitudinem, quam in latitudinem, iter ferm septem dierum, vt SABINVS annotauit: etsi a TILEMANNO STELLA longitudo eius ab ortu in occasum, latitudine maio describitur.

Marchiæ 1.) fines

Ab occasu *Saxones:* a septentrione *Pomeranos:* ab orient *Polonos:* a meridie *Lusatios* attingit. Quadruplici terræ distin ctione ab *Odera* ad *Albim*, & intra flumen vtrumque secundun *Sueuum Hauelumque*, amnes, porrigitur: ita, vt ex consideration horum fluminum, Marchiam Brandenburgensem in quatuo pagos, veterum Germanorum more, quis partiri possit: iuxt Albim, vbi *antiqua*, iuxta Sueuum, vbi *media*, iuxta Viadrum vbi *noua*, & ad Vcarum, vbi *Vcaria* Marchia sita est. *Pagi* au tem nomine, vnius regiunculæ oras & plagas ad vnum fonten sitas, accipimus: πηγὴ enim & dorice παγὰ nobis Germanis ad huc *ein Bach* est. Cum hac distinctione conuenit encomiun VLRICI HVTTENI, equitis, quod e *panegyrico eius* adscribam;

diuiditur in quatuor pagos

pagus, quid?

Piscosi prope rura Spreæ fit Marchia sedes,
Altrix illa virum, qua te, Germania, priscis
Moribus agnoscas, quæ nondum aliunde petitis
Decoxit vitiis, peregrini nescia luxus,
Dedita mollitiis nullis, venatibus apta,
Aptaque militiæ, recte Germana vocari
Quæ possit tellus: his adiicietur Haueli
Fluminis omne solum, & vicinum quicquid ad Albim
Porrigitur, magnumque nemus, magnæque paludes,
Oppidaque & villæ, reditus, portoria, magni
Ponderis argentum: quæque inuia reddita diro
Tota latrocinio est, & ab hoc purgabitur vdæ

Porti

Portio Lusatiæ: tum quas citus alluit vrbes
Odera: submittetque genu Pomerania diues,
Cassubii, Slavique vagi, se Rugia subdet.

Limitibus proxime hos pagos ambientibus his ferme describuntur iidem. Silesiæ, Lusatiæ, Saxoniæ electoralis, Anhaltini & Hierichuntini limites Hauelbergum vsque *mediam Marchiam* ambiunt. Albis, Magdeburgensis episcopatus & Luneburgensibus limitibus *Marchia vetus* includitur. *Prignissam*, quæ veteri Marchiæ adnumeratur, quamuis Albis eas disterminet, & *comitatum Ruppinensem*, Megapolenses includunt. *Vcariam*, Pomeraniæ, & *nouam Marchiam* Poloniæ limites cingunt.

II.) Regiones 1) In media Marchia Episcopatus Brandenburgensis

In *Media Marchia episcopatus Brandenburgensis*, auctore DITHMARO, *episcopo Merseburgensi*, circiter A. C. DCCCCXL. sub OTTONE I., Rom. imperatore, initium sumpsit, & suffraganeus subiectus est *Metropolitano Magdeburgensi*, qui trigesimo anno post Brandenburgensem constitutus est. *Arx & aula* episcopi fuit in *Zygesar*, in limitibus Saxoniæ superioris & Anhaltinis, ad quam pertinent oppida *Pritzerbe* & *Kezin*, ad Hauelum sita. Collegium canonicorum in burgo ad Hauelum, distincto ab vtraque vrbe, adhuc Brandenburgi est.

& Lubusiensis

Lubusiensis episcopatus, teste M. CROMERO, *Polono*, A. C. circiter DCCCCLXV. a MIECISLAO, *Polono*, fundatus, autem habuit oppidum & arcem *Lubusium*. Canonici in oppido *Furstenwalde* cathedralem ecclesiam habuerunt & domicilia. Collegium canonicorum in *Colonia ad Spream* fundatum est. Templum D. virginis, Brandenburgensis in monte *Harlungorum* ordinem *Præmonstratensium* recepit, A. C. circiter MCCCCXXX. *Carthusium* gratia Dei *Francofurti* ad Oderam fundatum est A. C. MCCCXCVI.

Cœnobia, Carthusiense

Leninense

Monasteria campestria præcipua hæc fuerunt *Lenin*, ordinis *Cisterciensium* in regiuncula *Zunchen*, citra *Hauelum* Saxoniam versus, fundatum ab OTTONE, Marchione Brandenburgensi,

filio

Chorinense filio ALBERTI VRSI, A. C. MCLXXX. *Chorin*, eiusdem ordinis, & filia *Lenin*, ſic enim rythmus habet:

O felix Lenin, ex te mihi filia Chorin,

fundatum ab IOHANNE I., March. Brandenburg. pronepote

Coeli porta VRSI, A. C. MCCLIV. *Cœli porta*, ſoror *Chorin*, ſecundum alterum rythmum:

Et cœli porta de te cognoſcitur orta.

aliaque *Dominicanorum* & *Franciſcanorum* Monachorum *collegia* plurima ſub marchionibus Anhaltinis in ciuitatibus inſtituta fuerunt: *Brandenburgi*, *Berlini*, *Francofurti*, *Strausbergæ & virginum Sa-*

Nobiles *cerdotum in Spandow*, *Zedenick*, *Fridland &c.* *E nobilibus familiis*, BREDAVII & ROCHOVII genere & poſſeſſionibus reliquos

Ciuitates antecellunt. Inter *ciuitates* primum locum obtinent *Brandenburgum*, diuiſum in *vetus & nouum* : *Berlinum*, diſtinctum a *Colonia* : *Francofurtum* : hæ quinque alia oppida ſibi adiungunt, & cum iis conſilia communicant. *Vetus* ciuitas Brandenburg adſciſcit *Rathenow* & *Nauwen*. *Noua* ciuitas, *Spandow*, *Brietzen*, *Belitz* & *Potſtamb*. *Berlinum* & *Colonia*, *Bernow*, *Eberswalde*, *Strausberg*, *Wrietzen* ad Oderam, *Mittenwalde*, *Trebbin*, *Koepenick*, *Boezow*, *Libenwalde* & *Oderbergk*. *Francofurtum*, *Munchebergk*.

2) Veteris Marchiæ collegia canonicorum In *Stendalio* veteris Marchiæ collegium *canonicorum regularium* eccleſiam exemptam habuit, fundatam ab HENRICO March. Brandenburg. nepote ALBERTI VRSI, A. C. MCLXXXVII. Sed etiam *Tangermundæ* & in vicino *monte Aquilæ* collegia fuerunt. Et præter ea, *cœnobia campeſtria* quinque *Diesdorff*, *Dambecke*, *Creueſehe*, *Arendtshe*, *Newendorff*. *Minori-*

aliaque *tarum* quatuor, in *Stendal*, *Soltwedel*, *Tangermunde* & *Sehuſen*. *Virginum veſtalium* tria, *S. Catharinæ* & *S. Annæ* in *Stendal* &

Nobiles vnum in *Soltwedel*, & *Commendatura Werbenſis*. *Nobilium* fami-

Ciuitates liæ excellunt: *Schulenburger*, *Alvensleben* & *Bartensleben*. Ciuitates *vetus Marchia ſeptem* habet: *Stendal*, *Soltwedel* vetus & nouum, *Gardelege*, *Sehuſen*, *Tangermunde*, *Oſterburgk & Werben*.

Prigni

Prigniſcam extollit *epiſcopatus Hauelbergenſis*, quem fundauit OTTO I., Rom. imp., A. C. DCCCCXLVI., hoc eſt, ſecundum DITHMARI annotationem, ſexto anno poſt Brandenburgenſem. Aula ſeu ſedes epiſcopi *Witſtockium* fuit, ad limites Megapolenſes ſitum, cui vicinæ ſunt arces *Goldbegk* & *Zechlin*, quam poſtremam olim *Templarii* poſſederunt: ſed & caſtrum *Plattenburgk* & oppidum *Wilſenak* epiſcopi fuerunt. *3) In Prigniſſa epiſcopatus Hauelbergenſis*

Campeſtria monaſteria virginum ſacerdotum duo adhuc florent, *Sacrum buſtum*, ordinis Ciſtercienſium, fundatum ab OTTONE LONGO, vt arbitror, A. C. MCCLXXXVII., alterum *Stepenitz*, ad fluuium *Stepenitz*, in finibus verſus Megapolin. *Franciſcani* duo habuerunt domicilia, alterum in *Perlebergk*, alterum in *Kyritz*. In ſuperſtitioſa religione ſeculi ſuperioris concurſus facti ſunt in *Wilſenaco* & *ad S. Annam*, in pago *Kruſſow*, non procul a ſylua Sacri buſti. In hoc nobili territorio, (ſic enim in chronicis vniuerſalibus totius mundi, & poſthæc in ÆNEÆ SYLVII *Europa cap. XXX.* appellatur) generoſi Domini GENSE, *Barones in* PVDLEST, oppida *Pudleſt* & *Wittenberge* poſſident, quorum illud ad fluuium *Stepenitz* caſtrum contiguum habet, hoc ad *Albim* ſitum eſt: a priori tota ditio Baronum regiuncula *Pudleſt* nuncupatur. Ad limites Megapolenſes *Nouam domum* arcem, & *Meienburg* & *Freinſtein* oppida cum caſtris contiguis tenent nobiles RHORE: præter hos QVITZOVII celebres ſunt. *atque monaſteria reliqua. Nobiles*

Ad ciuitates quod attinet, *Prigniſſa* Pentapolis eſt, & in ea prior *Perleberg*, poſt eam ſunt *Pritzwalck*, *Kyritz*, *Hauelberg* & *Lentzen*. *Ciuitates*

In *Vcaria* Marchia *Prentzlow* & *noua Angermunda* monaſteria *Minoritarum* habuerunt. *Nobiles* alios anteit ARNIMIORVM familia. E ciuitatibus *Prentzlow* primum locum tenet, poſt hanc noua *Angermunda*, *Templin*, *Liechen* & *Strasburgk* numerantur. *4) Vcariæ vrbes, nobiles Ciuitates*

In *comitatu Ruppinenſi* *nouum Ruppinum* & *Granſoy* cœnobia monacho- *5) Comitatus Ruppinenſis*

coenobia, *nobiles*, *vrbes*.

monachorum habuerunt, & virgines adhuc in *Lindow* aluntur. Nobiles ſunt QVAST, GADOWEN, RVLEN & alii. Ciuitates *nouum Ruppinum*, *Granſoii* & *Wuſterhuſen*. Arx & caſtellum propinquum olim fuit aula comitum Ruppinenſium, nunc *vetus Ruppinum* dicitur. Præter has ciuitates & oppida, quamplurima alia oppidula & caſtra in omnibus dictis prouinciis ſeu pagis ſita ſunt, quæ vel immediate electorem, & ipſius præfectos, vel nobiles ſuos dominos agnoſcunt, & in præfecturas, regiunculas & diſtrictus, peculiaribus appellationibus partita ſunt & diſcernuntur: cuiusmodi ſunt in media Marchia regiunculæ *Hauelland*, *Glien*, *Frieſack*, *Rinow*, *Bellin*, *Lewenberg*, *Zauche*, *Teltow*, *Teupitz*, *Zoſſen*, *Barnim ſuperior & inferior*, *Berenwalde*.

6) *Nouæ Marchiæ monaſteria*, *nobiles vrbes*.

Noua autem *Marchia*, a reliquis diſtincta, monaſteria habuit, *Himmelſtedt*, *Marienwalde*, *Marienthal* & alia. Inter nobiles alios primas tenent WEDELII. *Ciuitates* præcipuæ ſunt *Cuſtrin*, quæ aulam habet, *Landsbergk*, *Koenigsbergk*, *Arendswalde*, *Bernwalde*, *Soldin*, *Friedebergk*, & alia multa oppidula & caſtra ad limites Poloniæ & Pomeraniæ.

7) *Ducatus Crosnenſis*

In *ducatu Croſnano* vrbes ſunt, *Croſna* & *Zullichium*.

8) *Luſatia inferior*

In parte *Luſatiæ inferioris Beſcow* & *Storkow*.

9) *Sternbergenſis tractus*.

In diſtrictu *Sternberg*, *Droſſen*, *Sonnenburg*, (vbi aula eſt Magiſtri generalis equeſtris ordinis ſacræ militiæ S. Iohannis in Marchia Brandenburgenſi, Saxonia, Pomerania & Luſatia) *Reppen*, *Spiegelbergk*, *Zilenzigk*, *Sandow* & *Koenigswalde*, itemque *commendatura Lagenſis*.

Archidiaconatus Liezecenſis

De *archidiaconatu Liezecenſi*, quam dignitatem obtinuit præpoſitus in monte B. Mariæ in *Liezeke*, in catalogo epiſcoporum Brandenburgenſium plura annotabo.

10) *Lubuſium*

Lubuſium ad regnum Poloniæ olim pertinuiſſe, ex M. CROMERO liquet. Ipſa regio plerisque in locis arenoſa, ſed frugum & vini fertiliſſima eſt, multis rigatur fluuiis, atque adeo

piſcoſis

piſcoſis, vt in *Saxoniam*, *Miſniam*, *Thuringiam* & *Boiemiam* piſces inde euehantur.

III.) *Fluuii*

E *fluuiis* inclyti ſunt ac nauigabiles *Albis*, *Hauelus*, *Sueuus* ſeu *Sprea*, quem vulgo ita nominant, *Odera* & *Varta*. Præter hos ſunt etiam amnes non ignobiles, *Rhenus* & *Vcarus*, quorum accolæ Rhenani, vbi *Friſacum*, oppidulum in media Marchia, & *Vcarici*, in Vcaria Marchia dicuntur. Hos ſequuntur *Tonagra* & alii in veteri Marchia: & *Stepenitz* & *Doſſe* in Prigniſſa, cuius poſtremi meminerunt HELMOLDVS & CRANZIVS.

IV.) *Piſces*

In omnibus, Albi excepto, naſcuntur plurimum lupi, percæ, melanuri, anguillæ, coracini & cancri: his enim piſcibus Marchia præcipue abundat. *Albis* vero, cum ſit omnium minime piſcoſus, mullum tamen & ſalmonem gignit, quibus ceteri fluuii carent. Aliis in locis aquæ fluuiatiles non magnæ omnibus accolis, tam diuitibus, quam pauperibus, ex ſingulari Dei beneficio, ad miraculum vsque, auratas & turdos ſuppeditant. Stagnorum & piſcinarum, in quibus præter cyprinos, muſtelas ſtellares, lacertas, gobiones, tincas, & quos vulgo murenas vocant, varii capiuntur piſces, infinitus eſt numerus.

V.) *Coeli temperies*

Cœli etſi mediocris ſit conſtitutio: tamen tanta vis eſt frigoris in ea, vt fluuii, ſtagna & piſcinæ, hiberno tempore, glacie concreſcant, & non modo peditibus, verum etiam equitibus, curribus, & plauſtris grauius onuſtis longo ſpatio peruia præbeant itinera.

VI.) *Fruges*

Neque negat *ſolum* Marchicum caſtaneas, mora, cotonea, ficus, amygdala, herbas, & flores omnis generis, alias hortenſes delicias, & palati nariumque lenocinia, ſi adhibeatur cultura diligentior, & a gelu cuſtodia. Prunorum, malorum, pirorum, perſicorum, ceraſorum, & nucum bonitate & varietate non facile cedit vicinis regionibus.

VII.) *Syluæ*

Syluæ in ea ſunt piceæ, quernæ, fagineæ & abiegnæ: omnes materiam ædificiis nauium, & domorum, tabuliſque

& vasis aptam, focorum & fornacum ignibus alimenta: quercus vero & fagi vberem pastum porcis ferisque suppeditant.

VIII.) Feræ. E ferarum genere profert copiam ceruorum, aprorum, capreolorum & leporum: nec desunt vrsi, lupi, lynces, vulpes, sciuri, quibus & lutræ & castores amphibia accedunt: horum caudæ inter delicatos cibos habentur. Domesticorum animalium omnia fere genera inuenias: quæ singulatim adnumerare, non sit operæ pretium.

MORES.

Mores ciuium. GEnus hominum eiusmodi est, in quo, testibus HVTTENO & SABINO, adhuc mores priscos & asperitatem Germaniæ agnoscas. Sicut enim prisci studuerunt, ne alii magnitudine animi & iustitia & fortibus factis priores aut essent aut haberentur, agri ab ipsis diligenter colebantur, res familiaris labore assiduo non tam augebatur cupide, quam retinebatur strenue, exercitationes erant in vmbra nullæ, sed omnes manifestæ: venationum præcipue, & equitationum, & iaculationum, & gestuum repræsentantium congressus dimicationum & formas tam feriendi hostes, quam ictum hostilem excutiendi: *nobilium* ita hodierni nobiles militaribus disciplinis & venationibus dediti sunt, atque inter Germanos equites maximopere laudantur: nullum bellum sine his geritur in tota Europa, quamcunque partem respicias, vbicunque copiæ colliguntur, eo aduolant: ne dicam de longinquis bellis, quæ vel in Asia, vel Africa geruntur. Nonnulli œconomiæ student, quæ vita necessaria est & plena humanitatis: plures etiam literis incumbunt, atque vtinam quidam mercatores esse desinerent. *plebeiorum* Plebeii, e familiis honestioribus nati, plerumque aut literis operam dant, aut mercaturam exercent, aut frumentarii sunt aut pecuarii, aut vineas colunt. *rusticorum* *Rustici omnes*, ut SABINVS ait, *in libertate educati sunt: tota enim Marchia neminem habet seruili conditione natum.*

Sermo

Sermo ex variis linguæ dialectis conſtat, quam diuerſitatem vicinorum conſuetudo introduxit: proxime tamen ad idioma Saxonicum accedit. CRANZIVS *Saxoniæ lib. I. cap. I. Marchia Brandenburgenſis ex Vandalico ſolo capta, ac verſa in linguam Saxonum ac mores. Quæ vtique lingua, ſi ad lucem veritatis inſpiciatur, ſola ſeruat ſinceritatem ſuæ vocalitatis, vt verba omnia puro ſono denunciet, non inuerſa ſtridoribus, non contorta diphthongis, quomodo Francorum, (Germanos, non Gallos, dico) Sueuorum, Bauarorum auſtralium, in quorum ſtridoribus Hunnos, Auares, & reliquos barbaros, qui illis diu incubuere prouinciis, audire mihi videro, cum frendent potius, quam eloquantur, eadem quidem, quæ & nos, verba, ſed tartareo ſono contorta, ſtridoribus immixta, & multis diphthongis diſſonantia, proloquuntur. Et iam (ſi Diis placet) etiam noſtri ſtudent ſtridores ſuperiorum imitari Germanorum, quomodo & illi (vt ferunt) iam lingua in anguſtum deducitur. Sed noſtris in Marchia ea ratio eſt, vt ſtudeant ſuis iam principibus Franci generis, qui auorum memoria Marchiam ſunt cum dignitate electuræ conſecuti.*

Sermo.

INCOLÆ.

INcolarum originem certam deſcribere, difficile eſt propter duas cauſas: alteram non tam negligentiam, quam ſimplicitatem gentis, (vel ſic, quæ in præclaris rebus gerendis, quam in iis, quæ geſſiſſet, memoriæ prodendis occupatior fuit, ſemperque maiorum ſuorum virtutem imitari, quam celebrare, glorioſius duxit,) cui non fuit curæ, vt haberet præcones virtutis, & rerum a ſe geſtarum; nec enim viguit eruditio literarum & cultura bonarum artium, in natione bellis occupata & ſtudioſa armorum: alteram, crebras nimirum migrationes earum gentium, quæ ſemper, relictis ſuis ſedibus, nouas quæſiuerunt; ſicut patet ex hiſtoriis ſacris & profanis, PLINII, TACITI, PTOLEMÆI & aliorum, quorum libri, ſicut & eorum, qui noſtro ſeculo cum laude veteres hiſtoriarum ſcriptores inter ſe conciliarunt, legendi ſunt ab iis, qui integram harum mutatio-

Incolarum origo incerta.

tationum cognitionem & cauſas ſcire deſiderant. Quantum vero huic loco & inſtituto noſtro conuenit, adſcribemus, omiſſis ſomniis monachorum, & aliis fabulis de inhabitatoribus noſtræ patriæ poſt diluuium ante migrationem, quam poſteri Noah ex Aſia in Europam ſuſceperunt.

Principatum ergo Brandenburgenſem diuerſi & præſtantiſſimi populi tenuerunt, nempe *Teutones*, *Sueui*, *Heneti* ſeu *Sclaui*, *Franci*, *Saxones*, *Hollandi* & *Flandri*: qui quomodo ſeſe inuicem ſecuti ſint, breuibus pertexemus.

1) Teutones

Antiquiſſimi & primi Marchiæ incolæ fuerunt *Teutones*, qui cum aliis primis & vetuſtiſſimis Germaniæ cultoribus *Cimbris*, & *Caicis* ex *Aſia* in *Europam* deſcenderunt, ſeu propter multitudinem, ſeu inteſtina bella, ſeu famem, quod nimirum peregrinationibus inquieti natura delectarentur, vel terras quærerent vberiores & opulentiores, vel a tergo vrgerentur a barbaris gentibus multitudine infinitis, natura feris & lingua diuerſis.

etymologia vocis

Ad *etymologiam* vocabuli quod attinet, communi conſenſu, *Teutones* ſeu *Tuiſcones* ab *Aſcanes* filio *Gomer*, ſicut *Cimbros* a *Gomer*, filio *Iapheth*, deriuant: et ſunt Teutones, quos Miſnenſes *Deutſche*: Tuiſcones, quos Saxones *Duitſche* vel *Dudſche* appellant: ſed de hiſce denominationibus, ſeu nominibus gentilibus exſtant aliorum eruditorum commentarii.

Situs

Teutones PTOLEMAEVS collocat inter *Pharadenos* & *Sueuos*: *Pharadeni* vero, qui TACITO ſunt *Suardones*, fortaſſis ad *Sueuum* collocandi: vt ſic appareat, Teutones olim fuiſſe, vbi nunc *Prignitzium* eſt, *comitatus Ruppinenſis*, & *Epiſcopatus Hauelbergenſis* ad *Hauelum* vsque.

2) Sueui, Situs eorum

Teutonibus *Sueui* ſe adiunxerunt. *Senones Sueuos* eos PLINIVS nominat, qui incoluerunt loca poſt *Albim* ad *Sueuum* fluuium, a parte orientali: vnde conſtat, ſedem eorum fuiſſe, vbi hodie eſt *Media Marchia* ad oppida *Brandenburgum*, *Berlinum*, *Spondoam* & partem *Luſatiæ inferioris*: ſed & circa *Stendaliam* & vicinas vrbes Senones fuiſſe, STRABONIS teſti-

monio

monio confirmat PHIL. MELANCHTHON *lib. III. chronicorum p.* 7. vide orat. CHYTRAEI *de Angriuariis. vid. Magdeburgense chronicon A. I. ex Pirckheimero:* imo oppidum veteris Marchiæ, in ripa Albis ſitum, ſedem Senonum exprimit, ut ſit *Sehuſen*, quaſi *Senonum domus*, ſeu habitatio. Nec aberrare eos, qui veterem ſedem Sueuorum recte explorare voluerint, ſi ad hanc Sueui fluminis, quæ *Sprea* nunc eſt, deriuationem reſpiciant, eruditi ſentiunt: etſi alii *Oderam* potius, quam *Spream*, *Sueuum* dici contendunt. Quin & *Nouam Marchiam* & *ducatum Croſnanum* Sueuos incoluiſſe, credibile eſt: fuit enim ea gens potentiſſima & ampliſſima *& intra ripam Albis orientalem, & Viadrum ac mare Sueuicum*, quod *Pomeraniam* alluit, ad *Sueuum* ſeu *Spream Hauelumque* flumina late regnauit.

3) Cimbri Teutonum clades & Cimbrorum

Teutones vero, aſſumptis in ſocietatem *Cimbris*, vicinis ſuis, qui cum *Teutonibus* antiquiſſimi cenſentur Germaniæ inhabitatores, de ſedibus ſuis tranſierunt, & poſt multas clades, populo Romano illatas, a MARIO deleti ſunt in Gallia, duobus proeliis; altero ad *Aquas Sextias*, in quo tot *Teutones* & *Ambrones*, PLVTARCHO teſte, qui per *Liguriam* ſecundum mare contra MARIVM perrexerant, cæſi ſunt, vt *Maſſilienſes* oſſibus eorum vineas ſepſiſſe ferant; tellurem vero, conſumptis in ea cadaueribus, ac per hiemem imbribus delapſis, ita pinguem redditam, putredine in profundum penetrante, vt legitimo tempore abunde fructum protulerit. Cæſi ſunt in hoc proelio, vt PHILIPPVS MELANCHTHON numerat, ducenti mille homines, & nonaginta mille capti. Altero ad *Vercellas*, in quo Cimbrorum, qui per *Noricum* contra CATVLVM, collegam MARII, iuerunt, ſexaginta mille capti & centum & viginti mille trucidati ſunt, præter eos, qui ſibi ipſi cruentas manus iniecerunt III. cal. Sextil. Hi numeri expreſſi ſi addantur, proueniet multitudo quadringenta ſeptuaginta millia hominum interfectorum & captorum. Commiſſa

missa sunt hæc duo proelia A. ab V. C. DCLII. ante C. N. XCVIIII. secundum chronicos canones ANTONII CONTII.

Sueuorum migratio. *Sueui* quoque, seu sponte, seu coacti, ex his terris egressi, nouas, quæsiuerunt sedes in *Rhætia*, *Vindeliciaque*, Romanorum prouinciis: quam migrationem seu transitum in Rhætiam indicat Franconiæ oppidum *Schweinfurt*, quasi Sueuorum traiectus. Ita vetus regnum & nomen Teutonum, Sueuorum & Cimbrorum in his locis extinctum est: quo respexisse videtur GEORGIVS SABINVS in *Sigismundo, Romano imperatore*:

Tempore, quo pugnax rapuit Germania Drusum
Indigenas Sueuos hic habitasse ferunt.
Hoc Sprea testatur, gelidis vberrimus vndis,
Qui veteri dictus nomine Sueuus erat.
Coeruleum cuius perlabitur agmen aquarum
Hanc, & arenoso flumine radit humum.
Post, vt ab Augusto deducti Cæsare Sueui,
Mutauere, prius quos tenuere, lares,
Teutonibus pulsis, multos habitata per annos
Vandalicis regio gentibus ista fuit.

4) Slaui Hisce igitur migrantibus & deserentibus hæc loca, *Sclauonica* gens magnis agminibus successit e *Sarmatia* vel *Moschouia*: quorum illi, qui magnam partem littoris Balthici inuaserunt, *sedes* *Vindi*, *Heneti* vel *Veneti* sunt nominati: horum sedes ad ipsum vsque *Sueuum* fluuium & *Brandenburgensem* ditionem pertinuerunt, *Sarmatas* autem, seu Henetos vel Sclauos, gentes ὁμογλώττες ab ortu presserunt, & eorum loca deserta compleuerunt gentes feræ & Scythicæ numero maximæ, lingua & moribus diuersissimæ, *Hunnicæ*, *Tartaricæ*, & ex hac oriundæ *origo vocis* *Turcicæ*. Atque vt de *vocabulorum origine* quid addamus, tradunt eruditi, nomen *Henetorum* νομαδας significare, & vocabulum *Sclauus* in lingua Heneta factum esse *a nobilitate & celebri-*

lebritate gentis, quæ hac appellatione ſeſe voluit diſtinguere a *Scythis* & *Tartaris*. Multa autem fuerunt genera Henetorum, locis nominibusque diſtincta, qui ſuis ſinguli paruerunt ducibus.

varia Slauorum genera.

In Marchia Brandenburgenſi præcipue numerantur *Lebuſii*, vbi eſt *Lebuſium* ad Viadrum, *Winnuli* & *Stoderani*, ſecundum Sueuum & Hauelum, vbi nunc *Berlinum* & Brandenburgum. *Hauelli*, *Eueldi* ſeu *Obuli*, vbi eſt epiſcopatus Hauelbergenſis & regiuncula Hauellæ, quæ DITHMARO *lib. VI.* prouincia Heuelluni eſt, vulgo *das Hauellandt*, & fluuius *Doxa*, qui nunc incolis ad *Witſtochium Doſſa* eſt. In diplomatibus antiquis Hauelus *Obula* dicitur, hinc accolæ *Obuli* appellati ſunt. *Britzani*, *Wilci*, ſeu *Velici*, vbi *Prignitium* 1) eſt, vnde reliqua ſunt nomina *Britzwalk* & *Wilsnack*, quibus ineſt lupi ſignificatio: quem enim λύκον græci, latini lupum, Sclaui *Wilkum*, & Germani *Wulff* appellant, quin & *Fowck* appellatione lupum ruſtici adhuc ſignificare ſolent. Et comprobant hanc etymologiam *annales oppidi Britzwalck*, qui verſibus ſequentibus continentur, quos, cum propter antiquitatem, & quod huic loco optime conueniant, tum, quod patriæ hoc debeam, adſcribendos putaui:

Chriſti milleno prope centeno fuit anno,
Quo die, ſeu hora, non ſit tibi quærere cura.
Nondum villa fuit, quando lupus iacuit
Hic ſubter tilia, gens operum Sclauica,
Pritzfouuck inclamans locus hic hoc nomine famans.
Nemus grande fuit, quo vaga plebs latuit,
Carbonatores, ſerratores reſidentes
Et tornatores, primo caſas facientes.

Pritzvvalei vrbis etymologia.

C *Con-*

1) *CRANZIVS lib. X. Metropol. c. XXXIV. VVilsnacum oppidum Prigniſſæ, hoc eſt, veteris Vandaliæ. (ſic enim vocabulum conteſtatur.*

Construitur statim villa satis valida,
Intrat paulatim turbaque Teutonica.
Ex his munitur sepibus fossisque phalangis,
Tunc oppidum sic ab his nomen Pritzwalck reperitur.

Hoc ἔτυμον confirmant hi versus de insignibus oppidi dicti:

Taliter in illis hæc sunt impressa sigillis
Sub lupus est tilia, transque volans aquila,
Quam terræ princeps consentit ferre deinceps.

Auctor horum versiculorum, seu rythmorum, videtur respicere ad tempora ALBERTI VRSI, & proxime præcedentia, de quibus libro secundo dicemus. Sed & alia loca Marchiæ, & alibi quoque *Velicos*, vel *Wilcos*, habitasse, certissima vestigia & annotationes recentiorum extant. Horum ergo Henetorum, siue Sclauorum, regnum principio non solum barbarum fuisse, sed etiam inops & tenue, credibile est. Non sunt constitutæ magnæ & splendidæ vrbes, sed passim in palustribus locis, præsertim a principibus Sclauonicis ædificatæ humiles casæ, quæ absque insigni incommodo dirui potuerunt atque restitui. Et, quanquam opinari possumus, veterum habitatorum reliquias in hac terra superstites fuisse: illi tamen victi multitudine & vsu aduenarum, tandem linguam, imperium & mores eorum acceperunt. Multa loca in hisce regionibus, vbi nunc sunt syluæ, olim fuisse arata & consita, postea autem neglecta & inculta iacuisse, oculi docent. Vnde colligi potest, Marchiam ante tempora Sclauica expletam fuisse habitatoribus, & postea secutam solitudinem, populis illis per bella & migrationes varias dissipatis & deletis. Certum tempus harum primarum mutationum in Marchia definire, difficile est: si quis tamen id inquirere vellet, arbitror, eum probabiles coniecturas, secundum veritatem veterum historiarum, omissis somniis & fabulosis narrationibus, tuto amplecti posse, idque vel in hunc modum: A. circiter DCXI. ante C. N. a *Scythis* pulsi sunt *Cimbri* in Asiam, & inde ab *Ha-*

liarte in Europam, in qua paulatim verſus occidentem deſcenderunt. Cimbri comites habuerunt *Teutones* & *Caicos*. Hos ſecuti ſunt *Sueui*, A. poſt C. N. CL., *Heneti* ſub HERACLIO, Rom. imperatore, primum inclaruerunt. A. C. DCXII. *Henetos* Marchia Brandenburgica expulit HENRICVS AVCEPS A. C. DCCCCXXVII. In hiſce igitur metis temporum generalibus, velut in typo, *Teutonibus* periodus DCC. annorum: *Suenis* D. annorum: Slauis ſeu *Henetis* CCC. annorum ſpatium adſcribi poteſt. Etſi enim A. C. DCCLXXXIX. CAROLVS M., Romanorum imperator, potentiam Sclauorum non nihil languefecit, & ad arcendos eos a Germania, *Brandenburgum* 2) muniuit, collocatis eo *Harlungis*, colonis ex *Alſatia*: hos tamen non multo poſt, mortuo CAROLO, eiecerunt, &, excitatis multis munitionibus, ſeſe aduerſus *Germanos*, *Saxones* & *Francos* diu defenderunt, priusquam poſt multos annos, vel commerciorum atque aliorum officiorum conſuetudine, manſuefacti, vel religionis chriſtianæ cognitione ac ſtudio deliniti, imperio Romano ſeſe adiungerent. HENRICVS autem AVCEPS, Romanorum imperator, poſt CAROLVM MAGNVM, elapſis CXXXVIII. annis, hoc eſt, A. C. DCCCCXXVII. eos deuicit & Marchiam contra eos conſtituit. In hiſce bellorum tumultibus, quibus fere quotannis hæc ditio arſit, qualis fuerit incolarum fortuna, ex iis, quæ diximus, facile poteſt æſtimari. Nam, vbi hoſtis irruebat, illa ſua mapalia ipſi ciues inflammabant, ne eſſent vſui hoſti: eodem abeunte, noua conſtituebantur tuguriola, idque ſæpenumero accidit. Cum autem marchiones ipſi Saxones, & veræ religioni addicti eſſent, depoſuerunt nonnihil ferocitatem ſuam Heneti: ſed quoties laceſſiti fuerunt leuibus occaſionibus, ad ingenium redierunt: ſicut

Slauos Carolus M. frangit

& Henricus Auceps

C 2

2) *Hoc loco mentio facienda Dragavviti, primariæ vrbis & principis VVilzani: nam, quam annales Dragavvitum appellant, nonnulli Brandenburgum fuiſſe, teſtantur.*

ſicut accidit ſub THEODORICO, marchione, nepote BRVMITONIS, & VDONE II., diuerſo tamen euentu.

Denique poſt multas clades, vel etiam migrationes, cum deficerent *Heneti* in Marchia Brandenburgenſi, circa A. C. MCLII. ALBERTVS VRSVS, *marchio*, miſit ad *Traiectum* & vicina loca Rheno, itemque ad *Flandros*, *Hollandos*, *Selandos*, ſeu eos, qui ad mare habitant, & fluctibus Oceani fatigatos tranſtulit in deſolatam terram hanc, cuius incolas, qui nunc ſunt, genus ſuum ab his poſterioribus potius, quam a primis & antiquiſſimis *Sueuis* & *Teutonibus*, vel ab *Henetis*, *Harlungis*, vel *Saxonibus* trahere, veriſimile eſt. Poſt ALBERTVM VRSVM non leguntur Heneti vires collegiſſe, vel iugum marchionum excuſſiſſe, vt prius: reliquiæ enim oppreſſæ nouorum colonorum multitudine, nihil moliri amplius aut turbare potuerunt, vel etiam auſi fuerunt. Et miſera illa & parua multitudo, quam hodie *Henetos* ſeu *Wenden* appellamus, ſi ſunt progenies Henetorum auitorum, duræ ſeruituti ſubiecta eſt, nedum, vt animum recuperandi libertatem recipiat.

Albertus Vrſus colonos arceſſit.

Hodiernorum Henetorum ratio.

Has generales & ſtupendas gentium errationes ac diſperſiones vtile eſt diligenter conſiderare. *Primum*, quod in his vel maxime conſpicitur rerum humanarum inſtabilitas & fugacitas: *Vix enim*, SENECA teſte, *inuenias vllam terram, quam etiam nunc indigenæ colant: permixta omnia & inſititia ſunt, alius alii ſucceſſit, hic concupiuit, quod alii faſtidio fuit, vnde ille expulerat, eiectus eſt: ita fato placuit*, nullius rei eodem ſemper loco ſtare fortunam. *Deinde*, vt præparemus animos ad excipiendos ac perferendos omnes fortunæ caſus & iniurias. *Denique*, vt cogitemus, quod hæc vita nihil aliud ſit, niſi triſtiſſimum exilium, perpetuis obnoxium erroribus & iactationibus, nec tranquilla ſedes vllis vſpiam detur, niſi in illa æterna & immortali vita patriæ cœleſtis, in qua multæ manſiones ſunt, & ad quam nos vocat & ducit Filius Dei ἀρχηγὸς eccleſiæ.

Vtilis migrationum conſideratio.

Statu,

Status *religionis*, eiusque incrementi & decrementi, ex præcedenti capite & ſequentibus libris, facilis erit conſideratio. Nam, pro diuerſitate incolarum, ea inſtituta, mutata, inſtaurata & propagata eſt. Inprimis vero celebratur in hiſtoriis Sclauorum idolum, TRICLAFF, in monte *Harlungorum*, imminente veteri ciuitati *Brandeburg*: ad quod, tanquam ad ſummum & magis propitium idolum, incolæ totius Marchiæ, aliarumque prouinciarum confugerunt: ſed de hoc in tertio libro plura annotabo.

Status religionis

LIBER SECVNDVS
CONTINENS
CHRONOLOGICAM ANNOTATIONEM SVCCESSIONIS, FAMILIARVM ET RERVM GESTARVM IN MARCHIA BRANDENBVRGENSI.

QVemadmodum de appellatione, origine, dignitate, ſitu, moribus & incolis Marchiæ Brandenburgenſis ſuperiori libro pauca retulimus: ita in hoc familias marchionum, poſt conſtitutionem HENRICI AVCVPIS, Romani imperatoris, earumque ſucceſſiones & res geſtas breuiter annotare conabimur.

Multæ vero & grauiſſimæ cauſæ ſunt, propter quas in lectione hiſtoriarum ſæpius repetenda eſt vox prophetæ DANIELIS, quæ extat cap. II. **Deus eſt, qui transfert & ſtabilit regna.** Sicut enim non rapiuntur a, aut obtinentur viribus, nec reguntur aut ſuſtinentur conſiliis humanis, neque conſiſtunt aut ruunt caſu, ſed conſtituuntur ac ſeruantur diuinitus: ita viciſſim, propter creſcentia gubernatorum & ſubditorum vitia & impuritatem, vel delentur, vel mutantur ac transferuntur diuinitus, non tantum de

Mutati imperii cauſſæ

 gente

gente in gentem, sed & de stirpe in stirpem. Deinde ostendit propheta, conseruationem regnorum non ita esse alligatam ad successionem ex certa stirpe, vt his fastigiis posteri excidere nequeant, & propterea vel perpetuam potentiam, vel certum atque immutabile ius sibi somnient. Tum quoque monet, si quæ mutationes accidant bello, aliisue de causis, fiducia generis inuadere & occupare dominationes, aut recuperandæ potentiæ studio moliri aliquid, aut muniendi sui causa, præsentem formam gubernationis neminem turbare debere. Denique vult nos scire & meminisse, nullam esse felicem gubernationem, nisi Deo adiuuante: & omnino infelices esse magnæ potentiæ extra ordinem & vocationem affectationes.

Harum causarum, de quibus vnica DANIELIS vox nos commonefacit, sicut omnes historiæ sacræ & profanæ, ita illustres familiæ MARCHIONVM BRANDENBVRGENSIVM insignia exempla suppeditant. Nam tempus durationis huius præfecturæ limitaneæ præsentiam Dei declarat. Durauit enim ab A. C. DCCCCXXVII. vsque ad nonas Quintileis præsentis A. MDLXXXII. annos DCLIIII., menses IX., dies XVIII., in qua meta periodus D. annorum, quæ regnis, principatibus & rebus publicis fatalis esse solet, completa est A. MCCCCXXVII., hoc est, decimo quinto anno, postquam familia *Zolleriana* huic oræ præfecta, & simul ad dignitatem Septem-viralem euecta est. Ab eo tempore lapsi sunt anni CLV, restant XLV. anni, priusquam impleatur periodus DCC. annorum, æque fatalis ac prior. Hæc, vt feliciter cadat, faxit Deus, penes quem omnis est & potestas & maiestas.

Duratio Marchiæ Brandenb.

Deletiones stirpium & translationes gubernationum in aliis fiduciam generis reprimunt, & sunt exempla successionum in principum familiis. Parentum enim dignitates, potentia, opes & quicquid est huiusmodi, fere cum liberis intercidunt atque moriuntur, aut ab his deuoluuntur & commigrant ad ali-

alios, & rariſſime vltra abnepotes & trinepotes extenduntur, ita, vt tota fere parentum felicitas intra hos terminos, quos parentes & trinepotes definiunt, vertatur & conſumatur. Exempli gratia: *Ringelheimenſis* familiæ potentia in hac præfectura floret & deſinit in vno SIEGFRIDO, primo marchione. GERONI, *Altenburgenſi comiti*, filium ſucceſſiſſe, nonnulli volunt, quorum fides ſit penes ipſos. BRVMITONIS, *Wettinenſis comitis*, familia in nepote THEODORICO, *Stadenſis* in VDONE II., filio, deſiit. Huic Marchiam eripuit PRIMISLAVS, *Obotritus*. Poſt *Anhaltinam* a *Bauarica* cito translata eſt in *Lucelburgenſem*, quæ eam mox *Zollerianæ* conceſſit. Vtraque vero *Anhaltina* & *Zolleriana* diu eam obtinuit: *Anhaltina* quidem integros annos CLXX., menſes V., & deſiit in WOLDEMARO, qui fuit atnepos ALBERTI VRSI, primi marchionis Brandenb. ex hac familia: *Zolleriana* vero eundem gradum & totidem fere annos a FRIDERICO, primo marchione Brandenb. ex hac familia, Dei beneficio attigit in *Illuſtriſſimo Principe ac Domino Domino* IOHANNE GEORGIO, S. R. I. *Archicamerario & Electore & Domino meo clementiſſimo*, cuius excelſitas, vt diu floreat, in pace præſit, illuſtriſſimos liberos & nepotes incolumes & florentes videat, ardentibus votis a Deo precemur. Denique infelices ſucceſſus iniuſtas molitiones redarguunt, vt perſpicue docent exitus triſtes & tragici, DANGMACI, ſub OTTONE I., Romano imperatore, & GERONE, marchione Brandenb., & THEODORICI, nepotis BRVMITONIS: quæ omnia ſcilicet hoc libro ordine chronologico, quantum fieri poteſt, annotabimus.

Variæ marchionum Brandenb. familiæ.

Ceterum operæ pretium fieri, putaui, quo, velut in ſpeculo, ſeries annorum & articuli mutationum & ſucceſſionum in hac præfectura, poſt conſtitutionem HENRICI AVCVPIS, (primarum enim mutationum tempora priori libro in genere ſupputauimus) oculis proponerentur, & cum annis mundi conditi, natiuitatis & nati Chriſti conferrentur, vt eiuſmodi vel ſimilia diagrammata hiſtoriæ marchionum præfigerentur. TA-

TABELLA CHRONOLOGICA,

CONFERENS ANNOS MARCHIONATVS BRANDENBVRGENSIS CVM ANNIS MVNDI VSITATIS, ET CHRISTI NATI, AB ANNO CHRISTI DCCCCXXVII. VSQVE AD ANNVM M D LXXXII.

A. M.	A. C.		anni March. Brand.	anni medii
4889	927	SIEGFRIDVS, *Comes in Ringelheim*, ab HENRICO AVCVPE, affine suo, Marchiæ præfectus	1	- -
4982	1020	THEODORICVS, *Wittinensis*, a MISTOVEO, *Slauo*, e Marchia pulsus est, imperante HENRICO, *Sancto*	93	93
5032	1070	VDO I., *Stadensis*, Marchiam *Sclauis* eripuit	143	50
5067	1105	VDONEM II. Marchia, quam pater recuperarat, eiecit PRIMISLAVS, *Obotritus*,	178	35
5114	1152	ALBERTVS VRSVS, *Anhaltinus*, permissu CONRADI, *Sueui*, adiit hæreditatem Marchiæ	225	47
5281	1319	WOLDEMARVS, vltimus ex Anhaltina familia, defunctus est, & vicini agnati cum *Bauaris* contenderunt de Marchia	392	167

A. M.	A. C.		anni March. Brand.	anni medii
5285	1323	LVDOVICVS BAVARVS, Rom. imp., Marchiam imperio vendicauit, & in eam filium natu maximum collocauit.	396	4
5335	1373	CAROLVS IV., Rom. Imp., exclusis *Bauaris* & *Anhaltinis*, Marchiam cum filiis ingressus est	446	50
5374	1412	FRIDERICVS, *Zollerianus*, Marchiæ Brandenburgensi præfectus est	485	39
5377	1415	Eidem SIGISMVNDVS, Imper. Rom., Marchiam vendidit	488	3
5542	1582	IOHANNES GEORGIVS, dicti FRIDERICI, *Zolleriani*, atnepos, D. G. S. R. I. Archicamerarius & Elector &c. Marchiæ Brandenb. feliciter præest, vtque diu in pace gubernet, faxit Deus optimus maximus.	655	167

Summa 655.

Ex hoc diagrammate distinctio & ordo familiarum ἐν πλάτει, vt dici solet, colligi possunt. Primæ fuerunt *Saxonicæ*, *Ringelheimensis*, *Altenburgensis*, *Wettinensis*, *Stadensis* siue *Soltvvedelensis*: his successerunt *Anhaltina*, *Bauarica*, *Lucelburgensis*, & *Zolleriana*, quæ postrema, Dei gratia, nunc rerum potitur.

D Priori

Priori diagrammati & hoc addatur:

EXACTIOR SVPPVTATIO ANNORVM PRAEFECTVRAE BRANDENBVRGENSIS A DICTO A. C. DCCCCXXVII. VSQVE AD NON. QVINTILEIS HVIVS ANNI MDLXXXII.

	anni	*menſ.*	*dies*
SIEGFRIDVS præfuit ab A. DCCCCXXVII. excluſiue, vſque ad A. DCCCCXXXVII. incluſiue.	10	--	--
GERO ab A. DCCCCXXXVII. excluſiue, vſque ad XIV. cal. Iulii A. DCCCCLXV. incl.	27	5	18
BRVMITO pater cum filiis & nepote THEODORICO ab A. DCCCCLXV. XIV. cal. Iulii vſque ad A. MXX.	55	6	12
Sclaui in Brandenburg., & alii marchiones in Landesberg. ab A. MXX. vſque ad A. MLXX.	50	--	--
Stadenſes ab A. MLXX. vsque ad A. MCLII.	82	--	--
Anhaltini ab A. MCLII. vsque ad prid. cal. Iunii A. MCCCXXIII.	170	5	--
Bauari a dicta die prid. cal. Iun. vsque ad prid. non. Octobr. A. MCCCLXXIII.	50	4	6
Lucenburgenſes a dicta die prid. non. Octobris A. MCCCLXXIII. vsque ad A. MCCCCXII.	39	2	25
Zolleriani ab A. MCCCCXII. vsque ad non. Iulii huius A. MDLXXXII.	169	6	7

His ita præmiſſis, ad ipſos marchiones propius accedamus, & quos præſentes intueri non licet, eorum genus, fortia facta & res geſtas, annotando legendoque ſcrutemur.

FAMI-

FAMILIAE SAXONICAE RINGEL-HEIMENSIS, ALTENBVRGENSIS ET WETTINENSIS

SIEGFRIDVS

COMES IN RINGELHEIM ET PRIMVS MARCHIO BRANDENBVRGENSIS.

QVam longa & difficilia bella fuerint vtrique genti, *Francicæ* & *Saxonicæ*, cum *Henetorum* seu *Venetorum*, siue *inidarum* vel *Sclauorum* distinctis familiis, donec paulatim omiti, & commerciorum atque aliorum officiorum consuetudine mansuefacti, tandemque religionis christianæ cognitione & studio prorsus deliniti, ferocitatem cum bellorum praedandi consuetudine exuerint, & imperio romano se subdiderint, historiæ docent, & nos superiori libro perinximus.

Brandenburgum, quod Sgorelitz dictum, capitur ab Henrico Aucupe

HENRICVS igitur AVCEPS, Rom. imperator, cum accessisset imperium A. C. DCCCCXVIIII., primum aggressus est *enetos*, circiter A. C. DCCCCXXVII. & *Brandenburm*, quod tum fuit arx belli, & ipsi *Heneti* eam sua lingua *oreleciam*, teste CROMERO *lib. II. in Lesco III.* vocarunt, & a dialecto *Sgorelitz* pronunciarunt, hoc, inquam, asperrima eme, castris supra glaciem positis, obsedit & expugnauit, sicut eleganter canit SABINVS in *Sigismundo*:

Donec ab aucupio nomen qui dictus habebat,
Cæsarea meruit sceptra tenere manu,
Expulit extraneos, hoc vindice, Marchia reges,
Vrbis vbi fractas debilitasset opes,
Quam bibulæ dirimit sulcator Hauelus arenæ,
Humida qui patriæ perfluit arua meæ.

 Hac

qui eis opponit marchionem Siegfridum.

Hac victoria potitus AVCEPS, ne inquieti *Heneti*, ipſo abeunte, ad arma redirent, Marchiam contra eos ſtatuit, & ei præfecit SIEGFRIDVM, affinem ſuum, ex ſorore MECHTILDE, quam HENRICVS in vxorem duxerat. Quidam volunt, HENRICVM, hiſce bellis durantibus, vtplurimum caſtra habuiſſe in veteri Marchia, vbi nunc *Stendalium* eſt, præſertim, quando A. C. DCCCCXXXIII. rebelles *Vcranos* compeſcuit. WITTIKINDVS, ſeu WITICHINDVS, *monachus*, qui A. C. DCCCCL. ſub OTTONE I., filio HENRICI AVCVPIS, claruit, *lib. II. in vita dicti Ottonis* refert: *Henricum, Imperatorem, Sclauum quendam, nomine* TVGVMIR, *& iure gentis paterna ſucceſſione dominum eorum, qui dicuntur Heuelli, in regione Hauellæ, reliquiſſe, eumque poſtea dolo captum nepotem ſuum interfeciſſe & vrbem Brennaburg, cum omni regione, accepta multa pecunia, dictioni regiæ tradidiſſe.* Hæc ſub OTTONE I. accidiſſe, ſeries narrationis, & bella ab OTTONE I. per GERONEM, marchionem, ſucceſſorem SIEGFRIDI, marchionis, contra rebellantes Slauos geſta indicant. Etſi vero de rebus geſtis huius SIEGFRIDI, primi marchionis Brandenb., obſcuriores ſunt annotationes, ac decebat: in magna tamen eum fuiſſe exiſtimatione, credibile eſt, cum propter munus præfecti, tum genus paternum. Quam enim difficilia & periculoſa fuerint initia huius nouæ & grauis præfecturæ, ex annotatione WITICHINDI, & inde colligi poteſt, quod *Dani* in *Slesuico* primum marchionem ab HENRICO inſtitutum, poſt obitum eius interfecerunt & iugum nouum excuſſerunt: quin etiam nonnulli volunt, SIEGFRIDVM in proelio contra Slauos occubuiſſe.

eius auctoritas

coniux

Vxorem volunt habuiſſe MAGDALENAM, filiam ALBERTI II., filii POPPONIS, *comitis Aſcaniæ & Ballenſtedt*: quod in medio relinquo. Genus ſuum traxit a WITTEKINDO MAGNO, *Saxone*: patrem habuit THEODORICVM, *comitem Ringelheimenſem*: ea autem familia vna fuit ex duodecim principibus familiis, quæ ante CAROLVM MAGNVM Saxoniam

genus

xoniam gubernarunt, e quibus tempore belli rex creatus, & quamdiu bellum durauit, rex appellatus & habitus fuit. Talis rex fuit, tempore CAROLI M., WITTEKINDVS M. SIEGFRIDI, *marchionis*, abauus, & HENRICI AVCVPIS attauus: vterque enim ex iisdem maioribus ortus, vt sequens genealogia docet.

WITTEKINDVS, vltimus rex & primus dux Saxonum

WIPERTVS, Angriuariorum & Westphaliæ dux — WITTEKINDVS, *iunior*, comes Wettinensis & Burggrauius Zorbeccensis

BRVNO — WALBERTVS, dux Angriuariorum

LVDOLPHVS — THEODORICVS, comes in Ringelheim, vid. *Pet. Albinum*, qui hic *Theodoricum* non inseruit in *noua Saxonia f.* 116. — REINILDIS, ex *Wittekindi* regis tribu orta.

OTTO — MECHTILDIS, coniux Henrici Aucupis, vid. *Alb. Cranzius lib. III. cap. IIII. Saxoniæ.* — SIEGFRIDVS I., marchio Brandenburgensis.

HENRICVS AVCEPS Rom. imp. —

OTTO I. Rom. imp.

 Mascu-

Masculam prolem nullam reliquit SIEGFRIDVS, & secundum DITHMARVM, *episcopum Merseburgensem, lib. I.* matrem habuit REINHILDEN, ex WITTEKINDI regis tribu ortam, quam nonnulli volunt fuisse filiam GERONIS, march. Brand. Obiit SIEGFRIDVS, vt PEVCERVS annotauit, A. C. DCCCCXXXVII. Præfuit itaque X. annos.

insignia *Insignia* nouo marchioni attribuit: aquilam explicantem alas vtrinque: auis ipsa sanguinis colorem; rostrum, nerui alarum & vngues aurei, area vero album habent. Sanguineus color difficultates partæ victoriæ & defensionis nouorum limitum, aureus fortitudinem & perseuerantiam contra eiectos hostes & albus fidelitatem erga Romanorum imperium denotant.

GERO
COMES ALTENBVRGENSIS ET MARCHIO BRANDENBVRGENSIS

SIEGFRIDO successit GERO, comes, cui HENRICVS AVCEPS commendarat Marchiam *Lusatiæ*, quam ille postea concessit CHRISTIANO, *comiti Rauenningensi* & ei filiam suam SIBVRGEN despondit. Marchiam Brandenburgensem adiit, tradente eam OTTONE I., Romano imperatore. *Fuerunt in GERONE multæ bonæ artes, bellandi peritia, in rebus ciuilibus bona consilia, satis eloquentiæ, multum scientiæ & qui prudentiam suam opere magis ostenderet, quam ore, in acquirendo strenuitas, in dando largitas, & quod optimum, ad cultum diuinum bonum studium:* tali enim encomio ornat eum WITICHINDVS *lib. III. annal. p. 45.* DITHMARVS eum *defensorem patriæ* nominat & *Marchionem orientalium:* sicut & HELMOLDVS Marchiam Brandenburgensem *Slauiam orientalem* appellat.

Geronis laudes

Bella

Bella maxima gessit & tot victoriis, quot prœliis clarus fuit. Ex his primum & difficillimum fuit *Dangmaricum* bellum, cuius occasiones, progressum & euentum his fere verbis WITICHINDVS recenset: *Cum Siegfridus, comes, sine prole mascula discessisset, Dangmarus eius ditionem sibi vendicauit, eo quod propinquus eius esset. Otto autem primus, vt regale donum, Marchiam concessit Geroni. Etsi vero Dangmarus a patre Henrico, Romano imperatore aliis pluribus fuit ditatus: tamen se materna hereditate priuatum ægre valde tulit, & ob hanc causam in sui suorumque perniciem contra dominum suum regem arma sumpsit, & in belli societatem pertraxit* EBERHARDVM, *Franconiæ &* GISELBERTVM, *Lothbaringiæ Duces. Collecta itaque valida manu, oppugnauit præsidium, quod scriptores nominant* BADILIKI, *in quo erat* HENRICVS *iunior, frater imperatoris, dataque præda vrbis suis commilitonibus abiit, secum abducens Henricum. Milites autem Dangmari, tantis spoliis ditati, ad omnia se parabant: ideoque progressi ceperunt vrbem, quæ dicitur* HERESBVRGK, *& in ea sederunt, multa inde exercentes latrocinia. Otto igitur imperator, licet inuitus, videns rem ad tam ingens periculum procedere, ad domandam Dangmari insolentiam, cum multo comitatu perrexit Heresburgk: ciues vrbis illius agnoscentes de rege, quod super se cum valida manu appropinquasset, apertis portis, introduxerunt exercitum, qui obsederat vrbem. Dangmarus autem fugit in ecclesiam, a* LEONE, *papa, B. Petro apostolo dedicatam: exercitus prosequutus est eum vsque in templum, & maxime satellites Henrici dolentes ac vindicare contendentes iniuriam domini sui, nec veriti ianuas ferro incidere, cum armis ingressi sunt sacram ædem. Dangmarus stabat iuxta altare, depositis desuper armis, cum torque aurea, cumque ex aduerso telis vrgeretur,* THEOBALDVS quidam nothus COBBONIS, *cum conuiciis vulnus ei inflixit, illicoque ab eo recepit, quo vita cum terribili insania in breui caruit. Quidam autem militum* MAINCIA *vocabulo* (*Ditmaro, Maginzo*) *per fenestram altari contiguam, lancea a tergo perfossum, ibi secus aram extinxit Dan-*

eius bella gesta cum Dangmaro

gmarum. Ipſe miles poſtea in Britannico bello vitam cum auro, ab altari nequiter rapto, miſerabiliter perdidit. PEVCERVS *in Ottone I.* vrbem Heresburgk, intelligit *Brandenburgk*, ſed male ita enim ſcribit: *Dedentibus ſeſe Brandenburgenſibus, & Dangmaro a militibus interfecto, Ottonem duxiſſe copias in* BOLESLAVM, *Boiemum: fortasſis reſpiciens ad annotationem* SABINI *qui ſcribit, Ottonem I. bello recuperaſſe Brandenburgum a fratre Henrico occupatum.* DITHMARVS *autem refert, obſediſſe Ottonem I. Tammonem*, (ſic enim vocat Dangmarum,) *in Merſeburgk:* & WITICHINDVS: *Ottonem cum exercitu obſediſſe ciuitatem Mersburgk, quam ingreſſus erat frater Henricus.* Idem DITHMARVS eaſdem belli cauſas exponit, nempe, *quod doluit Tammo, legationem Siegfridi traditam Geroni & hereditatem maternam ſibi prorſus ablatam fuiſſe.*

Genus Geronis

De *genere* DANGMARI non conſentiunt ſcriptores. CRANZIVS *libr. III. cap. IIII. & XV. Saxoniæ* affirmat, eum eſſe natum ex moniali, quam HENRICVS AVCEPS aliquandiu pro coniuge habuerit, & cum retinere non potuerit, monaſterio remiſerit. Hæc, ſi recte conſiderentur, non diſcrepant a DITHMARI & aliorum annotationibus, quas mox ſubiiciam ſi prius diuerſam ſententiam præmiſero. CHRONICA SAXONICA ſic habent: *Keyſer Henrich nahm eine Edele Frauvvut einem Kloſter, die toelde ome einen Soene, de hett Danckvvort de moſte he vorlaten, vvente henen echte mit oere beſitten moſt.* Neque hæc a prioribus multum diſcrepant, IOHANNES autem CVSPINIANVS *in Aucupe* refert, ſe reperiſſe in antiquiſſimis annalibus, HENRICVM ante MECHTILDEM, vxorem concubinam habuiſſe eiuſdem nominis, mire pulchram, monaſterio ereptam, e qua filium naturalem DANGVARDVM genuerit: coactum tamen fuiſſe, concubinam relinquere & legitimam ducere vxorem. Hunc ſecutus PEVCERVS *in Henrico & Ottone*, ſcribit, eum ante coniugium ex concubina natum eſſe & filium naturalem Henrici & fratrem Otto-

n

ıis ex concubina vocat. Sed DITHMARVS HATEBVRGI, ERWINI, *comitis Merseburg.*, filia, quam HENRICVS primam coniugem habuerit, natum asserit. Et, quanquam nuptias ex more peractas esse scribat: addit tamen, quod HATEBVRGIS, seu HATHVI, veláta fuerit, & ideo SIGISMVNDVM, *episcopum Halberstadensem*, vt perpetrati connubii facinus audiuerit, per epistolam, banno apostolicæ auctoritatis, commixtionem eis interdixisse, & HENRICVM tandem iniusto connubio se hactenus multum peccasse, professum fuisse, &, HATHVI dimissa, MATHILDIN, THEODORICI & REINILDÆ filiam, duxisse. Hinc WOLFGANGVS CRVSIVS HAFFBVRGIN, *comitissam Altenburgensem*, alteram coniugem AVCVPIS, & ex ea TANQVARDVM, OTTONIS consanguineum, genitum esse, testatur. WITICHINDVS DANGMARVM SIEGFRIDI, *Marchionis*, propinquum fuisse asserit, ponendo, matrem eius filiam materteræ, (quam REINILDEN fuisse ex tribu WITTECHINDI, regis, ortam, prius annotauimus) de qua genuerit HENRICVS, rex, TANGMARVM. Vnde talem adscribemus genealogiam, qua posita, ad GERONIS alterum bellum se conuertat oratio.

Genealogia DANGMARI

REINILDIS, soror coniugis Ervvini	N. vxor ERWINI, comitis	ERWINVS, comes in Altenburg	
SIEGFRIDVS, marchio Brandenburg.	HAFFBVRGIS, Ima coniux	HENRICVS AVCEPS	MECHTILDIS, IIda coniux
	DANGMARVS	OTTO I., Rom. Imp.	

2) cum barbaris

DANGMARO igitur e medio ſublato, ad barbaros ſe conuertit GERO, cum quibus alterum bellum geſſit. Cum enim aliquando dolo eum perimere cogitarent, ipſo dolo dolum præoccupans, conuiuio claro delibutos ac vino ſepultos ad triginta fere principum barbarorum vna nocte extinxit. Sed & milites conſcripti cum crebra expeditione attenuarentur, & donatiuis vel tributariis præmiis minus adiuuari poſſent, eo quod tributa paſſim negarentur, ſeditioſo odio in GERONEM exacuuntur: rex vero GERONI ſemper præſto fuit.

3) cum Velicis

Tertium bellum eſt *Velicorum*, in quo Sclaui, qui dicuntur *Velici*, auxilio ducis CVNRADI, *Sapientis*, generi imperatoris, cum magna gloria a GERONE deuicti ſunt, præda ingens abacta, & Saxoniæ magna lætitia exorta eſt, A. C. circiter DCCCCLIIII.

4) cum Vckriis

Quartum bellum eſt, in quo *Slauos Vckrios* debellauit & cepit.

5) cum Slauis

Quintum bellum eſt, quod OTTO I. induſtria & virtute GERONIS mouit in *Slauos*, in quo princeps barbarorum STOINEF oculis erutis, lingua priuatus, & in medio cadauerum mutilus relictus eſt.

6) cum Luſizis

Sextum bellum geſſit contra Sclauos, qui *Luſizi* dicuntur: hos potentiſſime vicit & ad vltimam ſeruitutem coegit. In hoc bello ipſe grauiter vulneratus eſt, & nepos eius & plures alii nobiles viri ceciderunt.

Genus

Genus GERONIS alii aliud annotant: PEVCERVS eum appellat *comitem Stadenſem:* aliis eſt frater SIEGFRIDI, *Ringelheimenſis*, ſicut etiam in *Saxonicis chronicis* appellatur: quidam eum nominant *comitem Altenburgenſem*, a ſede *Altenburgk* prope *Merſeburgk*.

Mors

Tempus mortis collocant in A. C. DCCCCLXV., diem XIIII. cal. Iulii. Vnde colliguntur XXVII. anni, V. menſes, XVIII. dies præfecturæ eius. *Epitaphium* in cœnobio *Gerenrodenſi* extare, SPANGENBERGIVS prodidit, & adſcribit talia:

;ERO DVX ET MARCHIO, FVN-
DATOR ECCLESIAE SAXONVM.

Zu Lausitz erster Furst war ich,
Dreissigk Wendische Herren toedtet ich,
ifftet Gerenrode von eigener Hab,
)aselbst man siehet noch heutt mein Grab.

A. C. DCCCCLXV., XIIII. calend. Iulii obiit lustriss. dux & marchio huius ecclesiæ fundator, cuius anima equiescat in pace, AMEN.

DITHMARVS *lib. II. Chron.* mentionem facit Siegfridi nici filii Geronis; & quod is coniugem habuerit, Hathui voatam, quæ post obitum mariti in cœnobio Gerenrodensi abatissa constituta sit a Gerone. Idem *lib. VII. Chron.* scribit, Iathui cum Siegfrido VII. annos vixisse, & coenobio præuisse LV. annos. Chronica Magdeb. litera C. mentionem aciunt fratris Geronis, Siegfridi nimirum, conditoris arcis Gruningensis prope Halberstadium.

BRVMITO
COMES WETTINENSIS MARCHIO BRANDENBVRGENSIS.

GERONEM secutus est BRVMITO, seu BRVNNICO, de cuius genere, sicut & GERONIS, discrepantes reperio annotationes. Alii eum GERONIS filium faciunt: alii comitem *Wettinensem* fuisse scribunt, & quod Saxonicæ familiæ princeps fuerit & propinquitate OTTONEM III. attigerit. Quæ vero a WITICHINDO *libr. II. annalium p.* 23. in hunc modum referuntur: *Cessantibus bellis externis, ciuilia oriri coeperunt. Nam Saxones, imperio regis facti gloriosi, dedignaban-*

Genus incertum

 tur

tur aliis seruire nationibus, quæsturasque, quas habebant, vllius alius, nisi solius regis gratia, habere contemnebant. Vnde iratus EBERHARDVS, *Francorum dux, contra* BRVNINGVM *collecta manu, incendio tradidit ciuitatem illius, vocabulo Elmeri, alias Elueri, interfectis omnibus eiusdem ciuitatis habitatoribus.* Hæc igitur accidisse A. C. DCCCCXXXVIII. & BRVNINGVM hunc fuisse ex principibus Saxoniæ, & eum, qui post Geronem præfectus sit Marchiæ Brandenb. A. C. DCCCCLXV. semel atque iterum affirmat SPANGENBERGIVS. SABINVS *in Hugone* refert, BRVMITONEM coniugem habuisse WILNAM, ex ea genuisse filios quatuor, quorum corpora humata sint in æde B. Virginis in monte Harlungorum, ante aram communionis, quæ est in hemicyclo ad orientem. Sepulchrorum autem inscriptiones seu ἐπιτάφια, sepulchris prorsus pedibus attritis hominem antiquitatis studiosum, ante C. annos descripsisse in tabulam, ad parietem hemicycli suspensam, & testatum fuisse, nihil suo tempore legi potuisse in primo sepulchri monumento, præter hæc verba:

coniux & filii

Idibus Iulii obiit Cythaua - - - - - - - - -
Cythauæ Menfrido - - - - - - *juncta marito*
Vandaliæ hanc Reges - - - - - - - -

In secundo extitisse hos versus, literis vix apparentibus:

Candidior gemmis Hermannus flos Brumitonis
Hic iacet in tumulo, proh dolor, exiguo,
Quem flent gentiles pariter cunctique fideles,
Armis inuictum succubuisse pium
Brenburg ac patria e superis iam reddite vota,
Multiplicate preces, vt sit huic requies.

Sepulchro tertio fuisse inscripta hæc verba: *III. calend. Maii obiit* SEGEHARDVS, *clarissimi Principis* BRVMITONIS *filius christianissimus.* Matrem WILNAM, eodem SABINO ex VOLATERRANO teste, filium HVGONEM, extin-

xtincto marito, in Italiam secutam & apud *septimense* monasterium sic dictum, quod *septimo loco* a filio HVGONE ædificatum fuit, sepultam esse legimus. Sequitur *Genealogia.*

WITTEKINDVS, *Iunior*, comes Wettinensis, vid. *Pet. Albinum in Saxonia p.* 123. qui hic *Fridericum I.* inserit.

THITGREMVS

FRIDERICVS

BRVNO

IDACVS, omes Merb.

WILNA, vxor Brunniconis — BRVNICO III., march. B.

GVNTHERVS, comes Plocensis

HVGO, marchio Brand.

SIGEHARDVS

THEODORICVS, marchio Brandenb.

TETBVRGA, filia, vxor *Dedonis*, comitis Wettinensis.

HERMANNVS

MENFRIDVS

Hos principes seu marchiones non modo pietate & virte, vt docent epitaphia, sed etiam heroica corporis procetate insignes fuisse ex ossibus, quæ sepulchris continentur,

 idem

idem SABINVS ratiocinatur. Cum enim iussu HIERONYMI *episcopi Brandenburgensis*, qui A. C. MDXXII. in viuis esse desiit, clam aperirentur hæc sepulchrorum monumenta, in vno eorum inuenta sunt ossa tam grandia, vt tibiæ attingerent coxendicem hominis mediocris staturæ. Vnde colligi potest, multa ab his marchionibus præclare gesta esse pro religione christiana & limitibus Marchiæ, quorum memoria prorsus extincta est. Itaque de rebus gestis tam patris, quam filiorum, sicut neque de obitu BRVMITONIS, vnde de annis præfecturæ certus numerus colligi potuisset, nihil legi literis mandatum.

HVGO
FILIVS BRVMITONIS
MARCHIO BRANDENBVRGENSIS.

BRVMITONE natus filius HVGO, Marchiam Brandenburgensem tenuit, imperante OTTONE III., pronepote AVCVPIS. Fuit princeps clarus & honoratus, & in Italia, in qua egit vicarium imperatoris, cui erat propinquitate coniunctus, magnam celebritatem famæ consecutus est. OTTONEM III. Romæ seruauit in seditione: & sunt multa alia in hoc principe laude & memoria æterna digna, quæ recitantur in *Oratione*, quam habuit in Regiomonte Borussiæ, A. C. MDLII. mense Augusto, GEORGIVS SABINVS, Brandenburgensis. Et quanquam ita referantur ea a SABINO, & huic marchioni adscribantur: sunt tamen, qui ab eo dissentiant, & eadem HVGONI quidem marchioni, verum non Brandenburgensi, sed *Italiæ Atesti*, filio SIGEBERTI, tribuant. In quorum numero sunt ex Germanis historicis, IOH. CVSPINIANVS *in Ottone* III. IOH. FVNCCIVS *libr. IX. commentarior. in chron.* ex

res ab eo præclare gestæ,

quarum nonnullæ sunt dubiæ.

x Italis CAROLVS SIGONIVS, qui *lib. VI. VII. VIII. IX.* & *X.* *regno Italiæ* genealogiam, quæ mox ſequitur, deſcribit, & IERONYMVS FALETVS *in Genealogia marchionum Eſtenſium ducum Ferrariæ*, qui & auctoritatem FVNCCII citat. Non oſſum tamen intermittere, quin VOLATERRANI verba, quæ tant *libr. XXIII. anthropologias in Ottone III.* adſcribam: *Hetruiam per Hugonem, marchionem Brandenburgenſem, propinquum um, feliciter rexit. Is enim moram Piſtorii, partim Florentiæ ciebat, variis deditus voluptatibus. Verum, dum quandoque veretur, a ſuis aberrans in ſpecu nocte ſolus iacuit, vbi viſis quibusm perterritus, vbi illuxit, animo mutatus Florentiam rediit, ac re ræſuli narrata, ab eodem iuſſus, expiationis gratia ſeptem capitaum criminum, totidem coenobia S. Benedicti conſtruere. Itaque itrimonio omni in Germania diuendito, rem abſoluit.* Hæc ille. VGO autem cum imperatorem a periculo liberaſſet, haud ulto poſt incidit in morbum, quo & conſumptus eſt. Obiit em *Piſtorii*, A. C. MI., ſepultus *Florentiæ* in monaſterio, quod i condidit, multisque opibus ditauit. PLATINA *in Iohanne* VIIII., P. R. inſigni encomio eum ornat: *Hugo*, inquit, *præfeus Ottonis in Italia & gubernator Hetruriæ, adeo iuſte & integre rouinciam ſibi creditam rexit, vt optimi principis deſiderium neini non prouincialium reliquerit. Hunc Piſtorii mortuum Heuſci omnes non ſecus ac publicum parentem luxere, nullo non genere noris funeri eius adhibito.* MATTHAEVS PALMERIVS ſub .C. DCCCCLXXXXVII. ſic annotauit: *Hugo Aldeburgenſis, Otnis præfectus, bona gratia Hetruriam perhumaniter gubernat.* IAOB. PHILIPP. BERGOMAS *lib. XII. in Ottone III. Hugo quiam Aldeburgenſis miles, hac tempeſtate apud Ottonem maximo abitus eſt in pretio, cuius rei cauſa ipſum ex Germania in Tuſciam rocuratorem ſuum tranſmiſit: vbi cum VI. annis eo in magiſtra omni cum laude ipſe præfuiſſet, tandem apud Piſtorium, vrbem, efecit.*

obitus,

Gene-

Genealogia ſecundum CAR. SIGONIVM.

SIEGFRIDVS, comes Parmæ

ATHO, comes Canusſinus — HILDEGARDIS, a qua tulit Marchiam Thuſciæ

TEDALDVS

SIGEBERTVS, comes Ateſti ab *Ottone* I. conſtitutus: ind Eſtenſium comitum familia

BONIFACIVS

CVNRADVS

MECHTILDIS, inſignis femina, quæ nupſit *Welpho* V. & obiit MCXV. nata annos LXXVI.

HVGO

HVGO, cuius tempore Otto nis III. inclyta virtus fuit, & a pud Romam multa egregia ge ſta: cuius & Bauariæ ducis Hen rici induſtria, *Otto* ſimulatis con ditionibus eductus Roma, cum *Syluestro* pontifice deceſſit.

Etſi vero poſt FRIDERICVM II., Rom. imperat, qui eſt XI ab OTTONE III. numerus ſeptenarius electorum Roman imperii exprimitur, crebroque repetitur, & indicantur fami liæ ſuffragantium in electione Romani imperatoris: tamen quia OTTO III., pontifice GREGORIO V. aſſentiente, de cretum fecit, vt in poſterum omne ius atque poteſtas eligen di Romanum imperatorem eſſet apud ſolos Germanos, ne liceret pontifici, quenquam proclamare imperatorem, niſi quem proceres Germaniæ ad id faſtigium euexiſſent, non eſt vero diſſimile, teſte SABINO, hunc ipſum HVGONEM au fuiſſe primum electorem ex marchionibus, aut effeciſſe apu

Primus elector Brandenburg.

OTTO

OTTONEM III., vt marchiones Brandenburgenſes electoribus adnumerarentur.

Ab A. igitur C. DCCCCLXV., XIIII. cal. Iulii, quo mortuus eſt GERO, vsque ad A. M I., quo obiit HVGO, numerantur anni XXXVI., menſes VI., dies XII, qui ſcilicet tribuendi erant præfecturæ BRVMITONIS & HVGONIS. Siquidem, an eo tempore, quo HVGO e Germania in Italiam commigrauit, SIGEHARDVS vel HERMANNVS, & poſt hos denum THEODORICVS, gubernauit, annotatum non reperio, niſi, quod SPANGENBERGIVS refert, THEODORICVM A. DCCCCXCII. ab OTTONE III. Brandenburgo præfectum eſſe. Eo enim anno, vt SABINVS ex *Schaffnaburgenſi* annotat, OTTO III. *Brandenburgum* obſedit & cepit.

THEODORICVS
NEPOS BRVMITONIS
MARCHIO BRANDENBVRGENSIS

THEODORICVS, optimi principis SIGEHARDI filius, nepos BRVMITONIS, inſolens & infelix, confiſus ſuæ potentiæ, non eadem, qua patruus & pater, prudentia & felicitate, rempublicam adminiſtrauit. *Sclauos*, vicinos ſuos, vt barbaros, odio proſecutus eſt, adeo, vt MISTOVEVM, *Obotritorum* regem, in gentis contumeliam, canem appellaret, & ſuaſor eſſet BERNHARDO, *duci Saxoniæ*, e familia *Billingana*, vt ſororem ſuam, illi deſponſatam, alteri deſponderet, nec vereretur aperte dicere, *Slauos eſſe indignos, quibuscum germanicus ſanguis miſceretur.* Quæ contumelioſæ voces non ſolum THEODORICO, ſed vniuerſæ & ipſius patriæ & Saxoniæ, reique chriſtianæ, ſibique inprimis, multum calamitatis attulerunt. His enim auditis, MISTOVEVS tam grauiter exarſit, vt dolori ſuo ne pietatem quidem erga Deum anteferret, ſed cum omnibus, quibus imperabat, a religione chri-

Genus

Miſtoueum conuiciatur,

deficeret. Ad THEODORICVM igitur cum miſſus eſſet fecialis, qui ſignificaret, MISTOVEVM, *canem iſtum Slauicum, iam iam editurum latratus, effecturumque morſus, quos tota Marchia & Saxonia perhorreſcat:* ille, non obſcure intelligens, bellum ſibi his verbis denunciari, aſpere & ferociter reſpondit: *ſe non terreri fremitu vrſi, multo minus latratu canis, qui, ſi moleſtus fuerit, ſe curaturum canicidas, qui latratum ipſius compeſcant.* Hoc reſponſo Slaui plus exacerbati, ſummo ſtudio & ardore animi bellum parant: congreditur THEODORICVS, exuitur caſtris, & cum paucis equitibus pugna elapſus, Brandenburgum profugit: victor inſequitur: qua difficultate territus marchio, cum nihil præſidii neque ſpei haberet, nocturnæ fugæ conſilio capto, clam ex vrbe cum VOLCMERO, *antiſtite III. Brandenburgenſis eccleſiæ*, vt DITHMARVS annotat, decedit. MISTOVEVS, caſtris ad vrbem poſitis, deditionem flagitat: qua facta, Slaui contra fidem datam omnes, ſine diſcrimine ſexus & dignitatis, conſtuprant, mactant & trucidant: aras, diuorumque imagines diſpergunt, clerum capiunt, DODILONIS, *antiſtitis*, qui ante tres annos ſepultus fuerat, cadauer ſpoliant, templa, præter ædem beatæ virginis, omnino euertunt: illam TRIGLÆ conſecrant, priſco Slauorum idolo, quod triceps & turrita corona redimitum fuiſſe, perhibetur. THEODORICVS autem, quoad vixit, nulla vnquam reconciliatione, aut vi, ſuam ditionem a barbaris recuperare potuit: ſed in perpetuo exilio vitam traduxit miſeram, *Magdeburgi* eleemoſyna canonicorum ſuſtentatus. Lege SABINVM *in Theodorico*, HELMOLDVM *cap. XVI. lib. I.* DITHMARVM *lib. III.* Idem autor, patrem ſuum SIEGFRIDVM in expeditione ad Brandenburg periiſſe, ſcribit. Acciderunt hæc, ſecundum vulgarem annotationem, temporibus HENRICI II., *Romani imperatoris*, A. C. circiter MXX., cum ſcilicet THEODORICVS XIX. annos Marchiæ præfuiſſet. Citius vero incepiſſe hos tumultus, & aliquandiu duraſſe, antequam in neruum erumperent.

a quo fugatur & regione pellitur.

Magdeburgi vitam degit.

perent, feries narrationum hiftoricarum docet. Nam HENRICVS, imperator, cum A. C. MXV. conuentum ageret in *Werben*, querelas & actiones BENNONIS, *epifcopi Altenburgenfis*, propter auaritiam BERNHARDI, *Billingani*, audiuit, & ibidem cum Slauis, nolentibus volentibus, neceffaria regni fui tractauit, atque potenter finiuit, *Arnaburg* prius deuaftatam, ob defenfionem patriæ, aliaque caftella iuxta *Albim* renouauit, quæque hinc iniufte ablata erant, reftituit. Cumque difcederet a veteri Marchia, duos Slauorum principes fecum abduxit, & fuafore THEODORICO, *marchione Brandenburgenfi*, ficut fcribit SPANGENBERGIVS, eos *Wolmirftadii* ab arbore fufpendi mandauit. Quin a *Merfeburg* difcedens idem rex, ad *Arnaburg* nauigio venit, & ibi cum Slauis confluentibus plurima difcutiens, pacem firmauit. vid. CRANZIVS *lib. IV. cap. XXXIII. Saxoniae.* Idem etiam rex duos fratres e prouincia *Heuelluni* & ex vrbe *Brandenburgenfi* cepit, eo quod, tefte DITHMARO, ad BOLESLAVM, *regem Poloniæ*, acceſſerant, caufa vertendi eum contra imperatorem, & cum de vniuerfis interrogatis nihil vellent refpondere, in vno colle pariter fufpendio periere. Quantam autem ftragem in Marchia Brandenburgenfi & vicinis locis, circa A. C. MXII., principibus Slauicis fefe dedentibus, ediderit BOLESLAVS, *Polonus*, prolixe commemorat M. CROMERVS *lib. III. in Boleslao I.* & meminit oppugnationis, *Lebufii* a BOLESLAO inftitutæ, vid. DITHMARVS *lib. VI. chronici.* Tum etiam, eodem DITHMARO tefte, & fecundum annotationem IO. FVNCCII, circiter A. C. DCCCCLXXXII., ante obitum OTTONIS II., *imperatoris*, Slaui in *Hauelberg* & *Brandenburg* tumultuati funt.

Comitia VVerbenfia.

pax cum Sclauis.

MARCHIONES LANDSBERGENS.
E FAMILIA
COMITVM WETTINENSIVM.

Quidam annotant, THEODORICVM, *marchionum Brandenburgenfium*

denburgensem, filiam reliquisse THETBVRGAM, eamque matrimonio copulatam fuisse DEDONI, *comiti Wettinensi* & *Merseburgensi & Burggrauio Zorbeccensi*, & hunc, praetextu vxoris suae, Marchiam possedisse, eique successisse filium THEODORICVM, nepotem DEDONEM & CVNRADVM pronepotem: quibus omnibus L. annos praefecturae adscribunt, vt nimirum compleant numerum annorum CXLIII., ab A. C. DCCCCXXVII. vsque ad A. MLXX., quo comites Stadenses Marchiae praeesse coeperunt. Etsi haud scio, an in hac annotatione aqua haereat. Hi igitur comites, si Brandenburgenses marchiones fuerunt, *Landesbergum* ad Oderam procul dubio obtinuerunt. Sed & DITHMARVS *lib. IV. &* VI. mentionem facit alius marchionis, WERNIZONIS, seu WIRINHARII, & eum LOTHARIO, fratre SIEGFRIDI, patris DITHMARI, natum, & *Wolmerstadium*, vrbem paternam, obtinuisse, & DEDONEM, maritum TETHBVRGAE, eo quod eius consilio & auxilio dicta vrbs *Wolmerstadium* combusta & depopulata esset, a ciuitate *Tangermunda* equitantem, & fugientibus mox plus quam quadraginta sociis, fortiter cum EGILHARDO, milite suo, resistentem, ad *Mosum* villam occidisse, scribit: hic fuit exitus DEDONIS, *burggrauii marchionisque &c.* Ex qua narratione fortassis constat, hunc DEDONEM, nomine vxoris suae, *Tangermundam* in veteri Marchia tum quoque possedisse. Plura de eo commemorat DITHMARVS *libr.* VI. *chronic.* Ad genus quod attinet, trahunt id cum prioribus marchionibus ab eodem stipite, nempe WITTEKINDO, *iuniore*, hac serie:

WIT-

WITTEKINDVS, *iunior*

THITGREMVS

FRIDERICVS — DITHMARVS

BRVNO, aliis GERO, marchio Brand.

BRVMITO

SIGEHARDVS

THEODORICVS

THETBVRGA, vxor *Dedonis*

DITERICVS

DEDO, comes Wettinenſis, Merſburgenſis, Burggrauius Zorbeccenſis — THETBVRGA, filia *Theodorici*, march. Brand. pulſi a Sclauis

DITERICVS

DEDO, marchio Luſatiæ & Miſnenſis, cui aliis eſt vxor *Thetburga* memorata

CVNRADVS, marchio Brandenb. in Landsberg — HENRICVS, marchio Luſatiæ & Miſenenſis.

Verum, vt vt hæc ſe ſe habeant, & qui fuerint, & vbi, marchiones Brandenburgenſes hoc tempore, de illo non eſt dubium, *Sclauos* poſt hanc defectionem *Brandenburgum* obtinuiſſe, tan- *Sclaui*

 quam

Marchiam obtinent. quam arcem belli, vsque ad VDONIS I., *Stadensis comitis*, tempora, annos nimirum quinquaginta. Et tamen non negandum, imo ex annalibus HELMOLDI, *presbyteri*, & chronicis DITHMARI, *episcopi*, perspicuum est, varios fuisse fortunæ lusus in hisce motibus intestinis, nec tam cito quieti se se tradidisse gentem inquietam & iniuriarum impatientem, sicut sequentia docent exempla, quæ etiam inserenda sunt, vt ex his conspiciatur, qui principes Sclauorum rerum potiti sint, & quis fuerit status & successus gubernationis. DITHMARVS *libr.* IV. *chron.* scribit: temporibus OTTONIS III., Imp., Sclauum quendam PRAEBIZLAVVM duxisse MATHILDIN, filiam THEODORICI: eodem loco nominat BOLILIVTVM, iniustum prouisorem ciuitatis Brandenburgensis, & quod PRAEBIZLAVVS a confratribus geminis *Vgione* ac *Vstico*, V. calend. Ianuar. occisus sit. Vnde constat, hos Sclauos MISTOVEVM præcedere.

FAMILIA PRINCIPVM SCLAVORVM.

MISTOVEVS, *Sclauus*

Hic natus MIZISLAO, (qui, DITHMARO *libr. III.* teste, a *Luiticis*, eo quod priori anno ad expeditionem contra imperatorem nil auxilii tulerat, grauem obsidionem in oppido *Suerin* perpessus est,) vt prius diximus, THEODORICVM marchia expulit, A. C. circiter MXX. Mortuus est, secundum CRANZII annotationem, A. MXXV. *Brandenburgum* ergo quinque tantum annos possedit. HELMOLDVS *lib. I. cap. XVI.* de eo sic scribit: *Mistiuo, princeps Sclauorum, circa vltima tempora poenitentia ductus, ad Dominum reuersus est, & cum nollet christianitatem deserere, depulsus est a patria, fugiensque ad Bardos, (Bardouicum, vel, ad Bardouicenses) ibidem consenuit fidelis.*

pellit Theodoricum, eius obitus

fit Christianus

VDO

VDO

FILIVS MISTOVEI.

CRANZIVS hunc male christianum appellat, & interfectum esse a quodam transfuga Saxonum, scribit, A. C. M XXXII. HELMOLDVS caussam, crudelitatem nimirum, addit. Vnde colliguntur anni septem, etsi ex priori annotatione HELMOLDI verisimile est, eum, viuo parente, imperium vsurpasse.

GODSCHALCVS

PRINCEPS CHRISTIANISSIMVS NEPOS MISTOVEI.

Hic, teste HELMOLDO, in pueritia *Lunenburgi* scholaribus eruditus fuit disciplinis, quibus, post necem parentis, derelictis, in vltione contra Saxones magnam saeuitiam exercuit: captus aliquando fuit a BERNHARDO, *Billingano*, duce Saxoniae, sed demissus honorifice, & foedus cum eo initum est. Conuersus enim ad religionem christianam, credulitatis gratiam suae genti cum pleno dilectionis feruore reparauit: ideoque A. C. MLXIIII., VII. id. Iunii, dum conuersioni & saluti suae gentis, cum *episcopo* IOHANNE, vigilantissimus instaret, a primoribus Sclauorum in oppido *Lenzen* ad ripam *Albis*, crudelissime trucidatur. Vxorem eius, filiam CANVTI, *regis Danorum*, cum ceteris mulieribus, apud ciuitatem *Meckelnburg*, nudam dimiserunt. Auctorem huius caedis & iam secutae cladis & defectionis Sclauorum, BLVSSONEM quendam, affinem GODSCHALCI, fuisse, HELMOLDVS prodidit, apud quem *libr. I. cap.* XVIIII. XX. XXII. integram vitam & res gestas GODSCHALCI, & quod ipse BLVSSO domi

ob christianá sacra á Sclauis occiditur

domi suæ obtruncatus sit, prolixe enarrata reperies. Quin & A. C. MXXXV. (quod & HERM. CONTRACTVS obseruat) sub hoc GODSCHALCO Sclauos in curia oppidi *Werben*, tres comites & quadraginta ministros oppressisse, obque eam causam imperatorem CVNRADVM, bello contra eos moto, sequenti anno eos vicisse & subiecisse, historiæ docent. GODSCHALCVM secutus filius HENRICVS: & post mortem GODSCHALCI anno sexto, VDO, *comes Stadensis*, *Brandenburgum* Sclauis eripuit, cuius historiæ hanc chronologicam annotationem & pauca de historia CVNRADI, *comitis Plocensis*, præmittemus.

Sclaui vincuntur.

CHRONOLOGIA.

Huc vsque annotationes nostræ continent annos CXLIII præfecturæ Brandenburgensis & attingunt A. a C. N MLXX., quo comites Stadenses Marchiam Brandenburgensem Sclauis eripuerunt. De VDONE enim *primo*, *comite Stadens*[i] vel, *Soldwedelensi*, scribunt, quod Brandenburgum auxili[o] WERNERI, *archiepiscopi Magdeburgensis*, recuperauerit. Se[d] ante VDONEM alios numerant marchiones ex eadem familia, qui in *Landsbergk*, Sclauis Brandenburgum occupantibus curiam suam habuerint: itaque de distributione annorum præfecturæ hic diligentius inquirendum. In qua re difficultatis nonnihil & obscuritatis inesse, fateor. Si enim pate[r] VDONIS LVDERVS, auus SIEGFRIDVS (de SIEGFRIDO vid. BROTVFIVS *in historia Wiperti Groizensis*,) & proauu[s] eiusdem nominis, X. annos ante VDONEM præfuerunt, sequitur, VDONEM Brandenburgum A. C. M LXXX. Sclaui[s] eripuisse. Etsi dubium est, maiores ipsius Marchiæ præfuiss[e] priusquam ille ea potitus fuit. VDONI I. annos V., VDONI II. annos XXI., RVDOLPHO vtrique iterum XXI., & CVNRADO, *Plocensi*, qui cum imperatore LOTHARIO A. C. MCXXXII. *Romam* profectus est, XXV. annos tribuunt, vt co[l]lig[...]

ligatur numerus annorum LXXXII. præfecturæ marchionum Stadenſium, ab A. ſcilicet C. MLXX. vsque ad A. MCLII., quo ALBERTVS VRSVS hereditatem Marchiæ adiit.

Hæc ſucceſſio marchionum & ſeries annorum, vt veriſimilis fiat, neceſſe eſt, hoc iterum addatur, quod, pulſo VDONE II. e Brandenburgo, filius eius, nepos CVNRADVS itemque Plocenſis in *Landsbergk* curiam ſuam habuerint. Sed de his ſtatuat quisque, quod ipſi libitum fuerit.

FAMILIA COMITVM STADENSIVM SEV SOLTWEDELENSIVM

VDO PRIMVS
COMES STADENSIS ET MARCHIO BRANDENBVRGENSIS.

THEODORICO pulſo, MISTOVEVM & poſteros aliquandiu *Brandenburgum* obtinuiſſe, & varias fuiſſe vices bellorum, prius ſignificauimus. De VDONE vero I. eius nominis, *comite Stadenſi*, hiſtoriæ memorant, quod Slauis Brandenburgum eripuerit, auxilio *archiepiſcopi Magdeburgenſis*, quem WERNERVM fuiſſe, annales indicant, A. C. circiter MLXX.

Vdo capit Brandenburgum

Ad genus VDONIS quod attinet, de eo ſic ſcribit CRANZIVS *lib. III. cap. XVII. Wandaliæ: Commemorant noſtri annales, marchiones fuiſſe, qui tenuerunt comitatam Stadenſem atque Thitmarſiam, qui, ſi pariter fuerint quoque Brandenburgenſes, non ſatis explicant. Tradunt enim,* IDAM *nobilem feminam, natam fratre Henrici III., Romani imperatoris, ex Sueuia in Stadenſem comitatum per hæc tempora veniſſe & in Elstorp habitaſſe, mortuo eius primo marito, Ludolpho, duobus poſt inuicem nupſiſſe comitibus Thitmarſiæ, Dedoni & Ethelero Albo, quorum vterque in Thitmarſia, in eadem*

genus eius

 gente

gente comes, cæsus occubuit: ex quibus nati filii magnam nobilitati posteritatem reliquerunt. Inde natos comites de Altenburgo, & de Luxow & multos alios. Idæ autem hereditas peruenit ad Vdonem, marchionem, & ab illo ad Vdonem filium, & inde ad eius filium Henricum. Vdoni II. frater erat Rudolphus, qui Soltwedel tenebat: inde coniectura est, vnam fuisse familiam marchionum, quorum alter teneret Brandenburgum cum appendicibus suis, alter comitatum regeret Stadensem cum Thitmarsia. Hæc ille. De IDA vero lege WITTECHINDVM, DITHMARVM & alios. Historiæ docent, eum coniugem habuisse PRAXEDEN, filiam regis Russorum, quam post obitum ipsius duxit HENRICVS IV., Roman. imperator, nuptiis Coloniæ celebratis, A. MXCV.

coniux

VDO II.

COMES STADENSIS ET MARCHIO BRANDENBVRGENSIS

VDONE primo natus VDO secundus Marchiam tenuit post patrem, sub HENRICO IV., imperatore, annos circiter XXI. Hic, quia inter socios conspirationis seditiosæ Saxonum contra imperatorem esse voluit, grauiter eum offendit, ideoque HENRICVS instigauit PRIMISLAVM, *Obotritum*, vt VDONEM Marchia Brandenburgensi eiiceret. Initia, occasiones, progressus & euentus præter alios abunde pertexuit LAMBERTVS, *Schaffnaburgensis*, sub A. C. MLXXIII. LXXIV. LXXV., quibus ipse vixit, & huius Saxonum conspirationis testis est: ac de VDONE quidem expresse scribit, eum A. MLXXV., post acceptam cladem Saxonum ad fluuium *Vnstrot*, primum cum aliquot episcopis sociis se cæsari dedisse, & dato filio obside, deditione absolutum, & postea sæpe ad eundem a reliquis Saxonum, sociis suis, pro impetranda pace, missum esse. De eius filio magnum & posterorum memoria dignum nobilissimæ indolis

pellitur Marchia

filius eius

dolis

dolis documentum ſub A. C. MLXXVI. idem auctor recitat, quod mox in HENRICO ipſius verbis repetam. Coniugem eum habuiſſe filiam DITERICI, *comitis Plocenſis*, & ad hunc eum fugiſſe, cum Marchia eiiceretur, annotat PEVCERVS *libr. V. chronicorum.* Chronica Saxonica indicant, eum interfectum eſſe A. C. MCXXXIII., quæ annotatio diſcrepat ab iis, qui volunt, eum obiiſſe in oppido *Herzfeld*, A. C. MCVIII. Marchia enim expulſum eſſe A. MCV., ratiocinantur.

vxor & mors

Sub A. C. MCVI. inter vrbes *Berlin* & *Potsdam* (alii *Potenſtam*) certis conditionibus de captura piſcium in Hauelo conuenit: itaque Berlinum ante ALBERTVM VRSVM fuiſſe, non eſt dubium.

RVDOLPHVS
FRATER VDONIS II.

RVDOLPHI mentio fit in hiſtoria HENRICI V., Romani imperatoris, quod adiuuerit LOTHARIVM, *Saxonem*, aduerſus imperatorem. CRANZIVS ita ſcribit in *Wandalia lib. III. cap. XVII. cum Henricus, marchio, puer ſine herede decederet, rediit comitatus Stadenſis in Rudolphum: is filios reliquit Rudolphum alium, in Thitmarſia cæſum, & Hartwicum maiorem Bremæ præpoſitum, inde archiepiſcopum. Hac autem marchionum ſtirpe in nouiſſimo Rudolpho finiente, Thitmarſia venit per Hartwicum, eius fratrem, ad eccleſiam: Soltwedel vero rediit ad Ottonem, comitem de Ballenſtedt & Anhalt.* Sed Marchia Brandenburgenſis locum fecit nouo beneficio, cum feudum vocaret imperatori CVNRADO, *Sueuo*, qui eam contulit ALBERTO VRSO. De hoc TRITHEMIVS aliter, vt mox in HENRICO.

HENRICVS
FILIVS VDONIS II.

parentes

Natus est HENRICVS patre VDONE II., & matre filia DITERICI, *comitis Plocensis*, vt monuimus in patre. Obiit, secundum annotationem TRITHEMII, A. C. MCXLI., sine liberis, & Marchiam in manibus imperatoris liberam reliquit. Hanc CVNRADVS, imperator, consilio principum, ADELBERTO, *comiti de Soltwedel*, in feudum imperiale concessit A. MCXLII. In vita patris mentionem fecimus praeclarae indolis conatus in filio, quem caesari HENRICO obsidem dederat: eam historiam, cognitione iucundam & lectu dignam, SCHAFFNABVRGENSIS his verbis conscripsit: *Iusserat rex Henricus cuidam Eberhardo, ministro suo, vt filium Vdonis, marchionis, & filium Adelae derelictae Dedi, marchionis, (is Henricus fuit, qui factus est marchio Misnensis & Lusatiae:) ambos tenerae aetatis & longe adhuc infra pubertatis annos puerulos, qui in munitione dicti ministri custodiebantur, vel propter tanti generis claritatem, vel propter aetatis infirmae compassionem, indulgentissime nutriret; &, ne aut inerti otio, aut iugis custodiae taedio tabescerent, eos interdum sineret cum aequalibus suis ludicris puerilibus exerceri: hoc ipsum parentes, crebra custodibus munuscula destinantes, flagitabant. Fecit Eberhardus, vt petebatur, & modo intra munitionem, modo extra, adhibitis custodibus, prout libitum erat, ludere patiebatur, nihil sinistrum, in aetate simplici & fraudis nescia, suspicatus: interdum etiam in nemus, quod munitioni contiguum erat, venatum pergens, impositos equis, cuius rei vix dum aetas patiens erat, secum ire permittebat, vt oppressas moerore ac taedio mentes, hoc aduocamento recrearent. Cum hoc saepius faceret, consuetudo fiduciam, fiducia custodibus securitatem pariebat, vt eis indulgentius in dies diligentis custodiae frena laxarent, &, absumpta iam omni suspicione, quicquid voluissent, etiam*

eo mortuo

Adelbertus, comes de Soltvvedel, accipit Marchiam

am absque arbitris, eos agere paterentur. Cœperunt igitur, vbi-unque tempus & locum secretiorem nacti fuerant, sermones confe-ere, patriæ parentumque recordari, peregrinationis molestias deplo-are, &, vt pro salute sua aliqu:d, Deo auspice, conarentur, mutuis se uasionibus incitare. Quadam ergo die, cum iuxta solitum prædictus Eberhardus, secum assumptis eis, venatum exisset, & ad insectan-lam, quæ casu occurrerat, feram, omnes, vt fieri assolet, inconditis lamoribus, feruentissimis studiis discurrissent, pueri, vbi se solos ad-ierterunt, custodem nullum, eos, qui simul venatum processerant, liarum rerum immemores, soli, quæ agebatur, venationi intentissi-nos, quantis possunt viribus, equis subdunt calcaria, per condensa yluarum, per abrupta montium, per concaua vallium, periculi sui el negligentes, vel contemptores, dicto citius euolant, nec in certum liquem locum, regionis ignari, cursum dirigunt, sed, laxatis temere abenis, quocunque impetus equos ferebat, præcipites ruunt celeri ursu, transmisso nemore, ad Mœnum, fluuium, perueniunt, piscato-em illic offendunt, in scapha piscatoria capturis piscium incumben-em, euehi se Moguntiam petunt, chlamydes suas, quibus vestieban-ur, quoniam aliud in promptu non erat, euectionis pretium offerunt. lle vel pretio allectus, vel miseratione periclitantium permotus, hoc nim ex trepidatione & cetero corporis gestu facile coniiciebat, be-igne in nauiculam suscepit, & vtensilibus, quæ in nauicula erant, dopertos, ne scilicet ab insequentibus agnoscerentur, Moguntiam, t rogauerant, euexit. Equi eorum, transito amne, in vlteriore ipa iuxta nauiculam mirum in modum, moderato gradu ecurrebant, ita, vt cum eunte nauicula pariter irent, cum ubsistente pariter subsisterent. Brutis pecoribus humanas inesse nimas, crederes. Vbi Moguntiam ventum est, receptis equis suis, n domum quandam, ripæ contiguam, clanculo se immergunt, domi-umque domus per Deum obtestantur, ne eos cuiquam prodat, se ar-hiepiscopo Moguntino genere coniunctissimos esse, cui se si incolu-nes intemerata fide restituat, tam ab ipso, quam a ceteris parenti-us suis, qui inter regni principes & opum & dignitatis speciali

prærogatiua emineant, digna meritis præmia relaturus sit. Nec multo post aderat Eberhardus, fremens & stridens dentibus præ doloris impatientia, compertoque per veridicos indices, quo pueri diuertissent, summa vi, summo conamine domum expugnare, foresque infringere parabat, & nisi obsides regis mature redderentur, ignem tectis iniecturum se minabatur. Concurrit ciuitas ad spectaculum, & facta est, pro studiis partium, confusa ac dissona, aliud atque aliud clamantium turbarum vociferatio. Delato ad episcopum Moguntinum tumultuantis ciuitatis nuncio, misit confestim cum armatis Conradum comitem de castello, quod dicitur Luzelburg, qui tum forte apud episcopum præsens erat: qui veniens, Eberhardum, improbe sæuientem, atque in omnes, qui obsisterent, nunc vi, nunc comminatione grassantem, ab oppugnatione ædium cum contumelia repulit, susceptosque pueros episcopo præsentauit. Ille admodum gratulatus, quod causam principum, qui pro communi commodo arma sumere meditabantur, hac etiam parte impedimentorum liberasset, suis singulos parentibus cum omni diligentia, ne quis scilicet insidiaretur abeuntibus, remisit. Hæc ille. Genealogiam horum comitum, seu marchionum, describit CRANZIVS *libr.* VI. *cap.* XXIIII. *Metropol. libr.* VI. *cap.* V. & VI. *Saxoniæ.*

HEN-

HENRICVS, cognomento *Caluus*, comes Stadensis

HENRICVS, *pius*, canonicus Hildesheimensis, duxit vxorem, e qua genuit

[S]IEGFRIDVM, [c]om. Stadensem, [h]oc natus

THEODORICVM, comitem

[S]IEGFRIDVS

[L]VDERVS, qui duxit [...]nitam *Rudolphi, Sueui:* [hi]s natus

[V]DO I., hoc geniti

[V]DO II.

[H]ENRICVS, sine [pr]ole decessit.

RVDOLPHVS, quo nati sunt

HARTWICVS, episcopus Bremensis, cui a nonnullis adscribitur fundatio monasterii *Hierichow*, ad Albim siti, quæ tamen in *chron. Magd. Werneri* tribuitur *Anshelmo*, episcopo Hauelbergensi.

RVDOLPHVS, cæsus in Thitmarsia

OTTO, *puer*, ante patrem obiit.

HEN-

HENRICVS
SLAVVS
FILIVS GODSCHALCI INTERFECTI.

A. C. circiter M C. non fuit quietum imperium HENRIC filii GODSCHALCI, interfecti in oppido *Lenzen*. Na *Brizani* atque *Stoderani*, qui *Hauelbergum* atque *Brande burgum* incolunt, ostenderunt rebellionem. Visum it que HENRICO fuit præuenire & armis aduersus eos vtendun contractisque *Nordalbingorum* copiis, suisque perarmatis, m uet bellum in rebelles, peragransque Slauorum prouincian cum ingenti periculo venit *Hauelbergum*, vrbem, eamque ob dione vallauit, & creuit obsidio in dies & menses, accedentibu nouis supplementis ex omni ditione eius, præsertim *Obotrit rum*. Pater autem dum vrget obsidionem, filius eius, iuuen impiger, cum audisset, *Laicos*, suæ gentis populos, qui & *Li* & *Lingones* dicti sunt, tumultuantes rebellionem parare assumptis ducentis ex Holsatis armigeris & trecentis Sl uorum agminibus expeditioribus, abiit, inconsulto patre, ite bidui, per inuias paludes & loca nemorosa, & improuisus i ruens, magnam egit prædam iumentorum, quam cum educ ret, conglobati indigenæ, omni, qua poterant, multitudine, obiecerunt egressuris ad locorum angustias, commisso prœli victoria penes MISTOVEVM & suos fuit, plurimis cæsis, c pti sunt multi & inter eos etiam gentis princeps. Filius, co tinuato itinere, victor ad patrem reuersus est cum ingen præda. Grauata oppugnatio auctis viribus: *Brizani* sibi dif dentes, cum HENRICI vires semper augerentur, illorur quotidie decrescerent, post mutua colloquia deditionem fec runt, datis obsidibus. Hæc HELMOLDVS *libr. I. cap.* XXXVII & post eum CRANZIVS *libr. III. cap. XXIII. Wandal.* sicut & ali

Slaui rebelles

vincuntur.

lia HENRICI & filiorum eius, fratrisque BVTHVE bella, lu-
ulenter deſcribunt. Ex quibus iterum liquet, principes O-
otritorum etiam in *Prigniſſa*, & vicina regione *Hauellæ* po-
enter dominaſſe, quando marchiones in *Landsbergk* fuerunt,
varias fuiſſe viciſſitudines dominorum in hiſce perturba-
ionibus, hasque prouincias modo hos, modo illos principes
ortitas eſſe.

PRIMISLAVS
OBOTRITVS.

VDONEM II., marchionem Brandenburgenſem, eo quod fuerat inter coniuratos, expulit Marchia Brandenb. PRI-MISLAVS, *Obotritus*, inſtigatus, vt dictum eſt, ab HENRICO III., Romano imperatore. Genus huius PRIMISLAI ex ſequen- diagrammate cognoſces. Vxorem ei adſcribunt PETRIS-AM, ſed ſine liberis, adoptaſſe itaque ALBERTVM, cogno-ento VRSVM, filium OTTONIS *in Ballenſtedt, comitis Solt-edelenſis*, volunt: addunt etiam de donatione ipſius. Cum nim ALBERTO naſceretur filius, OTTO, qui patri in mar-hionatu poſtea ſucceſſit, & baptizaretur, in teſtimonium hu-s ritus adhibuit ALBERTVS PRIMISLAVM, conuer-m iam ad religionem chriſtianam. Is igitur, poſtquam infan-em e baptiſterio ſuſcepiſſet, ſecundum conſuetudinem, vt ompater, paruulo certam agri partem prope Brandenbur-um, quæ hodie *die hohe Zauche* dicitur, dono dedit, in qua TTO poſtea fundauit cœnobium ordinis Ciſtercienſium *Le-in*, de quo inferius. Potentem fuiſſe hunc PRIMISLAVM, & n occupandis vicinis regionibus progredi voluiſſe, veriſimile t ex hiſtoria LOTHARII, *Saxonis*, de quo ſcribitur, quod an- expeditionem Italicam coercuerit tumultuantes vicinos re-es, MAGNVM, *Danicum*, & PRIMISLAVM, *Obotritum*. empus mortis collocant in A. C. MCXLII., vnde de tem-ore, quamdiu Brandenburgum occupauerit, ratio inſtitui

Primislaus occupat Marchiam,

adoptat Albertum Vrſum,

fuit potens,

mors.

H poteſt:

poteſt: ſi enim A. C. MCV. VDONEM II. Brandenburgo eiecit, & hæc minor ſumma a maiori ſubducatur, reſidui erunt anni XXXVII. Hoc igitur tempus an continuum fuerit, dubium eſt. Annotant enim alii, eum communi Saxonum bello inde expulſum eſſe, ſed mox recuperaſſe, & ad finem vitæ retinuiſſe. Ab anno obitus PRIMISLAI vsque ad annum primum ALBERTI VRSI reſtant X. anni, quibus CVNRADVM, *Plocenſem*, in viuis fuiſſe, credibile eſt.

In hac autem ſerie tum marchionum, tum annorum, ſicut ſemel atque iterum monui, accurate diſcernendi ſunt gubernatores harum terrarum. Dum enim PRIMISLAVS Brandenburgum obtinuit, marchiones Brandenburgenſes *Landsbergum*, OTTO, *comes in Ballenſtedt*, veterem Marchiam *Soltwedelenſem*, alii vero Slauorum principes *Prigniſſam*, *Hauelbergum*, cum parte aliqua regionis *Hauellæ*, poſſederunt, etſi articulos temporum & limites dominiorum hac in parte hærere, non diffitear. Ceterum, cum in præcedentibus mentio facta eſt MISTOVEI, VDONIS, GODSCHALCI, HENRICI & PRIMISLAI, principum ſeu regulorum Slauicorum, quod per annos aliquot poſt THEODORICVM, *Wettinenſem*, potiores partes Marchiæ obtinuerint, non abs re fuerit, *genealogiam* eorum, quatenus eam e *Wandalia* CRANZII & HELMOLDI *chronicis* conſtruere licuit, hoc loco adſcribere:

Con-

Coniux, ſoror *Wagonis*, epiſc. Altenb. — BILVG, regulus Slauorum, primus propter Chriſti fidem clarus A. DCCCCLXXX.

HODICA, Abbatiſſa in Magnopoli | MIZISLA, princeps Obotritorum A. DCCCCXCIX. | NACCON | SEDERICH

MISTIWOI, expulit *Theodoricum* Marchia A. MXX. mortuus uero eſt A. MXXV. | MIZZIDRACH

ANATROG | VDO, male chriſtianus, | GNEVS

I. coniux, filia *Canuti*, regis Danorum --- GODSCHALCVS, interfectus a ſuis in oppido *Lenzen*, A. MLXIIII., VII. id. Iunii. ---- II. coniux

HENRICVS, occiſo *Critone*, obtinuit principatum paternum, obſedit Hauelbergum A. MCXXII. | BVTHVE, ſucceſſit patri, ſed mox occiſus a *Critone*, Rugiano, A. XII. poſt patrem

VOLDEMARVS, oppreſſus a Rugianis, quod in tributis exigendis immineret grauior, quam illi ferent | MISTIWOI, adfuit patri in obſidione Hauelberg | ZWENTEPLOGVS patri ſucceſſit, ſed mox interficitur a Daſone, præpotente Holſato | CANVTVS, opprimitur in oppido Lutkenborg. | PRIMISLAVS, expulit Marchia Brand. *Vdonem II.*

PORCELLVS, ſiue SWINICKE. interficitur apud Ertemborg: vltimus in hac linea. FA-

FAMILIA ANHALTINA.

Otto Diues

OTTO, cognomento *Magnus* & *Diues*, *comes Ascaniæ* & in *Ballenstedt*, vxorem duxit HELICAM, filiam MAGNI, *Saxoniæ ducis*, & cum ea, dotis loco, *Marchiam Soltwedelensem* accepit. LAZIVS *lib. IX.* post HENRICVM, qui interfuit ludis martialibus, ab HENRICO in *Magdeburgo* institutis A. DCCCCXXXVII. vnius seculi huius nobilis prosapiæ principes desiderantur. (loquitur auctor de comitibus in *Soltwedel* & *Ballenstedt.*) His parentibus natus est ALBERTVS, conditor trium amplissimarum familiarum in Germania: priorum ducum Saxoniæ, marchionum Brandenburgensium, qui Bauaris in hac dignitate priores fuerunt, & principum Anhaltinorum, qui nunc terras auitas possident. Res magnas gessit OTTO, pater ALBERTI VRSI, in primis vero inclaruit in eo bello, quod gessit LOTHARIVS, *Saxo*, aduersus HENRICVM V., Romanum imperatorem, eo quod is dignitatem ducis Saxoniæ ab eo auferre, & in HOIERVM, *Mansfeldium*, transferre vellet. Eodem enim die, III. idus Febr., A. C. MCXV., quo LOTHARIVS prœlium commisit ad syluam *Welphici* saltus, in comitatu *Mansfeldensi*, OTTO apud *Cothenium*, in principatu Anhaltino, MM. Slauorum Brandenburgensium, auxilium latura HENRICO, imperatori, interclusis itineribus, concidit. Memoria prioris prœlii commendatur memoriæ his versibus:

marchio Soltvvedelensis

eius facta

Anno milleno, centeno ter quoque quino
Syluam Welphonis perfudit gutta cruoris,
Sunt hominum occisi quadraginta millia quinque.

Non autem possum intermittere, quin mentioni huius cladis addam annotationem, quam de origine stirpis generosorum dominorum, baronum in *Putlest*, nuper quidam CHRISTOPHORVS ENZELIVS literis prodidit. Is igitur scribit, HOIERVM, *comitem Mansfeldensem*, qui pro imperatore pugnauit

Origo baronum de Putliz

gnauit contra LOTHARIVM in hoc prœlio occisum, & alium eiusdem familiæ, GEBHARDVM, captum fuisse: GEBHARDO autem LOTHARIVM, imperatorem, cum successisset HENRICO V., concessisse partem *Prignissæ*, quæ vulgo dicitur regio *Putlest*, & obtinetur a prædictis baronibus. Et, quia GEBHARDVS captiuus dixerit: *hier stehe ich, als eine verpflorene Ganß;* barones hocce nomen gentile *die Gense* & ab oppidulo seu castro *Putlest*, *zu Putlest*, sortitos esse & dictos: *Die Gense, Edele Herrn zu Putlest*, cui nomini insignia respondent. Hanc suam annotationem studet verisimilem reddere a pago *Mansfeldt*, prope *Putlest* sito. Imo ipsum nomen GEBHARDI, coniecturis est locus, in familia horum baronum retinetur. SPANGENBERGIVS autem annotat, cum HOIERO alium, scilicet SIEGFRIDVM huius familiæ in pugna cecidisse. Neuter itaque, comitem eiusdem nominis in aciem processisse, scribit, nec prior de interitu SIEGFRIDI, neque posterior de captiuitate GEBHARDI quicquam refert. Vocabuli autem *Putlest* etymologia Slauica est, & significat, secundum CROMERVM, *syluestrem & subsylvanum locum*, quasi in loco situm est castrum Podlest, quod aliter etiam *Putliz* pronunciare solent, quæ posterior Slauicam terminationem, sicut vicini pagi *Triggeliz* & aliorum multorum oppidorum & pagorum, nomina retinuit. A. C. MCCCCXCII. simul vixerunt IOHANN, CASPAR & IOCHIM, *Gense, Vettern und Gebrüdere, Edele Herrn zu Putlest.* Nos posteriorum genealogias adscribendo, hoc loco inseremus.

Altera linea

Fratres & aliorum in altera linea baronum patrueles fuerunt

BVSSO, hic vixit A. MDLVI.

CASPAR IOACHIMVS, ἄπαις

OTTO CHRISTOPHORVS

LAVRENTIVS CASPAR GEOR-GIVS IOACHI-MVS CON-RADVS STE-PHA-NVS OTTO ADA-MVS IOHAN-NES VICKE

Hi decem hodie in viuis ſunt in hac linea, quæ dimidiam partem vniuerſæ regi-unculæ Pudleſſenſis poſſidet.

Altera linea

Fratres & priorum in altera linea baronum patrueles fuerunt

IOHANNES BALTHASAR ἄπαις HENNINGVS GVNCELINVS

WEDI-GO MATTHIAS GEBHAR-DVS IOHAN-NES BALTHA-SAR, in Ber-lin confeſſus MA-GNVS IOACHIMVS

GEORGIVS MATTHI-AS, ἄπαις WIL-HEL-MVS FRI-DERI-CVS WOLF-GAN-GVS ERNE-STVS CA-RO-LVS AL-BER-TVS PHILIP-PVS

WEDI-GO REI-MARVS IOHAN-NES GE-ORGIVS IOHAN-NES GEOR-GIVS ἄπαις BALTHA-SAR, ἄπαις HEN-NIN-GVS, ἄπαις CHRI-STO-PHO-RVS IOA-CHI-MVS GE-OR-GIVS

ALBERTVS VRSVS
COMES ASCANIAE
MARCHIO BRANDENBVRGENSIS
S. R. I. ELECTOR

ALBERTO, nato patre OTTONE, & adoptato a PRIMISLAO, *Obotrito*, Marchiam Brandenburgensem concessit LOTHARIVS, *Saxo*, confirmauit CVNRADVS Quedlenburgi A. C. MCXLII., tradidit tandem FRIDERICVS Merseburgi, A. C. MCLII. IASON autem, sororius PRIMISLAI, princeps Lusatiæ, auxiliis Polonorum & Slauorum, corruptis custodibus, vt portas aperirent, Brandenburgum occupauit A. C. MCLVI. Sed ALBERTVS A. C. MCLVII., XI. Iunii, suppetias ferente WICHMANNO XVI., *archiepiscopo Magdeburgensi*, eum expulit, & multa deinceps bella gessit cum *Sorabis*, *Brizanis* & *Stoderanis*, ad *Albim Hauelumque* habitantibus, donec tandem vel gladio absumptis, vel migrantibus reliquis deficerent incolæ: in quorum locum *Rheni* accolas & *Belgas* introduxit & cultores agrorum & vinearum ordinauit. Huius magnæ & vniuersalis translationis nouorum incolarum meminit HELMOLDVS *cap. LXXXIX. lib. I.* in quo loco & hæc addit: *ad introitum horum aduenarum episcopatus, Brandenburgensem & Hauelbergensem, vehementer esse confortatos, eo quod multiplicarentur ecclesiæ & decimarum succresceret ingens possessio: tum quoque australe littus Albis in antiquis aggeribus, quos tempore Ottonum Saxones super ripas Albis congesserant, hoc tempore incolere aduenas hosce cœpisse.* Eius rei argumenta & vestigia præcipua sunt fluuius mediæ Marchiæ *Rhenus* ad oppidulum & castrum *Friesack*, quod nobilium *Bredauiorum* familia hæreditario iure obtinet: *Colonia* ad Spream: itemque tractus ad *Wittebergam*, qui Marchiæ contiguus est, & nomen *Flandrorum* seu *Pleumusiorum* adhuc retinet, vulgo *der Flemingk*: certissima præbent etiam indicia oppidorum

Iasonem ... *Brandenburgo pellit*, *colonos adducit*

rum quorundam appellationes: *Chembergk*; *Cameracum*, *Niemicke Neomagum*, *Brugge*, *Brugas*, quæ originem nouorum colonorum & veterem patriam demonſtrant. Denique *annales oppidi Prizwalck*, quos priori libro adſcripſi, ad hanc translationem aduenarum reſpiciunt: quin etiam ipſa appellatio oppidi eam exprimit: *Priz* enim ſiue *Pruz* in vulgari lingua & vſu, ſiue aduerbii, ſiue interiectionis ſignificatione, etiam hodie idem eſt, quod *apage*, ſiue *mouete*: *Walck* vero *Wilckum* Sclauum denotat, quaſi dicerent noui coloni, *migra Wilce*, eadem quoque etymologia oppidulum *Prizſerbe*, vicinum Brandenburgo ad Hauelum, enarrari poteſt, q. d. *migra Sorabe*; quæ omnia non ineleganter huc quadrant. Libet his præterea adſcribere, quæ de hac translatione A. C. MDLXVIIII., die VIII. Auguſti, quo funus factum eſt MATTHIAE a SCHVLENBVRGK, filio IOACHIMI, *Wittebergæ* publice perſcripta ſunt: ALBERTVS VRSVS, *marchio Brandenburgenſis*, ex antiquiſſima ſtirpe comitum Aſcaniæ, princeps victoriis plurimis nobiliſſimus, de permiſſu CVNRADI III., *Spirenſis*, oppreſſis ac deletis conſilio & virtute *Schulenburgiorum*, magna ex parte *Henetæ* gentis reliquiis, colonias nouas e Belgio huc traduxit, a quibus circa hanc vrbem & in vicina Marchia Brandenburgenſi, *Pleumuſiorum* ſeu *Flammingorum*, *Cameraci*, *Neomagi*, *Brugiorum*, *Coloniæ ad Sueuum amnem*, *nomina*, *& præter Schulenburgios*, *nobiles in Marchia familiæ Bredauiorum & Arnimiorum & ad Harciniam Aſciburgiorum*, ac plures aliæ antiquitate nobilitatis ac dignitatibus clariſſimæ, reliquæ ſunt. Quam grauiter autem tulerint hunc aduenarum acceſſum Slavi, & quantis viribus eos eiicere & repellere conati ſint, videre licet in hiſtoria PRIBISLAI, vltimi ducis Obotritorum, quæ extat apud HELMOLDVM *libr. II. cap. II.* Eius duas orationes adſcribam. In altera ſic alloquitur *Flammingos*, qui fuerunt in caſtro *Mecklenburgk*: *Magna tam mibi*, *quam genti meæ illata eſt violentia*, *qui expulſi ſumus de terra natiuitatis noſtr*

Prizwalci vrbis appellatio

colonos ægre ferunt Slaui

ſtræ, & priuati ſumus hereditate patrum noſtrorum: vos quoque iniuriam hanc cumulaſtis, qui inuaſiſtis terminos noſtros & poſſediſtis vrbes & vicos, qui nobis debentur hereditaria ſucceſſione &c. In altera Slauos in caſtro *Flow* ſic compellat: *Notum eſt omnibus vobis, quantæ calamitates & preſſuræ apprehenderint gentem noſtram propter violentam ducis (Henri Leonis) potentiam, quam exercuit in nos, & tulit nobis hereditatem patrum noſtrorum.* Et mox: *reuertimini ergo ad cor, o viri, reliquiarum Slauici generis, & reſumite audaciam, & tradite mihi vrbem hanc & viros, qui iniuſte eam occupauerunt, vt vlciſcar eos, ſicut vltus ſum in eos, qui inuaſerant Meklenburgk &c.* Sed integra hiſtoria ex dicto loco HELMOLDI petatur. Neque potuere Sclaui priſtinam libertatem recuperare, etiam propter hanc cauſam, quod in omnibus ciuitatibus, accedente conſenſu magiſtratus, publice decretum & conſtitutum eſt, ne Sclauis vllæ dignitatum portæ paterent, imo aditus ad munia & opificia honeſta ipſis præcluderetur. Vnde vſu receptum eſt, vt literis publicis, quas vulgo literas nobilitatis (*Geburths-Briefe*) vocant, de origine profpiceretur iis, qui in ſocietatem vnionum (*Zunft*) ſeu opificum ſe recipi petiuerunt, quod teſtimonium originis ſiue gentis adhuc hodie petentibus tales literas, perhibetur.

cur Albertus cognominatus Vrſus?

Porro de cognomento ALBERTI libet verba IOACHIMI CAMERARII, quæ in oratione, *de vita Georgii, principis Anhaltini*, continentur, recitare: *cognomentum vetus fuit principum iſtorum, quacunque ſane de cauſa*, VRSORVM. *Credibile eſt, de ſtudio, vel etiam quopiam euentu venationis, primum alicui id impoſitum eſſe.* BERICHINGVS *autem, deminuta germanica voce a* BERO, *vrſum paruulum ſignificat, & eiusdem eſt originis Berengarii appellatio, ſiue a Berichingo detorta, ſeu ſignificans cupiditatem aggrediendi vrſum.* Cauſas vero & occaſiones, propter quas ALBERTVS a LOTHARIO, imperatore, ad dignitatem ſeptem-viralem marchionis Brandenburgenſis, eue-

 ctus

ctus ſit, exponit PHIL. MELANCHTHON *in oratione de Georgio, Anhaltino*, quæ extat *in operibus principis* GEORGII fol. 628., eius verba hæc ſunt: *cum Lotharius, Saxo, &c.* vsque ibi: *qua non alia pulchriorem in genere humano. Eccleſia Hauelbergenſis* ſcribit memoriam ALBERTI, *marchionis Brandenburgenſis*, ſub A. MCLXX., ad XIV. cal. Decemb. Mortuum eum eſſe annotant A. C. MCLXVIII., & ſepultum in ſacello S. Nicolai in *Ballenſtedt:* etſi SABINVS ſcribat, eius ſepulchrum eſſe in templo cathedrali Brandenburgenſi, ante aram D. Auguſtini. Præfuit igitur annos XVI.

mors

OTTO, *Magnus* & *Diues*, comes Aſcaniæ & Marchiæ Soltwedelenſis — HELICA, filia *Magni*, ducis Saxoniæ e familia Billingana

prior coniux SOPHIA, comitiſſa in Reineck — ALBERTVS VRSVS M. B. S. R. I. El. com. Aſc. — poſterior coniux ADELHEIDIS, filia *Cunradi*, Miſnenſis, vidua *Suenonis*, r. Danorum

SIEGFRIDVS, epiſcopus Brandenb., deinde Bremenſis	HENRICVS, præpoſitus Magdeburgenſis	OTTO I., M. B. comes Aſcaniæ & Elector	BERNHARDVS, dux Saxoniæ & Elector	HEDWIGIS, nupta *Ottoni* M. Miſnenſi cog. *Diuiti.*

ALBERTVS VRSVS, cognomento *Pulcher*, a ſobrino ſuo, HENRICO SVPERBO e Saxoniæ ducatu, quem poſt mortem LOTHARII CVNRADVS ALBERTO conceſſerat, exutis caſtris, fugatur, vid. G. FABRICIVS, CRANZIVS *Wandal. lib. III. cap. XXXVIII. XL. & in Saxon. lib. VI. cap. VII. & VIII.* A. C. MCLVI in die S. Andreæ ALBERTVS cum aliis adfuit

ſocero

ACCESSIO

ad pag. 66.

Cum LOTHARIVS, *Saxo*, imperator, ſapiens & magnanimus, xercitum in Italiam mitteret, ad inteſtinas ſeditiones opprimenas, & ad expellendos Saracenos, præfecit exercitui ALBER'VM, cognomento *Vrſum*, natum in familia comitum de Ballenet & Aſcania. Scitis autem, Aſcaniam, arcem & oppidum, eſſe on procul ab Halberſtadio. Eadem familia & Anhaltina eſt, alia arce, quæ fuit ampla & magnifica, nomen habens. Huius LBERTI, Aſcanii, tanta fuit ſapientia & virtus, vt in Italia artim conſilio, partim præliando, & domeſticos tumultus ſeauerit, & Saracenos repreſſerit. Poſtea ſecutus LOTHARIVS Italia, expulſis Saracenis, pacem legibus, iudiciis, & præſiiis ſapienter muniuit. Cum autem tunc vetus familia marchioum Brandenburgenſium electorum extincta eſſet, LOTHAIVS, imperator, tantum tribuit virtuti ALBERTI, Aſcanii, ei Marchiam & pulcherrimum axioma electorum traderet. ec aliud honorificentius iudicium de ALBERTO ab impetore, cuius fuit excellens ſapientia, fieri potuit, quam, quod ixit eius potentiam ditione tanta, & ornauit dignitate, qua on alia pulcrior eſt in genere humano.

ocero in ecclesia *montis S. Petri*, quando is, depositis armis, olenni ritu sacris initiatus est. vid. PET. ALBINVS fol. 583.

OTTO I.

COMES ASCANIAE

MARCHIO BRANDENBVRGENSIS

S. R. I. ELECTOR.

ALBERTO natus OTTO successit patri: BERNHARDVS vero Saxoniam cum dignitate septem-virali adeptus est. Genealogiæ vulgares OTTONI adscribunt coniugem AGNETEN, *ducissam Saxoniæ*, nec faciunt mentionem alterius coniugis. Diploma vero (quod OTTO contulit veteri ciuitati *Branenburgk*, in castro *Hauelbergk*, & eo ciues, ad sinum misericordiæ suæ concurrentes & gratiam ipsius impetrantes, ab omni xactione telonei, ex hoc nunc & in perpetuum absoluit, & edit eis potestatem emendi & vendendi absque telonio, per mnem terram, ditioni ipsius subiectam) nomen IVDITHÆ ontinet. Est enim initium eius tale: **in nomine indiiduæ Trinitatis.** *Notum sit vniuersitati fidelium, m præsentibus, quam futuris nunc & in perpetuum. Ego* OTTO, *ei graia marchio Brandenburgensis*, & IVDITHA, *vxor ea, filiique nostri* OTTO, *maior*, & HENRICVS, *minor c.* A. MCLXX. Sed & lapis antiquus sepulcri cuiusdam in edio templi cathedralis Brandenburgensis, adhuc hodierna e hæc verba continet: (reliqua enim pedibus attrita sunt:) *III. idus Iulii obiit Iuditha, marchionissa, gemma Polonorum.* anc IVDITHAM coniugem SIEGFRIDO II., *comiti Stadensi*, ibuit W. IVSTVS, natam VLADISLAO I., rege Poloniæ. uctore BROTVFIO, marchio OTTO multa contulit ad pias usas in collegio canonicorum Brandenburgensium & ea confirmauit

coniux

Canonicis Brandenburgensibus

I 2

& Magdeburgensibus firmauit A. C. MCLXXIII. *Chronica Saxonica* referunt, eundem A. C. MCXCVI. templi cathedrali D. Mauritii in *Magdeburg* donasse veterem Marchiam & nouam ciuitatem Brandenburg: quam donationem cum posteri confirmare & ratam habere *donat multa* nollent, multa prœlia hanc ob causam experti sunt. *Chronica Magdeburg.* WERNERI addunt causam donationis, nimirum remunerationis loco, eo quod *archiepiscopus* LVDOLPHVS XVII. pro *marchione* OTTONE, excummunicato, *apud papam* COELESTINVM III. intercesserat.

Tempore huius marchionis A. C. MCLXXV. WICHMANNVS, *comes Tirolis & archiepiscopus Magdeburgensis*, cuius in ALBERTO meminimus, fundauit opulentissimum monasterium *Cinnam*, prope *Iuterbock*, & circumiacentes terras bello vicit, & archiepiscopatui tradidit & acquisiuit. Ipse vero marchio A. C. MCLXXX. instituit cœnobium *Lenin*, in agro sibi a PRIMISLAO donato: tempus fundationis his verbis significatur:

Cinnæ monasterium fundatur & Lenini

Annus millenus, centenus & octoagenus
Quando fuit Christi, Lenin, fundata fuisti.
Sub patre Siboldo: quam marchio contulit Otto
Brandenburgensis, Aprilis erat quoque mensis.
Hic iacet ille bonus marggrauius Otto, patronus
Istius ecclesiæ, sit precor in requie.

Item alii versus de primo abbate:

Hic iacet occisus prior abbas, cui paradisus
Iure patet Slauica quem strauit gens inimica.

A. C. MCCLXII., prid. non. Iunii, hoc est, octuagesimo secundo anno post fundationem, consecratum est templum cœnobii ab episcopis, *Magdeburgensi* & *Hauelbergensi*, sub *abbate* IOHANNE. Insignia sunt duo cerui, erectis anterioribus pedibus, consaltu complexi baculum episcopale: vnde volunt vo-

cabu

cabulum *Lenin* Slauica dialecto *cerui saltum* significare. Ordo Cistercienſium fuit ſic dictus a Cistercio, loco deſerto, in Burgundia, Cabilonenſis diœceſeos, quo conceſſit quidam Anglicus ARDINGVS, monachus, e cœnobio Molismenſi, Lingouienſis agri, & maiorum diſciplinam inſtaurauit. vid. VOLATERRANVS *lib. XXI. anthropologias.* Sepulti dicuntur in hoc cœnobio ſeptem marchiones ex hac familia, & ſeptimus ex his OTTO, habitu monaſtico, circiter A. C. MCCCIII., & præter hos duæ principiſſæ & ALBERTVS, *dux Saxoniæ elector*, gener RVDOLPHI, imperatoris, & FRIDERICVS, iunior, qui obiit A. MCCCCLXII. Monachi *Leninenſes* ſuperiorem agnouerunt abbatem, & tenuerunt hoc opulentiſſimum cœnobium a tempore fundationis annos CCCLXII. A. enim C. MDXLII. circa feſtum Eliſabethæ monachi dimiſſi ſunt: quo reſpicere videtur PHIL. MELANCHTHON in Epiſtola, quam dicto anno, quarto die Decembris, ad CAMERARIVM ſcripſit, videlicet: *in reditu eſt occupatum Leninenſe cœnobium, ne fruſtra putes expeditionem ſuſceptam.*

Ottonis bella cum Pomeranis

Verum a monachis ad OTTONEM redeat oratio. Ab hoc igitur bella hæc præcipue geſta eſſe, reperio. A. C. MCLXXXVIII. prœlium commiſit cum *ducibus Pomeraniæ*, BVGISLAO II. & CASIMIRO II., in quo CASIMIRVS occiſus & BVGISLAVS captus eſt. SPANGENBERGIVS addit, filium eius, HENRICVM, belli ducem fuiſſe. *Annales Pomeraniæ* teſtantur CASIMIRVM II. A. MCCXVII. in itinere verſus Hieroſolymam ex hac vita deceſſiſſe.

Danis

A. C. MCXCV. bellum geſſit cum CANVTO, *Danorum rege*, cuius cauſa hæc fuit, ſecundum CRANZIVM *lib. VI. cap. XXXV. Wandal: rex, velut arbiter*, NICOLOTVM & BVREWINVM, *fratrueles diſſidentes, ita conciliarat, vt ſuperiorem ſe agnoſcerent:* OTTO *vero marchio & Romani imperii elector indigne ferens, Danum in Wandalia & vicina regione ius ſibi acquirere,*

 bellum

bellum mouit, cuius fuit is exitus, vt victoria potitus OTTO *captiuum abduxerit* PETRVM, *episcopum Roschildensem, qui regis loco in bellum processerat.* PETRVS *in carcere morbum simulans, & cum hanc ob causam eius custodia mitigaretur, & is verba custodi daret, fuga elapsus est. Proxima bruma* OTTO *renouauit bellum, sociis copiis* ADOLPHI, *comitis Holsatiæ, & Rugiam inuasit: sed cum glacie & bellum dissolutum est, in quo oppidum Tribuses gladio & igne grauiter afflictum.* Huius belli, sicut etiam aliorum proximorum, contra CANVTVM gestorum, mentio fit copiosior in supplemento ARNOLDI, *lib. VI. capp. IX. X. XI.* OTTO, *marchio*, NICOLOTVM, filium WERTISLAI, in Megapoli confugientem ad BERNHARDVM, ducem Saxoniæ, fratrem OTTONIS, collocauit in *Hauelberg*, vnde frequenter eruptiones faciens, terram Slauorum instanter vastauit, ARNOLDVS *in supplemento lib. III. cap. IV.* Expeditionem in Asiam, quam HENRICVS VI., exemplo patris FRIDERICI, instituerat, OTTO, marchio, etsi assensus, &, auctore PAVLO LANGIO, A. MCXCV. in *Geilenhausen* dominica cruce signatus fuerat, intermisit, papa sic dispensante. ARNOLDVS *in supplement, lib. V, c. I.*

Tempus mortis collocant in A. C. MCXCVIII., quo etiam decessit HENRICVS, imperator. Sub A. MCXCII. in diplomate monasterii *Buzouiensis*, sub HENRICO VI. testis citatur OTTO, *marchio de Brandenb.*, qui fortassis hic OTTO fuit; nam multum familiaris extitit imperatori HENRICO, vid. PAVL. LANGIVS p. 1191. Vnde anni marchionatus colliguntur XXX. Sepultus fuit in cœnobio *Lenin* a se condito. Imperatores agnouit FRIDERICVM BARBAROSSAM & eius filium HENRICVM VI. In *antiquo libro Hauelbergensis Ecclesiæ*, in quo memoriæ defunctorum perscriptæ sunt, hæc verba extant: A. MCLXXXIIII. *obiit piæ memoriæ* OTTO, *Brandenburg. marchio, cuius studio & promotione consecuta fuit hæc ecclesia. Hic etiam inter cetera bona contulit ecclesiæ nostræ totam villam Drussow &*

IV.

IV. Mansos in prato & ecclesiam in monte, & L. solidos, ad comparanda luminaria & dimidium villam Losse, & vsui domini episcopi villam Dalchow.

SIEGFRIDVS, frater OTTONIS I., quod esset nobili origine & bonis moribus, obtinuit translationem de sede *Brandenburgensi* ad *Bremensem*, & expletis in eo pontificatu annis VI. post XV. in Brandenb. ecclesia exactos, decessit e vita A. C. MCLXXXIV. Sic enim habet CRANZIVS *lib. VII. cap. V. Metrop.* ARNOLDVS *lib. III. cap. I. in supplemento* scribit, SIEGFRIDVM conatum fuisse *Thetmarchiam* ADOLPHO, *comiti Holsatiæ*, adimere, & fratri suo BERNHARDO, *duci Saxoniæ electori*, attribuere, ADOLPHVM vero viribus & armis, inuito episcopo eam obtinuisse, & sui iuris esse, affirmasse. Idem *libro eodem cap. II.* annotat, SIEGFRIDVM principem fuisse legationis Danicæ, quam imperator FRIDERICVS misit ad CANVTVM, *regem*, pro impetranda sorore ipsius in coniugium filii, & parte dotis, sicut conuenerat inter patrem VOLDEMARVM & imperatorem. *Chronica Magdeburg.* WERNERI cap. III. annotant, ANSHELMVM X., *episcopum Hauelbergensem*, fuisse filium *marchionis* ALBERTI. Is igitur VRSVS fuit, si ista annotatio vera est, & de marchione Brandenburgensi intelligenda.

Siegfridus frater eius.

Anshelmus episcopus Hauelbergensis.

Priusquam in historia marchionum huius familiæ pergo, necesse est has cautelas præmittere, & quod pluribus marchionibus in hac familia nomen OTTONIS familiare fuerit, patri scilicet, filio, nepoti, pronepotibus & horum patrueli SAGITTARIO: & quod bella gesta cum vicinis episcopis ac principibus subinde renouata sint. Hinc diuersæ annotationes bellorum extiterunt. Nos secuti chronologias & verisimiles coniecturas, cuilibet marchioni res gestas adscripsimus sequenti ordine, saluo tamen alius, melius sentientis, iudicio.

OTTO

OTTO I., M. B. comes Ascaniæ	—	IVDITH, alii *Agnetem*, ducissam Saxoniæ, ei adscribunt.

HENRICVS, marchio Soltwedelensis	THEODORICVS, marchio Tangermundensis	ALBERTVS II., M. B. comes Ascaniæ elector	OTTO II., M. B. comes Ascaniæ elector.	MARGARETHA, nupta *Ottocaro* Bohemo.

OTTO ET ALBERTVS FRATRES
COMITES ASCANIAE
MARCHIONES BRANDENBVRGENSES ET S. R. I. ELECTORES.

OTTONI I. succeſſit filius OTTO II. & præfuit annos VII., menſes VI., dies III. Mortuus eſt enim A. C. MCCVI., III. non. Iulii ſine prole; *Martyrologium* vero *Hauelbergenſis eccleſiæ* habet IV. non Iul. A. MCCV. Quæ BROTVFIVS annotat de hoc marchione, legat, qui velit.

donat varia eccleſiæ Brandenb.

OTTO I. canonicis eccleſiæ Brandenburg. dedit *Obulam ſuperiorem* & *inferiorem*, cum inſulis, paludibus, pratis, meatibus, iudiciis, gurguſtiis, cum omni piſcatione & omni libertate A. C. MCLXXVII. A. vero MCCIV. dedit canonicis villam *Krile*, a BORCHARDO de PLOZIGK ad vſum canonicorum reſignatam.

ALBER-

ALBERTVS, FRATER OTTONIS, COMES ASCANIAE, MARCHIO BRANDENBVRGENSIS.

ALBERTVS II., ſecutus fratrem OTTONEM, præfuit ab ipſius morte annos XV., menſes V., dies XXVIII. Obiit enim C. MCCXXI. *Manuſcriptus catalogus epiſcoporum Brandenbur-nſium* ponit annum mortis in A. MCCXX., VI. cal. Martii.

M. HENRICVS BVNTINGIVS ſub A. MCCXXVIIII. notat, ALBERTO, ſocero, ſuppetias tuliſſe OTTONEM, nerum, ducem Brunſuic., contra GERHARDVM, *epiſcopum emenſem* apud *Itzeho*, & ibi vtrumque, & marchionem & OT-ONEM, captos eſſe ab HENRICO, *comite Suerinenſi.* Videndum tur de tempore mortis: forſitan MCCXX. legendum eſt.

bellat cum Bremenſibus

Annales Pomeranorum habent, ALBERTVM, marchionem, citer A. C. MCCXVI. vaſtantem terram *Vkeram*, propul-n eſſe a fratribus BVGISLAO & CASIMIRO, ducibus Po-raniæ, ad quos duos pertinuit is tractus. SPANGENBER-VS *p. 296.* facit mentionem OTTONIS, *march. Brand.*, quod ppetias tulerit OTTONI IV. Id accidiſſe A. MCCXVI. ad bem *Hamburgum*, annotat BVNTINGIVS *p. 89.*

& Pomeranis.

A. MCCVIII. ALBERTVS multa contulit monaſterio *endſee.* WOLFG. IVSTVS annotat, ALBERTVM hunc con-*Pomeranos* ædificaſſe arcem *Oderberg* in Odera, eundemque la geſſiſſe contra ALBERTVM, *archiepiſcopum Magdeburgen-*. A. MCCVIIII. adfuit Romano imperatori, OTTONI IV., in nitiis Wurzburgenſibus, vid. SPANGENBERG *pag. 291.*

A. MCCXVI. obiit SIEGFRIDVS, *comes Oſterburgenſis*, vl-us eius gentis. Sepultus eſt ALBERTVS *Lenini.* Coniugem dſcribunt MECHTILDIN, filiam CVNRADI, *marchionis ariæ*, filii DEDONIS, *comitis Rochlicienſis.* Tempore huius rchionis, A. circiter MCCXV., imperatorem Romanum TONEM IV. veterem Marchiam vaſtaſſe, ſcribitur, ſi-

mors coniux

Marchia vetus bello vaſtatur

cuti etiam prioribus annis cum ALBERTO, *episcopo Magdeburgensi*, cruentum prœlium commisit. *Chronica Magdeburg.* WERNERI annotant, OTTONEM IV. A. C. MCCXII. prœlio vicisse ALBERTVM, *antistitem Magdeburg.*, eo quod hostibus imperii sese adiunxerit. Commissa est pugna die Barnabæ ad *Remkersleben*: post quam pugnam verisimile est, exercitum OTTONIS vicinos fines veteris Marchiæ depopulasse: redintegrauit enim OTTO incursiones A. MCCXV.

ALBERTVS hic propagator est familiæ marchionum, & descendunt ab eo duæ lineæ, quarum altera electores, altera marchiones tantum continet, sicut sequentia diagrammata ob oculos pingunt:

ALBERTVS II., march. Brand., comes Ascaniæ	— MECHTILDIS, filia *Cunradi*, march. Misnicæ		
OTTO III., cognomine *Bonus*, M. Br.	IOHANNES I., M. Br.	MECHTILDIS, nupta *Ottoni*, Brunsuicensi, filio *Wilhelmi*, nepoti *Henrici Leonis*	BEATRIX, nupta *Hermanno*, Landgrauio Thuringiæ

In cœnobio *Marienthalensi* sunt sepulti tres marchiones Brandenburgenses, qui sine dubio e stirpe sunt orti Ascania, quorum epitaphium est sequens:

Hic sunt sepulti Marggrauii filii culti,
Otto, Cunradus, Volradus tegmine petræ,
Brandenburgenses requiescunt pace perenni.

Stendaliæ templum cathedrale conditur.

HENRICVS, frater vtriusque, dictus *comes Soltwedelensis*, extruxit templum cathedrale in *Stendalia* A. C. MCLXXXVII. Obiit ibidem in vigilia epiphaniorum A. C. MCXCII. Sepultus in templo S. Nicolai, a se condito, & quia plerumque *Tangermundæ*, quam ampliauit, & in ea templum S. Stephani A. MCLV. ædificauit, versari solitus fuit, dictus est *marchio Tangermundensis*.

Linea

Linea electorum Brandenburgensium

e familia Anhaltina.

IOHANNES I., M. Br. — coniux Ima, IVDITHA, regina Daniæ — coniux IIda, SOPHIA, filia ducis Saxon. *Alberti*. HENRICVS, Sangerhusanus — coniux IIItia, HEDWIGIS, filia *Barnimi*, ducis Pomer.

HELENA, filia *Theodorici* March. Lusat. & Landsberg. — IOHANNES II., M. Br.

- MECHTILDIS, vxor *Ottonis IV.* Rom. Imp.

OTTO, *Sagittarius*

HELENA, coniux *Theodorici*, filii *Henrici Illustris*, March. Misn.

ERICVS, Episc. Magdeb.

CONRADVS I., M. Br.

HERMANNVS, comes Henneb. El. Br.

- AGNES, nupta *Woldemaro*, M. Br.
- IOHANNES, sub tutela *Woldemari*
- BRIGITTA
- MECHTILDIS

coniux Ima, CONSTANTIA — CVNRADVS I., M. Br., S.R.I. El. — coniux IIda, BRIGITTA, soror *Helenæ*, quæ nupsit fratri *Iohanni II.* — coniux IIItia, SOPHIA, filia *Erici VIII.*, regis Daniæ

OTTO, dominus ordinis Templariorum

IOHANNES IV.

CVNRADVS, ordinis Teutonici

FRIDERICVS, in pueritia mortuus

WOLDEMARVS, M. Br., S. R. I. elector, vltimus in hac familia

- HELENA, nupta *Henrico*, Brunsuic.
- CATHARINA, nupta *Magno*, duci Brunsuicensi, qui dictus fuit *Torquatus sub aurea catena*, quam, patrem *irridens*, portare solitus fuit, obiit A. MCCCLXXIII. *Cuspinianus* in *Ruperto* scribit, *Catharinam* hanc fuisse matrem *Friderici*, ducis Brunsuic., electi Romani imperatoris.

AGNES, filia *Hermanni*, patrui.

GERTRVDIS, nupta *Ordolfo*, Saxoni, nepoti *Hermanni Billichii*.

Linea marchionum Brandenburgensium

e familia Anhaltina.

OTTO III., cognomento *bonus* siue *pius* — BEATRIX, filia *Ottocari*, regis Bohemiæ.

- IOHANNES, Pragensis
- OTTO, *paruus*,
- OTTO, *longus*, de eo vid. *Dubrauius l.18.* — IVDITHA, filia *Hermanni*, comitis Naumburg.
- MECHTILDIS, vxor Illtia *Barnimi* I., ducis Pomeraniæ
- ALBERTVS III.

Children of OTTO *longus* and IVDITHA:

- OTTO, Iohannita
- HERMANNVS, episcopus Hauelb.
- ALBERTVS IV.
- BEATRIX, nupta Silesio
- IVDITHA, nupta *Rudolpho* I., Sax., obiit VII. id. Maii MCCCXXIIX.
- AGNES, nupta *Henrico* probo, duci Vratislauiensi. *Annales Silesiæ p. 81.* eam nominant *Mechtilden*
- CVNEGVNDA, sacerdos

Children of ALBERTVS III.:

- BEATRIX, vxor *Henrici Leonis*, quæ dotis loco accepit comitatum Stargardensem
- AGNES, sponsa *Nicoloti*, regis.

His typis Anhaltinæ familiæ in Marchia Brandenburgensi, quæ non nihil a vulgaribus genealogiis discrepant, vt plus lucis accedat & veritatis, pergam in historia marchionum.

IOHANNES I., ELECTOR, ET OTTO III., FRATRES, COMITES ASCANIAE ET MARCHIONES BRANDENBVRGENSES

Iohannes I. & Otto III. cum matre concordes imperant.

IOHANNES I. & OTTO III., fratres, nati patre ALBERTO II. & matre MECHTILDE, filia CVNRADI, marchionis Lusatiæ, successerunt patri admodum iuuenes A. C. MCCXX., & simul præfuerunt Marchiæ, matre adhuc superstite. Maximis effertur laudibus concordia & vnanimitas horum duorum fratrum in gubernatione, qua nihil solet esse rarius inter sanguine coniunctos. Matrem cum filiis in *Soltwedel* veteris Marchiæ simul vixisse, & aulæ sedem ibi fuisse, sequens diploma, quod post obitum matris perscriptum est, manifeste docet: *in nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis,* OTTO, *Dei gratia marchio Brandenburgensis, omnibus in perpetuum. Honestati principum conuenit & honori, eos, qui ipsis, zelo deuotionis accensi, fideliter obsequuntur, non solum in suis antiquis iuribus tueri pariter & fouere; immo nouis & honestis, tam iuris, quam gratiæ, muneribus, tam decenter quam honorifice, decorare. Nouerint igitur tam præsentes, quam posteri, præsentem paginam inspecturi, quod nos Burgensibus nostris dilectis in Lenzen omne ius dedimus, & tali omnimode voluimus iure gaudere, quo aliæ terræ nostræ ciuitates gaudent, & hactenus sunt gauisæ, hoc adiicientes, & talem eis gratiam facientes, quod per terram nostram, quocunque in suis negotiis iuerint vel vexerint, ab omni teloneo & angaria,*

garia, ſicut aliæ noſtræ ciuitates, liberi maneant omnimode & immunes. Præterea voluimus, vt & ipſi noſtri Burgenſes in Albea & in Eldena eo iure fruantur, & ea omnimoda libertate, qua tempore comitis GVNCELINI *& comitis* BERNARDI, *quando ciuitatem Lenzen ad ſuas manus tenebant, de ipſorum gratia fruebantur. Item volumus, vt ſententias iudiciarias, quæ inueniendæ fuerint, inter ſe inueniant, ſecundum iuris ordinem, quem hactenus tenuerunt, & ſecundum ordinem legis ſuæ iura dent adiacentibus ſibi villis. Si vero huiusmodi ſententias inter ſe adinuenire nequiuerint, ad ciuitatem noſtram Soltwedel requirere debent ſua iura. Vt igitur hæc prædicta validum robur obtineant, & perpetuæ firmitatis ſortiantur effectum, præſentem paginam conſcribi iuſſimus, ſcilicet ipſius & ſigilli noſtri munimine conſignari. Huius rei teſtes ſunt fideles noſtri,* ALVERICVS *de* KERCKOW, OLRICVS *de* KRVGE, GERHARDVS *de* STEVENOW, REINOLDVS *de* GLAWEZIN, ARNOLDVS *plebanus de Lenzen, & alii quam plures. Datum apud Soltwedel, per manum* HENRICI, *curiæ noſtræ notarii, anno domini millesimo, ducenteſimo, quinquageſimo ſecundo, V. idus Iulii.*

Initia gubernationis horum adoleſcentum, ſicut totum fere curriculum, valde difficilia fuerunt, & quia ſimul adminiſtrarunt rempublicam, prius bella adnumerabo, deinde, quæ de quolibet extant fide digna, ſeparatim ad notabo.

Bella cum Thuringis A. C. igitur MCCXXIX. ALBERTI, comitis Thuringiæ in *Kefernburgk*, & *archiepiſcopi XVIII. Magdeburgenſis*, copias, quæ 1) Brandenburgo appropinquarant, ad Hauelum iuxta *Kletterbach*, non procul a Brandenburg, vicerunt & fugarunt. Locus *Kletterbach*, (quem latine flumen diſcordiæ, ſiue certaminis, diceres,) an is ſit, qui hodie *Klæterpott* ante nouam ciuitatem Brandenburgenſem dicitur, haud ſcio: conueniunt enim circumſtantiæ loci & nominis, vt de occaſione belli, cuius memini in OTTONE I., hic nihil dicam.

Sangerhusam acquirunt

A. C. MCCXXXI. iidem fratres oppidum *Sangerhusen*, cum suis attinentiis, sibi acquisiuerunt. Vnde postea HENRICVS, filius IOHANNIS, *Sangerhusanus* dictus est. Hæc BROTVFIVS & post eum SPANGENBERGIVS.

2) Halberstadensibus, Otto capitur

A. C. MCCXXXVIII. OTTO, frater IOHANNIS, dum incautius pugnat, intercipitur ab equitibus LVDOLPHI, *episcopi Halberstadensis*, & captus seruatur in arce *Langenstein*, donec ad nutum victoris se redimeret, numerando MDC. marcas argenti, & tradendo *oppidum Aluensleben* cum suis attinentiis. CRANZIVS *lib. VII. cap. XXIII. Vandaliæ*, SPANGENBERGIVS, *chronica Saxonica*. Anno eodem lis orta est inter IOHANNEM, marchionem, & HENRICVM, marchionem Misnensem, propter *Coepenick* & *Mittenwalde*, oppida, in finibus Marchiæ sita. SPANGENBERGIVS.

Brandenburgensis episcopus capitur ab Hauelbergensi

Anno sequenti, secundum annotationem *chronicorum Saxonicorum*, episcopus *Hauelbergensis* captiuum abduxit episcopum *Brandenburgensem*, nulla tamen nominum vel occasionis mentione facta. Existimo autem, hoc anno MCCXXXIX., *Hauelbergi* WILHELMVM, *Brandenburgi* vero GERHARDVM sedisse.

Ludolphus, Halberstad. episc., capitur

A. C. MCCXL. iterum commissum est prœlium in veteri Marchia ad *Bisam* flumen, milliari distans ab vrbe *Osterburg*, in hoc victoriam obtinuerunt marchiones. LVDOLPHVS, *episcopus Halberstadensis* captus est, & sexaginta nobiles cum eo: seruatus in custodia per semestre, donec pro redemptione sui redderet MDC. marcas argenti, & oppidum *Aluensleben*, quod λύτρον OTTO ipsi prius exposuerat. HILDEBRANDVS autem XX., *archiepiscopus Magdeburgensis*, frater ALBERTI XVIII., antistitis, vulnere accepto, fugit in arcem *Calbe*. *Chronica Saxonica* scribunt, A. MCCXXXIX. mortuum fuisse RVDOLPHVM, episcopum Halberstadensem.

3) Misnensibus

Eodem anno OTTO, marchio, fugauit HENRICVM, *Misnensem*, non procul a *Mittenwalde*. SPANGENBERGIVS.

A. C.

A. C. MCCXLIV. denuo pugnarunt fratres contra HILDEBRANDVM, archiepiſcopum, & HENRICVM, *Miſnenſem*, quem in ſuas partes attraxerant antiſtites, ad pontem *Plauenſem*: victoria potiti ſunt marchiones, quibus auxilium tulit OTTO, *dux Brunſuicenſis*, affinis eorum: ſed victus euaſit HILDEBRANDVS, vid. *chronica Magdeburgenſis* in Hildebrando. Cauſas horum bellorum & mutuorum conflictuum quidam volunt eas eſſe, quod marchiones noluerunt ratam habere donationem aui OTTONIS I., cuius ſuperius mentio facta eſt. Præter has irruptiones, ex inſtinctu epiſcoporum, circa hæc tempora etiam *comites Herciniæ* cum nobili *Buſſone de Erxleben* veterem Marchiam prædabundi vaſtarunt: ſed a *Stendalienſibus* victi & fugati ſunt. Conſul WERNERVS KALBE in prælio cecidit. *Chronica Saxonica* addunt, pacem demum conſtitutam eſſe, opera & conſilio duorum militarium, GOTTFRIDI de WEDDINGEN & BVRCHARDI ab ERXLEBEN. Tantum de bellis horum fratrum.

vetus Marchia inuaditur.

Quomodo autem Marchiam poſt obitum matris partiti ſint, ERNESTVS BROTVFIVS commemorat. In hac partitione IOHANNES Brandenburgum ad Hauelum retinuit: OTTO vero Brandenburgum in Megapolenſi ditione accepit. Pertinuerunt enim præter hanc multæ aliæ ciuitates, quæ nunc ducibus parent, ad marchiones Brandenburgenſes. Imo, ciues Brandenburgenſes in Megapolenſi ducatu priuilegia ſua a marchionibus Brandenburgenſibus habent. IOHANNES A. C. MCCXLIX. veteri ciuitati Brandenburg vetera priuilegia confirmauit, & noua plurima contulit.

Fratres hi Marchiam diuidunt.

Coniuges tres habuiſſe, genealogiæ docent, I.) IVDITHAM, *reginam Daniæ*, qua nati ſunt liberi, quos ſuperiori diagrammate nominauimus: II.) SOPHIAM, filiam *ducis Saxoniæ*, *matrem* HENRICI, *Sangerhuſani*: III.) N.N., filiam BARNIMI I., *Pomerani*, cum qua, dotis loco, accepit *Vckermarchiam* cum metropoli *Primislauia*, quam poſtea etiam ampliauit.

coniuges Iohannis.

mors Iohannis uit. Nomen huius coniugis HEDWIGIS fuisse, volunt. Annus nuptiarum postremarum assignatur MCCXLIV., cum praecedenti MCCXXXV., VI. calend. Ianuar., BARNIMVS ciuitatem liberam in *Prenzlau* instituere decreuisset.

IOHANNES prior fratre obiit, A. C. MCCLXVI., prid. non. Aprilis, sepultus in cœnobio *Chorin*, a se condito, in quo hi rhythmi leguntur:

O felix Lenin! filia tua Chorin
Ex te est orta, filia tua Cœli Porta.
vel potius:
Et Cœli Porta de te cognoscitur orta.

Vxor Ottonis OTTONI, fratri, nuptam fuisse BEATRICEM, filiam OTTOCARI, *regis Bohemiæ*, scribunt, de cuius liberis in praecedenti diagrammate. *mors eius* Decessit proximo anno post fratrem. Sepultus *Strausbergæ* in choro cœnobii Minoritarum, quod ipse condidit. Præfuit IOHANNES, elector, ab obitu patris OTTONIS II, annos XLIV., menses III., dies III.

Nunc, relicta linea OTTONIS, pergam in linea electorali IOHANNIS I. His duobus fratribus *Lebussense* territorium oppignorauit, A.C. circiter MCCLII., BOLESLAVS CALVVS, *Silesius*, vid. MART. CROMERVS *lib. VIII.* M. HENRICVS BVNTINGIVS vero notat, quod A. MCCLII. OTTO PIVS auxiliares copias adduxerit genero suo, OTTOCARO, *regi Bohemiæ*, contra BELAM, *regem Hungariæ*, fratrem ELISABETHÆ: *Otto bellat contra Hungaros,* comites itineris habuit principes agnatos, ALBERTVM, *electorem Saxoniæ*, & ALBERTVM, *ducem Brunsuicensem* & *Luneburgensem*, natum ex sorore MECHTILDE. Sub his marchionibus insolentiam *Asseburgiorum*, occasionem præbente BVSSONE quodam ASCIBVRGIO, ALBERTVS, *Brunsuicensis*, grauiter vindicauit A. MCCCLVIII. Idem M. HENR. BVNTINGIVS significat, OTTONEM I. adhuc vixisse A. MCCLXIX. & eo anno *Quedlinburgi* transegisse inter fratres cognatos principes ALBERTVM & IOHANNEM, *duces Brunsuicenses* & *Luneburgenses*,

renſes, e ſorore ipſius MECHTILDE natos, in partitione di-
ionum ſuarum, *fol. 99.* OTTOCARVS, *Bohemiæ rex* quintus,
ui regnare cœpit A. C. MCCLIV. marchionibus Brandenb.
lonauit *Luſatiam ſuperiorem*, ſeu terram *Budiſſinenſem*: ita enim
OHANNIS I. filius IOHANNES II. ſuo & fratrum ſuorum
TTONIS & CVNRADI nomine in reſcripto A. MCCLXXII.
eſtatur, totam terram *Budeſinem*, & terminos illius, regem
ohemiæ progenitoribus eorum dediſſe. Acceſſit & *inferior*
uſatia ſub ALBERTO, *marchione Brandenburgenſi*, qui A. C.
ICCXCVI. ſe adiunxit ADOLPHO, cæſari, ducenti exercitum
n *Thuringiam*. Verum, poſt WOLDEMARI, vltimi marchio-
is, tempora, *Bohemi* vtramque oppugnarunt, & tandem ſub
IENRICO, *Luceburgenſi*, & filio eius IOHANNE, occupa-
unt. Titulum autem *marchionis Luſatiæ* retinuerunt fratres
auari, vsque ad CAROLVM IV., vt initia diplomatum ha-
ent. Quomodo autem inferiorem Luſatiam a LADISLAO,
ege, acceptam, FRIDERICVS II., *marchio Brandenburg.*, A.
ICCCCLXII. coactus ſit concedere GEORGIO PODE-
RACIO, inferius indicabo.

Luſatia ſuperior donatur marchionibus

OHANNES II., CVNRADVS I., ELECTORES, OTTO ET ERICVS, FRATRES, FILII IOHANNIS I., MARCHIONES BRANDENBVRGENSES.

OHANNES II. ſucceſſit patri IOHANNI I., & ſicut diplo-
mata publica docent, cum fratribus ſimul præfuit, & vno
efuncto, alterum poſt alterum electoris munus obiiſſe, poſtea
otabo, nunc bella quædam adſcribam.

Bellant cum Polonis marchiones

A. C. MCCLXIV. BOLESLAVS, *dux Calissensis*, cum CVNRADO, *marchione Brandenburgico*, de *Santoco* bellum incruentum gessit. Marchioni, oppugnanti arcem, nuncium misit BOLESLAVS, & recepit, se pacta seruaturum. Itaque CVNRADVS abstinuit bello, & BOLESLAVS, deducto præsidio arcem demolitus est, & sic initia belli restincta sunt.

A. C. MCCLXVIIII. hoc bellum recruduit ea occasione: OTTO, *marchio*, frater CVNRADI, arcem *Silenciam* inter *Lubussum* & *Medireciam* extruxit. Hoc BOLESLAVS ita accepit, vt Santocense territorium eo facilius in suam potestatem redigere possent marchiones. Itaque *Medireciam* vicissim fossis & ligneis propugnaculis munire cœpit. Nondum perfecta munitione, OTTO, cum expedita manu aduolans, *Medireciam* oppidum, arce frustra tentata, diripit & incendit. BOLESLAVS fugientem insequitur, & cum eum intra suos fines consequi non posset, Lubussense territorium per circuitum vastauit, & ad *Sulenciam* reuersus, eam cum præsidiariis igne vastauit & solo æquauit. Anno sequenti, cum BOLESLAVS *Cracouiam* profectus esset, OTTO, *marchio* magna celeritate vsus, *Santocensem* arcem ligneis propugnaculis, vallis, fossis, commeatu & præsidio muniuit. BOLESLAVS reuersus vicissim *Drenum* instaurauit, &, imposito præsidio, discessit. Santocense vero præsidium, cum negligentius arx *Drenum* custodiretur, noctu eam intercepit, & ita in OTTONIS potestatem redacta ea est. Sed BOLESLAVS irritatus *Santoci* occupatione & *Dreni* ereptione, coactis magnis copiis, bellum intulit marchionibus Brandenburgensibus A. C. MCCLXXI., & cum illi, munitionibus sese defendentes, ad prœlii dimicationem non descenderent, vastato Santocensi agro, ad *Soldinum* duxit, & scalis admotis, oppidum cepit, diripuit, incendit & magnam prædam abegit. Anno sequenti CVNRADVS, *marchio*, auxilia tulit WARCISLAO, *Pomerano*, contra fratrem MESCINGVM, hac conditione, vt pro iusta remuneratione

Geda-

edanum, pignoris loco, acceperit: WARCISLAVS in ipſo pparatu belli moritur: MESCINGVS *Gedanum* repetit: neat ille ſe redditurum, niſi ſumtus belli exſoluantur: MESCINVS in auxilium vocat BOLESLAVM, & huius ope vior euadit. Poſt quatuor menſes expeditionem contra mariones iterum fecit BOLESLAVS, eique præfecit PREMISVM, fratris filium, iuuenem ſedecim annorum. *Dreno* prærito, vaſtatur longe lateque hoſtilis regio, quæ cis *Oderam* t. *Strele*, arx haud ita pridem a CVNRADO condita, exugnatur, diripitur, exuritur: *Drenum* recipitur: ſæuitur in omines, agros atque tecta: abigitur ingens præda. Sex dede totis annis vtrinque ab armis ceſſatum eſt. Hæc M. ROMERVS *lib. VIIII.* Quod vero CVSPINIANVS ſcribit, electione RVDOLPHI, *Habsburgenſis*, quæ facta eſt A. CCLXXIII. *Francofurti ad Mœnum*, muneribus corruptum iſſe marchionem Brandenburgenſem: id de IOHANNE intelligendum eſſe, numerus anni docet. Circa hoc temis electionis celebris apud RVDOLPHVM fuit FRIDERIVS, *comes in Zollern*, *burggrauius Norimbergenſis*, de quo in ſteris ipſius deinceps dicam.

Fridericus, burggrauius Norimbergenſis.

A. C. MCCLXXVIII. commiſſum eſt prœlium inter IOANNEM & OTTONEM, *marchiones*, & GVNTHERVM XIV. *epiſcopum*, & ciues Magdeburgenſes. Marchiones ſoos adſciuerunt ALBERTVM, *Brunſuicenſem*, VLRICVM, *coitem de Regenſtein*, *comites de Mansfeldt & Arſtein*. OTTO, *archio*, cum exercitu propius acceſſit, & caſtra poſuit ad opidum *Vroſe*, non procul a *Magdeburg*. Epiſcopus & ciues buiam proceſſerunt, commiſſa eſt pugna in die Pauli eremie: captus OTTO & trecenti equites: equus ipſius, ſicut fie debere ipſe eodem die minitatus fuerat, in templo catheali per noctem ſeruatus eſt. Redemit ſe ſeptem millibus arcarum argenti. *Comes de Arſtein* in conflictu periit. Sed TTO bellum redintegrauit ad oppidum *Stasfurdt*, vbi ſagitta

marchiones cum Magdeburgenſibus bellant

ta percuſſus, cognomentum *ſagittarii*, ſiue *cum telo*, adeptus eſt. *Chronica Magdeburgenſia* WERNERI meminerunt, OTTONEM contra voluntatem GVNTHERI dimiſſum eſſe: quamobrem ita commotum GVNTHERVM, vt ſedem ſuam reliquerit. *Centuria XIII. col. 1102.* Canonici nonnulli, pecunia corrupti, *ſeniore de Borck* id conſilii ſuggerente, ſuadent dimiſſionem marchionis: ſed vbi reſciuit GVNTHERVS, impatientia victus, ſua ſponte reſignauit, inquiens: *ſuos canonicos nec Mauritio nec ſibi fideles eſſe.* Nondum præfuit uno anno. Defuncto GVNTHERO, marchiones bellum renouarunt contra BERNHARDVM, ſucceſſorem eius: BERNHARDVS ſociis OTTONE, *epiſcopo Hildesheimenſi, duce Saxoniæ*, & ALBERTO, *marchione Brandenb.*, patruele OTTONIS, *Wolmerſtadium*, quod parebat marchionibus, cepit. THEODORICVS, *marchio Miſnenſis* & *de Landsberg*, captus eſt in prœlio, ſed mox dimiſſus. OTTONI ſuppetias tulit ALBERTVS, *dux Brunſuicenſis*, qui, redintegrato prœlio, iterum victoriam obtinuerunt: compoſitum eſt bellum ab *epiſcopo Merſeburgenſi* & GEBHARDO, *comite de Querfordt.* CRANZIVS *lib. VII. cap. XXXVII. XXXVIII. chronica Saxonica* SPANGENBERGII. Cauſas horum bellorum præcipue duas fuiſſe, conſentaneum eſt: alteram OTTONIS, boni patrui captiuitatem: alteram, ſpreti fratris ERICI iniuriam, qui tamen circiter A. MCCLXXXII. a capitulo Magdeburgenſi ſuſceptus eſt.

cum Polonis. A. MCCLXXVIII. BOLESLAVS, *Calisſienſis*, cum PREMISLO, fratris filio, auctus auxiliis Pomeranorum, ob *Santocum*, expeditionem contra marchiones Brandenburgenſes reſumſit. Huic vaſtanti hoſtilem regionem cis *Oderam* cum occurreret OTTO, *Longus*, filius OTTONIS III., ſeu *boni*, apud *Soldinum* commiſſo prœlio, funditur, fugaturque, ac deinde intra munitiones arcium ſe continet. BOLESLAVS, victor, omnem oram cis *Oderam* peruagatus & depopulatus, exercitum dimiſit, & intra annum febri extinctus eſt. Hæc CROMERVS *lib. VIIII.* Præ-

Præter hæc bella, quæ gesserunt marchiones cum vicinis episcopis & *Polonis*, etiam cum ducibus *Megapolensibus*, IOHANNE & HENRICO, de finibus & alternis iuribus contenderunt, A. MCCLXXXIII., quæ disceptationes latius exponuntur a CRANZIO, *lib. VII. cap. XXXVIIII. Vandal.* Nam ea, quæ *lib. VIII. cap. IV. Vandal.* enarruntur, ad tempora WOLDEMARI pertinent. Nos historiam NICOLAI, *domini Vandalorum*, cui ironiæ & facetiæ cognomen *ironici* & *faceti* pepererunt, verbis CRANZII adscribemus. Is igitur *lib. VII. cap. XXXV. Vandal.* sic inquit: *marchiones Brandenburgenses, insigni, tunc, vt nunc, electuræ principatu, Vandalorum principes suos habuere satellites. Vestem illis curialem, quomodo domesticis, misere, eam honorifice excepit* NICOLAVS, *& cum prodiret in conspectum, ea tectus ibat. Erat controuersia de finibus: ventum est in cœtum ad tractandum super rebus: male sibi timuit* NICOLAVS, *nouit superbiam maioris principatus, armauit validam suorum manum,* & *clam habuit tectos vmbris & nemoribus: iussit tamen expectare signum, stare suspensos, vt, cum ille pileum suum proiiceret ludibundus in altum, erumperent. Cœperunt tractare magnates supra controuersiis: ille de suorum consilio, quod visum est in rem, iussit responderi: ex verborum alterna contentione cœpit indignatio marchionum clarescere:* NICOLAVS *risu excepit rem: quantum est, inquit, si illustres vos marchiones hominem tenuem Vandalum, vestra veste tectum, opprimere contendatis? sit æquum, et iustum inter nos iudicium, alioqui, si vim paratis, indecorum est, vestra veste contectum accipere iniuriam. Si omnino, vt apparet, indignantes sæuire paratis, sinite, honoris gratia, vt vestem ponam, quam dedistis, ne crebrescat rumor, domesticum marchionem per vim oppressum. Cum murmur cresceret, & altius iræ spirarent reputantium sibi illudi, visum est* NICOLAO *prope esse, vt vim intentarent: putabat, non expectandum, sed ludens de more suo, pileum suum proiecit in aera. Acceperunt signum, qui latuere, & incursione facta, nudarunt arma. Marchiones non tam ad arma*

& cum Megapolensibus.

 para-

parati secesserunt, nec tamen sine cæde & sanguine transigi potuit, capti feruntur aliquot militares. Sed NICOLAVS *qualicunque consilio ita rem peregit, vt sua tueretur. Ioculares nonnunquam prætulisse leuitates, videbatur, sed non degenerauit exitus a sapientis prouidentia. Stabat aliquando in conspectu marchionum ad similes causas de finibus contrectandas, &, cum quadrare sibi responsa non viderentur, detracto pileo, ecce, inquit, caluus Vandalus: rursus reposito: ecce, audacissimus miles, cachinno excipitur a magnatibus, sed tam illius iocos, quam aliorum grauitatem verebantur.*

Iohannis coniuges. Iam, omissis bellis, ad vitam & coniugia marchionum reuertor. IOHANNI duas coniuges adscribunt, alteram HEDWIGEN *de* WERLE: alteram HELENAM, filiam THEODORICI, *marchionis Lusatiæ* & *Landsbergensis*, quæ obiit post maritum, A. MCCLXXXVII.

Sub A. C. MCCLXXXIX. in comitiis Erfordiensibus, præter alios principes RVDOLPHO, *Habsburgico*, Rom. imp., adfuit TILO, *marchio Brandenb.* BVNTING *fol.101.* SPANGENBERGIVS, eum fuisse fratrem OTTONIS, *longi*, asserit. WOLFG. IVSTVS vero inter filios IOHANNIS I. numerat. CVNRADO

Conradi coniuges. I. tres fuisse vxores, annotant, I.) CONSTANTIAM, filiam PRIMISLAI, *ducis Posnaniensis* in Polonia, cum ea magnam partem terræ ad *Wartam* adeptus: II.) BRIGITTAM, filiam THEODORICI, *marchionis*, sororem HELENÆ: III.) SOPHIAM, filiam ERICI VIII., *regis Daniæ*. Alii quartam adnumerant, *nobilem Sandauiensem*, vel *Staudensem*.

Ottonis coniux. OTTONEM in coniugio habuisse volunt ZILLECAM seu HELICAM, filiam IOHANNIS V., *comitis Holsatiæ*. De liberis horum marchionum in præcedentibus diagrammatibus.

Iohannis IOHANNES obiit A. C. MCCLXXXI., IV. id. Sept., in *martyrologio vero Hauelbergensi* est annus MCCLXXXII. CVN-

Conradi RADVS obiit in oppido *Schwedt*, vt annotauit quidam *Franciscus*, cuius liber germanice scriptus extat apud S. MELLE-

MAN

MANNVM, A. C. MCCCIV. OTTO autem poſt CVNRADVM, A. MCCCVIII., ſepulti vna in cœnobio *Chorino*.

& Ottonis mors.

imperium eorum

Nunc de annis præfecturæ videndum. Initio ſimul præfuiſſe hos fratres, &, vno defuncto, alterum electoris dignitatem vſurpaſſe, videntur docere diplomata publica. quorum initia talia ſunt: nos IOHANNES, OTTO & CVNRADVS, &c. A. C. MCCLXXV. OTTO *&* CVNRADVS, *marchiones Brandenburg. de Landsbergk*, A. MCCXC. OTTO *Brandenburgenſis, Landsbergenſis & de Luſatia marchio*, A. MCCCVII. Hoc diploma docet, nomen OTTONIS de *Sagittario* intelligendum eſſe. Sic enim habet: *& nos* WOLDEMARVS *eadem gratia prædictorum dominiorum marchio & dominus, ordinationem huiusmodi gratam ac ratam habentes, vna cum prædicto chariſſimo patruo noſtro, marchione* OTTONE, *per prædictos nobis fideles rationabiliter & rite factam præcipimus, ſuo obtentu gratiæ noſtræ inuiolabiliter obſeruari.* OTTO *und* WOLDEMAR, *marggraffen tho Brandenburg, tho Landiſpergk und tho Luſitz*, A. C. MCCCVIII. WOLDEMARVS, *Brandenburgenſis, Luſatiæ & de Landsberg marchio, A. C. MCCCVIIII.* Erunt igitur anni præfecturæ horum trium fratrum a morte IOHANNIS I., vsque ad A. MCCCIX., excluſiue, quadraginta duo, menſes octo, dies ſeptem & viginti, ad quos etiam IOHANNIS III. gubernatio referenda. Superſunt vndecim anni, ad A. C. MCCCXIX., incluſiue, qui vltimus eſt huius familiæ in Marchia Brandenburgenſi. Hi igitur WOLDEMARO, vel ex tutorio nomine, vel ſua ipſius perſona, adſcribendi erunt, non animaduerſis aliorum adnotationibus, qui pluribus electoralem dignitatem tribuunt. Verum numeroſa proles marchionum, quorum nouendecim ex hac familia his temporibus ſimul vixerunt, difficultatem & obſcuritatem chronologiæ parit, & ſimul plures ſine diſcrimine, nec tamen diu præfuiſſe, & vnum poſt alterum breui interuallo obiiſſe, neceſſe eſt, cum in WOLDEMARO ſtirps deſiit. Hæc de tempore, quod etiam aliis diſcu-

tiendum relinquo, monuisse satis sit. Accedo ad fratres reliquos.

HENRICVS, filius IOHANNIS I., dictus est *Sangerhusanus*, eius & fratrum suorum OTTONIS & CVNRADI fit mentio in diplomate perscripto A. MCCLXXXXIIII., in die beati Seuerini. ERICI, marchionis, *episcopi Magdeburgensis*, initia valde difficilia fuerunt. Cum obsidio ad arcem *nouum Gattersleben*, duceretur, & episcopus cum fratre OTTONE, animi gratia, e castris in *Calbe* abiret, hostes, duce FALCONE *de* RHOEDERN, eruptione facta, manus conseruerunt cum exercitu, & victoria contenti, captiuis secum abductis, in arcem reuersi sunt. Episcopus captiuos redemit, parte *Lusatiæ* oppignorata. *Chron. Magdeb.* VVERNERI referunt, eum fratri vendidisse *Lusatiam.* OTTO autem hoc stratagema FALCONIS acerbius animo voluens, postea in templo D. Pauli curauit eum interfici, & protractum in latam viam *Magdeburgi* proiici. Hæc CRANZIVS *libr. VIII. c. XLI. Metropol.* Tempus mortis in catalogo episcoporum refertur ad A. C. MCCXCIV., XVIII. Decembr. Violatam concordiam inter ERICVM, *Magdeburgensem antistitem* & *Præsulem Misnensem* OTTO & CVNRADVS, marchiones, resarciunt, non. Iun., anni MCCLXXXIV. FABRICIVS *in supplemento. Chronica Magdeburgica* WERNERI annotant, A. MCCLXXXIX. ERICVM ab hostibus ex *Harlingsburgo* captum, & a *Magdeburgensibus* pro quingentis marcis argenti redemptum, liberatum esse: cum ipsum nec fratres marchiones, nec canonici redimere vellent. A. C. MCCLXXII. conuentus indictus est *Budissæ*, in quo Brandenburgii, IOHANNES, OTTO & CVNRADVS fratres marchiones per arbitros litem diremerunt cum præsule Misnensi propter eas villas, quas res Bohemiæ præsuli ademerat, & maioribus marchionum dederat, estque satisfactum voluntati præsulis. FABRICIVS *lib. II. annalium vrbis Misnæ*, *Chronica Magdeburgica centur. XIII. col. 1102.* ERICVS, Magdeburgicus præpositus, inui-

varia bella gessit.

inuitis ciuibus, a clero eligitur ſucceſſor BERNHARDI: ſiquidem diuturno bello eos non parum afflixerat. Vix poſt factam electionem aufugit, ſeſe per cloacam dimittens in cymbam, qua vectus *Wolmerſtadium* venit. Cum ciuibus poſtea rediit in gratiam, vt ipſum plurimi facerent.

SACRVM BVSTVM PRIGNISSÆ.

CIrca A. C. MCCLXXXVII. fundatum eſt cœnobium in *Prigniſſa*, milliari diſtans ab oppido *Prizwalck*, quod a ſepulchro Chriſti *das heilige Grab* appellatum eſt, & adhuc floret, &, abolitis ſuperſtitionibus monaſticis, reformationem admiſit. Extat narratio germanica typis LVDOVICI DIEZ, *Roſtochii*, A. C. MDXXI., excuſa. Latinum exemplar ibidem prodiit A. MDXVI. Ea facit mentionem HENRICI, *epiſcopi Hauelbergenſis* & OTTONIS, marchionis *aus der Vckermarck:* illius quidem, quod in grauem morbum ſubito inciderit, eo, quod flocci fecerit miracula Dominici ſanguinis: huius vero cum in eo loco, vbi nunc eſt ſacrum buſtum, arcem ædificare voluerit, & ex ſacrificiis oblatis epulas apparari iuſſerit, quod cibi illi in ſanguinem conuerſi fuerint. De quibus quisque pro arbitrio ſtatuat. Similis eſt hæc tota narratio illi, quæ accidit MDX. in epiſcopatu Brandenburgenſi, cuius in libro tertio mentio fiet.

cœnobium ſacri buſti conſtituitur.

Sorores conuentus, vt vocant, matrem ſuperiorem agnouerunt abbatiſſam, anno Domini MDLV., feria quarta poſt Lætare. ANNA *de* QVIZOW vſa eſt tali inſcriptione: ANNA *de* QVIZOW, *abbatiſſa totius conuentus ſepulcri Domini.* Hæc Latinis imbuta literis, cum poſt obitum IOACHIMI I., marchionis Brandenburgenſis, paſſim reformarentur eccleſiæ in Marchia Brandenburgenſi & in ipſis reformationibus politici ſtatus vel denegarent eccleſiaſticis ſolitos reditus, vel eos ad ſe raperent, hæc, inquam, acerrime reſtitit harpiis aulicis,

moniales eius

& posthabitis difficultatibus & periculis itinerum, a CAROLO V., R. I. in comitiis imperii coram impetrauit, ne cœnobium dissiparetur, neue ipsius pagi, bona & reditus, olim ad alendas virgines abunde collati, a secularibus distraherentur, non sine pudore inhiantium nobilium.

HERMANNVS, ELECTOR, ET HERMANNVS, EPISCOPVS HAVELBERGENSIS, MARCHIONES BRANDENBVRGENSES.

DVo fuerunt huius nominis marchiones: alter, filius IOHANNIS I., in linea electorali, alter OTTONIS, *longi*, in linea marchionum. Genealogiæ vulgares hunc electorem, illum episcopum nominant, nulla habita ratione lineæ electoralis & dispensationis pontificiæ, qua scribunt, WOLDEMARVM, filium CVNRADI, duxisse AGNETEN, filiam HERMANNI. Si enim HERMANNI, electoris, filii, OTTONIS, filiam, & per consequens abneptem proaui sui duxit WOLDEMARVS, ad quid opus fuit dispensatione papæ? nisi quis prohibitiones veterum canonum prætendere velit. Exempli gratia:

ALBERTVS II. — IOHANNES I.

IOHANNES I. | OTTO, *bonus* | CVNRAD. I. | HERMANNVS

CVNRADVS I. (filius IOHANNIS I.) | OTTO, *longus* (filius OTTONIS, *boni*) | WOLDEMAR. (filius CVNRADI I.) | AGNES (filia HERMANNI)

WOLDEMARVS (filius CVNRADI I.) | HERMANNVS (filius OTTONIS, *longi*)

AGNES.

Itaque

Itaque in superioribus diagrammatibus HERMANNVS, episcopus, inter filios OTTONIS, *longi*, & HERMANNVS, elector, in linea electorali, inter filios IOHANNIS I. numeratur. Vnde videre licet, WOLDEMARO, vt duceret patrui filiam, opus fuisse dispensatione pontificia. HERMANNVM, qui & comes Hennebergensis dictus est, & potens fuit, obiisse scribunt A. C. MCCCVIII., & sepultum *Lenini*. Hoc natus est IOHANNES V. eius nominis, qui fuit sub tutela WOLDEMARI, affinis sui, de hoc statim dicam.

Hermannus Iohannis V. pater

HERMANNVM, episcopum Hauelbergensem, qui XVIII. in ordine episcoporum numeratur, ante A. C. MCCXCVII. obiisse, successio seu catalogus episcoporum docet, in quo sine mentione familiæ, solum hæc nomina scripta sunt: HERMANNVS, *electus & confirmatus*, *obiit non consecratus*.

Hermannus Episcopus Hauelberg.

Ex genealogia *comitum Hennebergensium constat*, HERMANNVM, *episcopum Hauelbergensem, nequaquam esse filium* OTTONIS, *longi*. HERMANNVS, marchio, in matrimonio habuit ANNAM, filiam ALBERTI, Austriaci, sicut docet diploma, cuius in IOHANNE, filio, mentio fit, de qua caute videndum in dicto diplomate, quia in eo nominatur ANNA, *ducissa Wratislauiensis*, quæ ab ENZELIO tribuitur OTTONI, filio OTTONIS, *longi*.

A. C. MCCCIV. HERMANNVS & OTTO, *Sagittarius*, marchiones, auxilia tulerunt WENCESLAO, regi Bohemiæ contra ALBERTVM, imperatorem. SIEGFRIDVS, *Misnensis*, *l. II. epitomes*. Quomodo ergo filiam imperatoris in matrimonio habuit. A. MCCCVI. in die S. Gregorii, Papæ, vsus est tali subscriptione: HERMANNVS *Dei gratia Brandenburgensis & Lusatiæ marchio & dominus de Henneberg &c.* in diplom. Eberswaldensi.

bellum cum Alberto, Imp.

IOHAN-

IOHANNES IV., FILIVS CVNRADI, ELECTORIS, MARCHIO BRANDENBVRGENSIS.

CVNRADO I. nati sunt, præter alios liberos, IOHANNES, eius nominis IV., & WOLDEMARVS: de WOLDEMARO in fine dicemus. Ad IOHANNEM vero IV. referendas esse sequentes historias, existimo.

Iohannis IV. bellum cum Thuringis

Celebre est bellum, quod gesserunt pater & filii, comites prouinciales Thuringiæ, per annos XII., ab A. MCCLXXXI., vsque ad A. MCCXCIII., aut circiter. In hoc bello cum IOHANNES, marchio, exercitum duceret contra filios ALBERTI, FRIDERICVM & TICEMANNVM, quater cæsus fugatusque est a *Misnensibus*: 1.) apud *Misnam*: 2.) apud *Luccam*: 3.) apud *Hainam*: 4.) apud *Luccam* iterum, A. C. MCCXC., sicut habent WOLFGANGVS CRVSIVS & SPANGENBERGIVS.

interest electioni imp. Adolphi discordi.

A. C. MCCXCII. hic IOHANNES cum OTTONE, *Longo*, interfuit electioni ADOLPHI, *Nassouiensis*, *Francofurti* ad Mœnum. Et meminerunt historiæ, marchiones discordes fuisse inter se de iure electionis. GERLACVS enim, episcopus & elector Moguntinus, blandimentis OTTONEM (patrui suffragium OTTOCARVS, *Bohemus*, affectans imperium contra RVDOLPHVM etiam emerat) eo perduxit, vt ad se ius suffragandi, non ad IOHANNEM pertinere diceret. Et quanquam CVSPINIANVS *in Adolpho* hunc IOHANNEM nominet patruum OTTONIS, *Longi*: tamen ex serie temporum priorum constat, id nec de patruo, qui fuit IOHANNES I., &

mors

obiit A. C. MCCLXVI., neque de patruele IOHANNE II., qui mortuus est A. MCCLXXXI., sed de hoc IOHANNE IV. intelligendum esse, quem obiisse A. C. MCCCV., annotant. Videatur ALBERT. CRANZIVS *lib. VII. c. XLIX.*, *Vandaliæ*, in quo

quo mentionem facit IOHANNIS & OTTONIS, IOHANNIS filii & WOLDEMARI; itemque arcis *Lubze*, fundatæ a IOHANNE,

IOHANNES V., cognomento ILLVSTRIS.

HERMANNO, electori, quidam adſcribunt filium IOHANNEM, eius nominis V., & eum nominant *illuſtrem:* is obiit A. C. MCCCXII., pridie Palmarum, ætatis XVI., ſepultus *Lenini.* Alii eum IOHANNIS IV. filium fuiſſe, annotant. In hac opinione eſt CRANZIVS *lib. VII. cap. XLIX.* in *Vandalia*, cuius hæc ſunt verba: *per eadem tempora cum* OTTO, *marchio Brandenburgenſis, bellum in Vandalos perſeueranter ageret, arcemque a fratre inchoatam perfeciſſet, domum reuerſus ille, diem ſuum obiit.* IOHANNES *autem filium reliquerat paruulum: ſed* WOLDEMARVS, *amborum frater germanus, habuit gubernacula, nepotem ex fratre enutriens.* In pupillari ætate tutorem habuit patruelem & affinem ſuum, WOLDEMARVM, ad quem, poſt ipſius mortem omnis Marchia deuoluta eſt, ſicut mox dicam, poſtquam liberos OTTONIS, *boni*, & ſic march. Brandenburgicos, in altera linea, adnumeraui. Annotationes vulgarium genealogiarum refutat diploma A. MCCCXVII., feria poſt omn. Sanctor. perſcriptum: continet enim nomen IOHANNIS Brandenburgenſis & Luſatiæ marchionis, & nomen genitricis duciſſæ, ANNÆ, quæ fuit coniux HERMANNI, & nomen CATHARINÆ, coniugis, quæ fuit filia HENRICI, *Glogouienſis.* Duo ergo ex hoc diplomate conſtant, alterum, quod IOHANNES fuerit filius HERMANNI, alterum, quod vixerit adhuc A. MCCCXV. Priuilegia aliquarum ciuitatum confirmauit. Manuſcripti annales habent, IOHANNEM, cum fuit XVI. annorum, ſine liberis A. MCCCXVII., in vigiliis Palmarum, mortuum eſſe.

Iohannis

tutor eſt VVoldemarus.

OTTO LONGVS, IOHANNES, PRAGENSIS, ET OTTO PARVVS, OTTONIS PII FRATRES, MARCHIONES BRANDENBVRGENSES.

Otto est tutor Bohemiæ

OTTONEM, cognomento *longum*, filium OTTONIS, *boni*, præcipuæ auctoritatis principem fuiſſe, credibile eſt ex iis, quæ ex CVSPINIANO prius retuli, & docent hoc ingentia prœlia & res geſtæ eius in *Bohemia* & in *Polonia*. Poſt mortem OTTOCARI regnum *Bohemiæ* tutorio nomine, WENCESLAO, filio OTTOCARI, in Franciam abducto, annos V. ab eo gubernatum fuit. ÆNEAS SYLVIVS, CVSPINIANVS & DVBRAVIVS *lib. XVIII. & hiſtoria Brandenburgenſis Epiſcopi* GEVERHARDI. Meminit etiam huius tutelæ M. CROMERVS, *in fine lib. IX.*, quo in loco etiam ſcribit, OTTONEM, *longum*, apud *Soldinum* a PREMISLO fugatum eſſe, A. C. circiter MCCLXXVIII. WENCESLAO, Bohemo, cuius tutor aliquando fuerat, contra VLADISLAVM, *Polonum*, auxilium tulit, A. C. MCCXCI. A. autem C. MCCXCV. OTTO, *longus*, vna cum OTTONE altero & IOHANNE, filiis CVNRADI M. fratris e CONSTANTIA, ſorore PREMISLI ſeu PRIMISLAI, *ducis Poſnanienſis*, quem nobilitas maioris Poloniæ regem crearat, hunc, inquam, nouum regem octauo menſe regni ſui, in die S. Dorotheæ, apud *Rogoſnum* Polonicum in vicinia Marchiæ Brandenburgenſis, orgia Bacchi agitantem, ex improuiſo oppreſſit. PRIMISLAVS, cum ſæpe compellatus ſeſe non dederet, obtruncatus eſt. Sic vltus fuit OTTO hoſtem ſuum, cum quo propter fines ſæpius dimi-

Primislaus, rex, Poloniæ occiditur.

dimicarat, & qui ipſum apud *Soldinum*, vt diximus, fugarat. Marchiones vero vſi hac victoria, magnam partem agrorum limitaneorum, vbi nunc eſt noua Marchia, Polonis detraxerunt. Exiſtimatur autem PRIMISLAVS pœnas dediſſe propter parricidium: priorem enim coniugem, LVCARDAM, filiam HENRICI, *ducis Slauorum*, feminam præſtantem, quod eſſet infœcunda, manibus ancillarum in gynecæo ſtrangularat, cum quidem oraſſet, vt vel vna ſubucula tecta in domum patris remitteretur. M. CROMERVS *l. IX. c. X.* SABINVS in nuptiis Polonicis ſic canit:

Inde Bohemorum fortiſſimus arma laceſſit,
Infeſtatque ducem, rex Primislaus Otonem,
Marchia progenuit quem flumine mater Hauelo.
At dum læta parat motis conuiuia ſignis,
Securus poto, cum milite Sarmaticus rex
Improuiſus adeſt per opacas marchio ſyluas,
Caſtraque nocte ſubit multo ſopita Lyceo,
Stertentemque capit regem, captumque trucidat.

Verum, LADISLAVS LOCTICVS, ſucceſſor PRIMISLAI, vltus eſt eius necem, ſicut in LVDOVICO, marchione, annotabo. Manuſcripti annales habent, A. MCCLXXII., XIII. cal. Maii, OTTO, ALBERTVS & OTTO, *minor*, terram in tres partes diuiſerunt.

cuius mortem Vladislaus vlciſcitur

Liberalitate huius OTTONIS & ALBERTI eius fratris fundatum eſt monaſterium Franciſcanorum *Berlini*. Sic enim perſcriptum eſt in choro: *illuſtres principes & domini, dominus* OTTO, *& dominus* ALBERTVS, *marchiones Brandenburgenſes, erga ordinem ſpeciali deuotione permoti, aream, vbi prius monaſterium eſt conſtructum, fratribus contulerunt gratioſe poſſidendam perpetuo*, A. C. MCCLXXI. De donatione OTTONIS, quam A. C. MCCLXXXVI. contulit monachis, ordinis Dominicani, in noua ciuitate Brandenburgenſi, *lib. III.* plura adſcribam.

Berolini fundatur monaſterium Franciſcanorum.

mors Obiisse Beerwaldæ scribunt A. MCCXCVIII., & sepultum esse *Lenini.* Memoria eius est in *Martyrologio Hauelbergensi* A. C. MCCXCVIII., IX. cal. Augusti. IOHANNES III., frater OTTONIS, dictus est *Pragensis*, eo, quod *Pragæ* in aula aui materni educatus fuit. Hunc eum esse volunt, qui A. C. MCCLXXVII., die vndeuicesimo Aprilis post Pascha, *Mersburgi* in ludo equestri hasta percussus interiit. Manuscripti annales addunt, IOHANNES *de Praga march. Brand. primogenitus* OTTONIS III., *qui iam miles factus fuerat in nuptiis suæ sororis*, CVNIGVNDIS, *eo anno, quo pater suus obierat, ad torneamentum vadens, post Pascha hasta læsus, & a suis male custoditus, nocte mortuus est inuentus* A. C. MCCLXVII., XIII. cal. Maii. PAVLVS LANGIVS A. MCCLXVIII. adnumerat. OTTONEM, *paruum*, ad differentiam *longi* sic cognominatum, arbitror. Huic ferunt matrimonio iunctam fuisse HEDWIGEN, filiam RVDOLPHI, *Habsburg.*, iuxta PEVCERVM *lib. V. chronicorum*, qui postea habitu monastico sepultus est in cœnolio *Lenin*, in quo ita perscriptum est: A. MCCCIII., *prid. non. Iunii, obiit* OTTO, *monachus & acoluthus, nonus marchio Brandenburgicus, quondam gener* RVDOLPHI *regis Romanorum.*

vxor

ALBERTVS III.,
FILIVS OTTONIS, BONI,
MARCHIO BRANDENBVRGICVS.

bellum cum 1) Pomeranis

Pluribus bellis interfuisse hunc ALBERTVM, verisimile est. Primum enim, cum A. C. MCCLXXVIII. nuncium accepisset BARNIMVM I. eius nominis, Pomeraniæ ducem, mortem cum vita commutasse, inuasit territoria *Bernstein*, *Stargardiumque*, sed adepta non diu possedit: A. enim MCCLXXX. BVGISLAVS IV., filius BARNIMI, ea recuperauit & retinuit, oppidumque *Stargard* A. MCCXCVIII. muro cinxit, & iure Lubecensi donauit.

In

In bello *Thuringico*, cuius in IOHANNE IV. mentio facta est, cum ADOLPHO, *Nassauiensi*, se coniunxit, spe obtinendæ *Lusatiæ inferioris*, in qua obsidione cinxit *Luccam*: sed inde eum depulit DICEMANNVS, frater FRIDERICI, *admorsi*, cæsis tribus millibus hostium. ALBERTVS, accepta clade, acciuit in auxilium EBERHARDVM, *Anhaldinum*, qui arcem *Iuliam* obsedit, vnde eum reiecit FRIDERICVS, tempestiue monitus a vicino electore Saxoniæ ALBERTO, qui, etsi abstinebat a bello, tamen causæ FRIDERICI erat æquior. PEVCERVS. Hæc de IOHANNE IV. intelligenda esse, monet IOHANNES GARZON, *Bononiensis, in historia Friderici, fratris Ticemanni.*

2) *Thuringis*

Deinde cum IOHANNE & HENRICO, *dominis Megapolensibus*, & VLRICO *de Vandalia*, suppetias tulit WENCESLAO, regi Bohemiæ, contra ALBERTVM, imperatorem, filium RVDOLPHI, Habsburgensis. CRANZIVS, *in Vand. lib. VII. cap. XLVII.* Tum bellum mouit contra NICOLOTVM, cognomento *puerum, dominum Rostochii*, eo, quod sponsam AGNETEM, filiam ALBERTI, repudiauit, de qua CRANZIVS sic scribit: *pulchra nimirum compensatio. Olim marchio vetuit filiam ducis Saxoniæ Bernhardi dari Vandalorum principi, quem ille canem vocitabat, vnde etiam multa tum prouenerunt mala: nunc, rebus conuersis princeps Vandalorum contemnit filiam marchionis.* Vnde graue bellum exortum est. Marchio enim & comes de Lindow (fortassis ALBERTVS, qui obiit A. C. MCCXC.) cuius filiam æque spreuerat, coniunctis copiis eum oppugnarunt: sed hi, placati ære, & terræ ipsius tributo imposito, exercitum reduxerunt. NICOLOTVS vero se subiecit ERICO, Danorum regi, vt defenderetur, & contra hos, & contra HENRICVM, *Megapolensem*, qui duxerat alteram filiam ALBERTI, BEATRICEM, sororem AGNETIS, nuptiarum solennitatibus in nouo oppido *Brandenburg* peractis. Dos fuit cessio de principatu Stargardiæ & stipendio militiæ ex rege

3) *Alberto imp.*

4) *Megapolensibus*

 Bohe-

Bohemiæ, cui militauerat HENRICVS in RVDOLPHVM, imperatorem. Hæc omnia collata sunt *marchionibus*, vt a iure dicti principatus discederent. CRANZIVS *lib. VII. cap. XXXVIIII. XL. XLV. LII. Vandaliæ.*

Denique coniunxit copias suas cum BERNHARDO, *episcopo Magdeburgensi*, contra OTTONEM, *Sagittarium*, patruelem, vt dictum est.

mors Tempus mortis collocant in A. C. MCCXCIV., cum tamen eum A. MCCXCVI. adhuc vixisse, verisimile sit e bello, in quo se ADOLPHO, cæsari, vt supra meminimus, adiunxit.

WOLDEMARVS,

VLTIMVS EX HAC FAMILIA, COMES ASCANIÆ, MARCHIO BRANDENBVRGICVS, S. R. I. ELECTOR.

VVoldemari pater *vxor* *filia* WOLDEMARVS, filius CVNRADI I., marchionis & electoris Brandenburgensis, sicut in HERMANNO diximus, papa dispensante, duxit coniugem AGNETEM, filiam patrui sui, & ex ea genuit CATHARINAM, quæ nupsit MAGNO, iuniori duci Brunsuicensi: his parentibus ortus est FRIDERICVS, quem, electum a septem-viris Rom. imperii, mense Maio, A. MCCC. Moguntinus præsul, in reditu a comitiis Francofurtensibus, ad *Frislariam* per *comitem Waldeccensem interfici curauit.* Hæc CVSPINIANVS.

Chronica Magdeburg. WERNERI *lib. vltimo* annotant, WOLDEMARVM A. C. MCCCXX. vendidisse vrbem *Wolmerstadium* antistiti XXIX. Magdeburg. BVRCHARDO pro 12000. marcis, cum pacto de retrouendendo, & ab eo tempore arcem & oppidum ad capitulum Magdeburgicum pertinuisse. *Chronica Brunsuicensia* BVNTINGII annotant, AGNETEM,

filiam

filiam WOLDEMARI, nupsisse OTTONI, duci Brunsuicensi, qui obiit A. MCCCXXXIV., & ei dotis loco attulisse veterem Marchiam: nominatim autem *Soltwedel* & *Sehausen*. BVNTINGIVS *fol. 235*. CRANZIVS *lib. IX. c. II. Metropoleos* Bona, quæ pridem WOLDEMARVS, marchio Brandenburg., ab ecclesia Verdensi in feudum tenuit, per eius mortem vacantia, cum prolem non reliquerat, contulit NICOLAVS, episcopus, OTTONI, duci Luneburgensi, vt haberet ecclesia defensorem, qui opportuno tempore gladium vibraret. De annis præfecturæ superius annotauimus, ab A. MCCCIX. initium sumi posse: sed ipse A. MCCCXI. adhuc vsus est tali inscriptione: WOLDEMARVS, *D. G. Brandenburgensis, Lusatiæ & de Landsberg marchio, tutorque inclyti Iohannis de Brandenburg marchionis:* itaque & per se & tutorio nomine præfuit. Nunc secundum annorum numerum ex M. CROMERO, publicis diplomatibus & aliorum annotationibus vitam ipsius & res gestas adscribam.

Bella eius cum 1) Pomeraris

A. C. MCCCVI. (quo tamen adhuc vixerunt OTTO, *Sagittarius*, & HERMANNVS) WOLDEMARVS, tutor, & IOHANNES, marchio, a PETRO, *cancellario Pomeraniæ*, acciti contra VLADISLAVM LOCTICVM, cum exercitu Pomeraniam ingressi sunt, & plerasque omnes eius regionis munitiones per deditionem accepere, partim expugnauere.

foedus init cum Crucigeris

A. C. MCCCX. *Crucigeri* cum marchionibus fœdus ineunt, ea lege, vt retineant, quicquid superiori bello in *Pomerania* occupauerant: *Gedanum* vero, *Dersauiam* & *Suece*, munitiones in ripa *Vistulæ* sitas, sibi bello quærendas relinquant: hanc regionem postea a marchionibus decies mille marcis latorum grassorum emit magister *Crucigerorum*. CROMERVS *l. XI.* Hunc contractum publicis syngraphis expressum ac confectum esse A. C. MCCCXI., prid. diui Iacobi, testantur *annales Pomeraniæ*, ac pretium 10000. marcarum solutum esse.

2) Thuringis

A. C. MCCCXI. (alii proximos annos adscribunt) WOLDEMA-

DEMARVS cepit FRIDERICVM, *comitem Thuringiæ*, florentem & nihil hostile metuentem: qua vero de causa, quibusue occasionibus, non satis constare, scribit PEVCERVS. *Misnica* vero *chronica* annotant, FRIDERICVM, postquam WOLDEMARVS post obitum TICEMANNI multa oppida & arces in *Lusatia* occupasset, & XXX. milites subornasset, vt noctu muros vrbis *Hainæ* conscenderent, & hos milites a ciuibus captos esse, FRIDERICO nunciatum esset, ipseque re bene gesta, præ lætitia, paucis assumtis equitibus, vrbi appropinquasset, hac occasione igitur ab hostibus interceptum & *Brandenburgum* abductum esse. Αὐτὰρ popoſcit WOLDEMARVS oppida aliquot, de quibus cum literas afferret ad nobilitatem Misnicam, negant nobiles, se literis credituros esse, ac iubent, certo die ipsum principem adduci in certum locum, vbi coram eius voluntatem cognoscerent. Interea ita se parant, vt cum adduceretur dominus, hostibus eum eriperent. Hoc consilio Misnica nobilitas & principem feliciter liberauit, & vicissim WOLDEMARVM comprehensum abduxit in arcem *Altenburgensem*. Hæc PEVCERVS. Verba autem *chronicorum Misnicorum* in germanico idiomate sic habent: *wolte dieser Fürst loß werden, muste er alle die zum Hayn gefangen waren, loß zehlen, und verzicht thun aller Ansprüche am Lande zu Laußnitz, für sich und seine Erben, üm XXX. Marck Silbers. Er ward auch gedrungen, (das ihm das allerschwerste war,) seine allerliebste Tochter dem von Anhalt zugeben. Dieser Schade ist gerechnet auf hundert tausend Marck, das ward mit der Hülffe GOttes alles bezahlet.*

mors Iohannis V.

Annus MCCCXII. secundum vulgares genealogias, de quibus in IOHANNE dictum, continet obitum IOHANNIS V., cuius tutelam administrauit WOLDEMARVS, qui etiam hoc anno cum HENRICO, *episcopo Caminensi*, composuit lites ortas inter OTTONEM I. & WARTISLAVM, *Pomeranos*.

A. C. MCCCXIV., mense Oct., cum iam immineret noui re-

gis

gis Romani electio, congregatis ad eam rem in *Francofurdia* principibus, & WOLDEMARVS, marchio Brandenburgensis, adesse iis nollet, vel non posset, instructum misit procuratorem militem (hunc PEVCERVS NICOLAVM BOONIVM, CVSPINIANVS NICOLAVM de BOOCK nominat,) cum mandatis, inclinante marchione in FRIDERICVM, Austriæ ducem, ALBERTI imperatoris, filium. Dedit autem oratori suo sigillatam sine scriptura membranam, vt, si in alteram cerneret personam rem omnem inclinari, in scripta, quam teneret, membrana nomen eius insereret, quem cerneret votis exsuperare. Conuentum erat ad electionem: scindebantur electorum vota, nuncius marchionis in partem LVDOVICI tradidit instrumentum domini sui, sigillo communitum, ideoque res illius præponderabant. Cum autem marchio intelligeret, suum ad electionem missum procuratorem non satis egisse ex sententia sua, vinctum proiecit in carcerem & extinxit: idque in hunc modum: pomum iussit in eius conspectu semper appendi, quod tangere non posset: seratoque carcere sub vltimo supplicio vetuit, ne vllum cibi genus vincto immitteretur. Hæc CRANZIVS *lib. VIII. c. I. Vand. & libr. IX. c. VIII. Saxon.* CVSPINIANVS autem *part. II. f. 33.* in interregno post HENRICVM VII. sic refert: *postquam marchio intellexit, electionem in aliam partem inclinatam, proditione legati sui, militem redeuntem vinculis alligatum custodiæ demandauit, inediaque confecit: quotidie enim delicatissimos cibos, quibus hunc cupide nouit vesci, apponi iussit, adhibitis militibus, qui hos vorarent, eo spectante & ligato, donec fame periret. Sic docuit ille, pœnæ suæ exemplo, vt discant minores,* secundum CRANZIVM, *mandati fines nulla in re præterire.* Eodem anno, interuentu VVOLDEMARI, marchionis, & WRATISLAI, ducis *Wolgastensis*, contentio super priuilegiis quibusdam orta, inter WISLAVM principem *Rugiæ* & *Stralesundenses* sedata est.

Legati Brandenburgensis dolus in electione imperatoris adhibitus.

O A. C.

A. C. MCCCXV. WOLDEMARO deserto a principibus FRIDERICVS, marchio Misnensis, armis sumtis, maiorum suorum bona recuperat. GEORG. FABRICIVS *in annal.* Eodem anno WOLDEMARVS vendidit OTTONI, *Stadensi*, eiusque heredibus regionem *Bernstein*, cum omnibus iuribus pro septem millibus marcarum marchicarum. *Annal. Pomeran.*

Bernstein venditur

A. C. MCCCXVI., fer. III. post annunc. Mariae, dedit octo frusta ad altare *Cosmae* & *Damiani* in templo Petri in *Stendal.* Hoc anno vulnus inter WISLAVVM, *Rugiae* principem, & *Stralsund* recruduit. Ille praeter alios ERICVM, ducem Saxoniae, in auxilium acciuit. Hi patrocinio WOLDEMARI & WRATISLAI, ducis Pomeraniae, se commiserunt. Proelium est commissum. ERICVS, captus, 16000. marcarum argenti puri se redemit, quod λύτρον inter marchionem, ducem & Stralsundenses in tres aequas partes distributum est.

bellum Stralsundensium cum Rugiensibus.

A. MCCCXVII., feria VI. Paschatos, *Spandauiae* confirmauit priuilegia ciuitatis *Prizwalck.*

A. MCCCVI., cuius prius memini, cum IOHANNES & WOLDEMARVS exercitus duxissent, obuiam eis progressus est OTTO I., dux Stetinensis, &, commisso proelio ad oppidum *Stendal* & *Quatuor rotas*, cum esset viribus impar, captus est. NICOLAVS *de* KLEMPZEN, *in genealogia Pomeranica.* *Annales Pomeraniae* hoc proelium referunt ad A. C. MCCXCVI., & addunt, OTTONEM, *Stetinensem*, victoria potitum, ducentos nobiles viros captos abduxisse, & marchiones ad pacis & concordiae foedera coegisse.

3) Pomeranis, a quibus capitur

Sunt etiam sub hoc WOLDEMARO veteres quaestiones de *Stargardia* renouatae, & agmina in istam prouinciam ducta: eius expeditionis is fuit exitus, vt victoria potirentur *Megapolenses*, & marchio *Stargardia* excederet. CRANZIVS, *libr. VIII. cap. IV. Vandaliae*, qui & *lib. VII. c. XLIX.* facit mentionem congressus ERICI, *Danorum regis*, & WOLDEMARI, mar-

4) Megapolensibus, a quibus vincitur.

marchionis, ad oppidum *Roſtochium*, in loco, qui dicitur *Roſarium.*

A. denique C. MCCCXIX., in vigilia natiuitatis Mariæ, quia memoria eius olim celebrata fuit *Stendaliæ*, in bello contra regem Daniæ, ſecundum IVSTVM, *Bernwaldi* vita functus eſt WOLDEMARVS. Cum enim *Wiſmaria*, quo reconciliationis gratia conuenerant rex, marchio & principes Megapolenſes, diſcederet, febri correptus eſt, nec diu ſuperſtes fuit. CRANZIVS *lib. VIII. cap. III. & IV. Vandal.* Eodem anno, fer. III. ante *Matthæi*, apoſtoli, AGNES, Dei gratia de Brandenburg marchioniſſa, confirmauit priuilegia ciuitatis *Rathenow*: eodemque anno, in die Calixti, RVDOLPHVS, dux Saxoniæ, in publicis diplomatibus tutorio nomine Brandenburgenſium, priuilegia confirmauit: ſed de RVDOLPHO mox dicam.

mors VVoldemari

Marchia itaque, orbata dominis, finitimorum incurſionibus miſere vexata eſt: nec attendebatur, quo iure, quaue iniuria id fieret. Agmina *Lithuanorum* & *Hungarorum* a *Polonis* immiſſa, nullum crudelitatis genus omiſerunt. Et HENRICVS, *dux Megalburgenſis* magno exercitu Marchiam inuaſit. Contra hunc copias ſuas duxerunt OTTO & WRATISLAVS, Pomerani, ſubmoniti a cæſare: commiſſo prœlio, HENRICVS in fugam coniectus eſt A. C. MCCCXXI. In hac victoria Pomerani *Prenzlauiam* & *Paſewalcum* receperunt. Dum hæc in noua & Vckera Marchia geruntur, *Saxo* & *Anhaltini* in media Marchia non quieuerunt, donec LVDOVICVS BAVARVS Marchiam imperio vindicaret. Quod enim ſine maſcula prole eſſet WOLDEMARVS, ſubditis ante mortem certos dominos conſtituit, agnatos ſuos e veteri ſtirpe *Aſcaniæ*, principes Anhaltinos, in quorum verba illi iurarunt, ea conditione, vt, ſe mortuo, hos agnoſcerent & reciperent dominos. Sed cum approbatio & conſenſus auctoritatis publicæ non acceſſiſſet, quam primum fama de WOLDEMARI interitu percrebuit, LVDOVICVS BAVARVS, Romanus imperator, Marchiam

VVoldemarus Anhaltinis deſtinat Marchiam.

quam Ludouicus, imp., filio tribuit.

chiam imperio vendicauit, & in eam filium, natu maximum, LVDOVICVM collocauit, & publicis diplomatibus ſubditis Marchiæ Brandenburgenſis cauit, ne illis iuramentum, principibus Anhaltinis præſtitum, noceret. Hæc PEVCERVS. *Mira ſane*, inquit CRANZIVS, *lib. VIII. c. III. Vandal.*, *rerum conuerſio ac reuolutio: non multos ante annos nouem ac decem erant huius tituli marchiones adulti & minores ætate, nunc in eam orbitatem venit prouincia, vt ſine principe terra recideret, velut feudum, in ius imperatoris Ludouici Bauari. Ergo ſolenni principum conuentu, in Numburgo habito, Ludouicum filium ſuum de marchionatu inueſtiuit. Hæc eſt ſecunda huius principatus in nouam familiam translatio. Nam ab Henrico* I., *Romanorum rege, inſtitutus marchio transmiſit illum ad filium, inde ad nepotem Theodoricum, qui ſub Henrico* II. *per occaſionem ſuperbæ increpationis in principem Vandalorum, tota gente rebellante, exutus omni principatu, cum gens omnis ad paganiſmum relaberetur, amiſſa ciuitate & omni ditione ad præbendam viueret in Magdeburgo. Sed, reparatis poſt interualla rebus in Vandalia, Otto de Ballenſtädt & de Aneholdt comes, inſignis autem filius eius Albertus reparauere principatum, iam tum ſub Friderico* I., *cuius ſucceſſio vsque ad hæc tempora peruenit.* Hæc ille, quæ, ſi ſuperioribus conferantur, priora in his obſcura ſunt, poſteriora quadrant.

Rudolphus, tutor marchionum.

RVDOLPHI, Saxoniæ ducis, quidam faciunt mentionem in hiſtoria WOLDEMARI. Diplomata publica, quæ perſcripta ſunt A. C. MCCCXIX., MCCCXX., MCCCXXI., docent, non tantum RVDOLPHVM, ducem Saxoniæ, tutorio nomine, fidelidatis iuramento, a ciuibus veteris ciuitatis recepto, lites diremiſſe, & Marchiam finitimam gubernandam ſuſcepiſſe: ſed etiam ciuitates haſce, vetus & nouum *Brandenburg*, *Ratenaw*, *Nawen*, *Spandow*, *Berlin*, *Cœlln*, *Mittenwalde*, *Copenick*, *Bernaw*, *Ewerſſwalde*, *Landesberg*, *Forſtenwalde*, *Franckfurth*, *Sommerfelde*, *Gubben*, *Berkaw*, *Luckow*, *Gorſecke*, *Belitz*, & *Brietzen*, vnanimi con-

consensu, atque se appellasse pupillorum marchionum tutorem, quos necesse fuit post WOLDEMARVM superstites fuisse ex iis, quæ ex famila Anhaltina heredes Marchiæ instituisse eum, ex PEVCERO adscripsimus. Ab A. igitur obitus WOLDEMARI, vsque ad A. M CCCXXXIII., quo LVDOVICVS, Bauarus, Marchiam occupauit, interest quadriennium, velut interregnum, in quo RVDOLPHVM, qui in electione LVDOVICO, Bauaro, opposuerat FRIDERICVM, *Austriacum*, & vicinos Anhaltinos in Marchia omnem lapidem mouisse, credibile est. In primis autem RVDOLPHVS, (CVSPINIANO teste,) finxit inauditum dolum, fortassis *Bohemo* vrgente. Nam similem quendam inueniens, WOLDEMARO, marchione Brandenburgensi, defuncto, iussit eum in medium efferre, se olim pœnitentiæ causa abiisse, mortuumque se simulasse. Vnde diuturnum & graue bellum aduersus LVDOVICOS, fratres, enatum, & Marchia Brandenburgica grauiter conquassata est. *Francofurdum ad Oderam* auxiliis Magdeburgiorum obsidione cinxit; sed LVDOVICVS, cæsaris filius, summa populi beneuolentia, contra ipsum receptus est. FABRICIVS in *Rudolpho*. Et, quo animo fuerit *Saxo* erga *Bauarum*, docent sequentes literæ, quas misit senatui populoque *Northusano*, A. MCCCXLVI., quo, viuente adhuc LVDOVICO, *Bauaro*, CAROLVS VI. in Romanum imperatorem electus est.

subiecisse dicitur Pseudo-VVoldemarum.

Iniquus est Ludouico, Bauaro

RVDOLPHVS, dux Saxoniæ, Sacri Romani Imperii Archimarschalcus.

Wisset, daß uns der Bapst Brieffe gesand hatt von dem, den man Keyser nennet, daß wir verderbet möchten werden und zu Bannne kommen, der Brieffe Abschrifft wir ihm und seinen Städten gesandt haben, und geschrieben, daß wir von ihm entbrochen wollen seyn, und der vorbenandten Sache. Auch thun wir euch kundt, daß wir von der Zeit, da wir koren, Hertzogen Friederich von Oesterreich,

unsern Oheimb zum Römischen Künig, unsere Kuhr an niemande gewandt haben, und der, den man Keyser nennet, mit uns nicht geredet hat, um die Kuhr an ihm zu wenden. Auch sullet ihr wüßen, daß die Churfürsten zu Rense am Ryne, da man vor Alters hatt Römische Künige erkohren, zusammen kommen sindt, daß wir auch verbott sindt, zu reden um ein Römischen Künig, der der Christenheit und dem Ryche nütze sey. Des sind wir übereinkommen, und haben einträchtiglich erkohren zum Römischen Künige, und zu künfftigen Keysere, Herrn Carlen des Küniges Sohn zu Behem, der frummenlich und aller Tugendt voll ist. Vermahnen und bitten Euch fleißiglich, daß Ihr euch an den vorbenanten Herrn Carlen, den wir einträchtiglich gekohren haben, zum Römischen Künige, getreulich haltet, als ihr von Rechte sullet. Datum in pomariis prope *Rense*, die XI. Iulii, A. MCCCXLVI.

Prudentibus viris, iudicibus, scabinis, consulibus,
Magistris vnionum totique communitati in Northusen.

Quoto autem gradu attigerit WOLDEMARVM RVDOLPHVS, sequens arbor depingit:

ALBER

ALBERTVS VRSVS M. B.

OTTO I., M. B.	BERNHARDVS, D. Sax.
ALBERTVS, M. B.	ALBERTVS I.
IOHANNES, M. B.	ALBERTVS II.
CVNRADVS, M. B.	RVDOLPHVS I., obiit A.MCCCLIII.,XII.Maii,seu A. MCCCLVI., IV. id. Martii.Fabric.
VOLDEMARVS., M. B., obiit A.MCCCXIX.,in vigil. Natiu. Mariæ.	RVDOLPHVS II.
	WENCESLAVS

WENCESLAVS:

ALBERTVS, vltimus in hac familia, obiit A. MCDXXII.	RVDOLPHVS III., obiit A. MCDXIX., ei successit frater ALBERTVS.

Ab A. igitur C. MCLII., in quod initium præfecturæ huius familiæ collocatur, ad A. C. MCCCXXIII., quo LVDOVICVS Marchiæ præesse cœpit, numerantur A. CLXXI., quod nimium Anhaltinis adscribi potuerunt.

Ceterum, vt plus lucis accedat historiis marchionum Anhaltinorum, in quibus mentio facta est *Megapolensium* dominorum, sequentia diagrammata e CRANZII *Vandalia* adscribam:

Genea-

Genealogia Megapolenſium Dominorum.

BVREWINVS, FILIVS PRIBISLAI,

vltimi regis Slauorum, & primi chriſtiani principis ex hac gente.

HENRICVS, dominus Slauorum & Roſtochii.

NICOLAVS, obrutus domo in Gadebuſch, ſine prole.

(Filii Henrici:)

PRIBISLAVS, dominus in Parchim, Plant, Goldbergk &c.

- PRIBISLAVS, prædiis partim oppignoratis, partim diuenditis, redactus eſt ad paupertatem. ἄπαις.

IOHANNES, dominus Megapolenſium. A.

BVRCWINVS, dominus Roſtochii, obiit MCCLX., ſepultus in Dobran.

- ERICVS, ἄπαις.
- WOLDEMARVS, obiit A. MCCLXXXI. in Dobran.
  - NICOLAVS, cognomento *puer*, repudiauit ſponſam Agneten, filiam ALBERTI III., march. Brandenb.
- HENRICVS, ἄπαις.

NICOLAVS, dominus in Guſtrow. B.

A. IO.

NICOLAVS, præpositus, canonicus Suerinensis, canonicus Magdeb. & Hamburg

HERMANNVS, canonicus Suerinensis, Hildesiensis, Lubecensis

HENRICVS, *Hierosolymitanus*, captus a Sultano, A. MCCLXXVI.

IOHANNES, duxit filiam comitis de Rauensperg

ALBERTVS, duxit vxorem, sed obiit sine libris

POPPO, suscepit ordinem teutonicum

BEATRIX, filia ALBERTI III., marchion. Brand. --- HENRICVS, cognomine *Leo*

IOHANNES, ἄπαις

IOHANNES, Stargardens. Hi duo fratres A. MCCCL. a CAROLO IV. duces creati sunt

ALBERTVS I., dux Megapolensis

ANNA, vxor ADOLPHI, comitis Wagriæ

INGELBVRGA, vxor *Ludouico Romani*

MAGNVS, dux Megap., moritur MCCCLXXXIV.

ALBERTVS, rex Sueciæ

HENRICVS suspensor

CATHARINA, Saxonica, eius gubernator post obitum ducis Matthias Akkow miles --- IOHANNES, rex Sueciæ, electus obiit Zwerini MCCCCXXIII. Hic cum patruele ALBERTO, ALBERTI filio, academiam Rostochiensem fundauerunt A. MCCCCXIX. *D.*

ERICVS, ἄπαις,

ALBERTVS.

obiit A. MCCLXXVII., ſepultus in Dobran

BERNHARDVS | IOHANNES | HENRICVS

Children of IOHANNES: GVNTHERVS, canonicus Magdeburgenſ. | HENRICVS, | BERHARDVS, monachi in Roebel | NICOLAVS | IOHANNES

Children of HENRICVS: HENRICVS, | NICOLAVS, parricidae

Children of NICOLAVS: IOHANNES | LAVRENTIVS

Children of IOHANNES: NICOLAVS | BERNHARDVS

Children of LAVRENTIVS:

NICOLAVS, ἄπαις

CHRISTOPHORVS, cecidit in pugna ad oppidum *Prizwalck*, A. MCCCCXXIV.

WILHELMVS, primo canonicus in *Guſtrow*, poſt cædem fratris vxorem duxit, ſed deceſſit ſine liberis, A. MCCCCXXX.

Descendants of BERNHARDVS:

IOHANNES

NICOLAVS

IOHANNES.

C. IOHAN-

C. IOHANNES, dominus in Stargard.

- RVDOLPHVS, episcopus Suerinensis
- VLRICVS
  - HENRICVS
    - VLRICVS, ἄπαις, obiit A. MCCCCLXXI.
- IOHANNES, captiuus FRIDERICI I.
  - IOHANNES, ἄπαις
- ALBERTVS, episcopus Dorpatensis.

D. IOHANNES, rex Sueciæ

- IOHANNES, ἄπαις.
- HENRICVS, pinguis, --- DOROTHEA, filia FRIDERICI I., march. Brand.
  - ALBERTVS, ἄπαις
  - IOHANNES, ἄπαις
  - MAGNVS, D. M., obiit A. MD. vid. *E.*
  - BALTHASAR, episcopus Suerinensis

E. MAGNVS, dux Megap. & Stargardiæ --- SOPHIA, soror *Bugislai II.*, ducis Pomeraniæ

- ERICVS, moriente patre abfuit literarum studio Bononiæ. Rector Academiæ Rostochianæ A. MCCCCXCIX. & MD.
- HENRICVS, obiit MDLII., VI. Febr., præfuit LXIII. annos. *G.*
- ALBERTVS, obiit MDXLVII., X. Ianuarii. *F.*
- SOPHIA, mater *Ioh. Frider.*, ducis Saxon. electoris
- CATHARINA, vxor *Augusti*, D. S. electoris
- ANNA, vxor *Philippi*, *L.* Hassiæ.

F. ALBERTVS --- ANNA, filia *Ioachimi I.*, march. Brandenburgensis.

- GEORGIVS, in obsidione Francofurtensi tormento interfectus, A. MDLII.
- CHRISTOPHORVS
- IOHANNES ALBERTVS --- ANNA SOPHIA, filia *Alberti*, ducis Prussiæ
  - 1. IOHANNES
  - 2. SIGISMVNDVS AVGVSTVS
- VLRICVS --- ELISABETHA, filia *Friderici I.*, regis Daniæ.
- CAROLVS

G. HENRICVS --- VRSVLA, filia *Iohannis*, electoris Brand.

- VRSVLA, abbatissa in Ribniz
- SOPHIA, vxor *Ernesti*, ducis Luneb.
- MAGNVS, episcopus Suerinensis, obiit A. MDL.
- PHILIPPVS.

FAMILIA BAVARICA.

LVDOVICVS BAVARVS, Romanorum imperator, ex interitu familiarum aliquot hereditatem nouarum ditionum inter filios distribuit, quorum natu maximo LVDOVICO Marchiam Brandenburgensem attribuit, exclusis *Anhaltinis*, circiter A. C. MCCCXXIII. Huius enim anni duo extant diplomata, alterum *Bambergæ* prid. cal. Iunii perscriptum, in quo imperator gratiose *confert, donat & permittit burgensibus veteris ciuitatis Brandenburg, vt duos vel tres Iudæos habeant residentes ad vtilitatem & profectum ciuitatis, qui semper & in perpetuum sint, sub eorum protectione, nec a Ludouico, heredibus, vel successoribus, neque ab officialibus suis ad contributionem exactionum, vel quicquam grauaminis sustinendum coercere possint vel debeant*: alterum, non: Augusti in *Arnstadt* perscriptum, *confirmat vetera priuilegia dictæ ciuitatis & veteribus noua adiicit*. Fuit hic annus Christi, annus IX. imperii sui Romani. Diplomata patris & filii LVDOVICI, *in quibus possessiones stagni alluentis terminos præfatæ ciuitatis donantur*, nominant NICOLAVM illum, ad quem pertinuit stagnum, & cuius in WOLDEMARO memini, honestum suum famulum. Concessionem autem Marchiæ Brandenburgicæ oppugnauit papa IOHANNES XXII. in citatione, quam publice affixit *Auinione* contra LVDOVICVM, eo, quod, nondum confirmatus a papa, ausus sit facere officia imperatoris Romani. Imperator vero defendit eam, vt legitimam, & consensu ordinum imperii confirmatam.

Ludouicus, imperator, filio Ludouico tradit Marchiam.

oppugnatur a papa,

se defendit

Priusquam vero historiam filii LVDOVICI maioris persequar, propter mentionem filiorum LVDOVICI patris, nepotum & pronepotum, quæ deinceps fiet, genealogiam sequentem, sicut in aliis familiis, præmittam.

OTTONE igitur, *duce Bauariæ*, & AGNETE, filia HENRICI, *Palatini*, prognatus est LVDOVICVS, *dux Bauariæ*, qui ex MECHTILDE, filia RVDOLPHI, *Habsburgensis*, genuit LVDOVICVM BAVARVM, Romanum imperatorem, cuius posteri hi sunt:

I. Con-

I. coniux BEATRIX, Polonica --- LVDOVICVS, Bauarus, Rom. imper. --- II. coniux MARGARETHA, Hollandica, A. MCCCXXIV., circa festum Pentecost. ducta

MECHTILDIS, vxor *Frider. grauis*, march. Misnensis

LVDOVICVS, march. Brand.

STEPHANVS, fibulatus.

OTTO, march. Brand.

LVDOVICVS, Romanus, march. Brand.

WILHELMVS, in Hollandia

ALBERTVS, in Bauaria.

FRIDERICVS, cuius liberos post adscribam

STEPHANVS

IOHANNES

HENRICVS, in Landshut.

ELISABETH, *die Schöne von Beyern.* --- FRIDERICVS I., march. Brand.

LVDOVICVS, *barbatus*, vulneratus ab *Henrico* Constantiæ

LVDOVICVS, diues, cum *Alberto Achille* in aula paterna educatus.

ALBERTVS ACHILLES, educatus in aula *Henrici.*

MARGARETHA, vxor *Ludouici Gibbosi.*

--- LVDOVICVS, gibbosus.

Manu-

Manuſcripti annales Brandenb. ſic habent: LVDOVICVS, *marchio Brandenburgenſis, primogenitus ducis Bauariæ imperatoris,* IOHANNE & WOLDEMARO, *marchionibus, ſine heredibus decedentibus, mortuoque quodam puero* HENRICI, *marchionis, Marchia ſine domino & herede permanente, per* LVDOVICVM, *imperat., patrem ſuum, in Marchia datus & miſſus, in ea reuerenter acceptus, homagia recipiendo, &, quia puer, eius tutor* GVNTHERVS *comes de Lindaw, & deinde* BVRCHARDVS, *comes de Mansfeld, efficitur. Et poſt hunc per* BARTHOLDVM *de* HENNEBERG *fuit huiusmodi tutela commiſſa cuidam dicto* MVSOLFO, *quem* LVDOVICVS, *marchio, ex inductione vaſallorum habere voluit: vnde multæ guerræ hinc inde oriebantur. Hic* LVDOVICVS *vendidit & appropriauit capitulo Brandenburgico inferiorem Obulam & villam Parne, prope Roſchow, cum piſcationibus, iudiciis & omnibus pertinentiis, in compenſatione damnorum, quæ capitulum Brandenburg. ſuſtinuit in guerris, quas dominus* BVRCHARDVS, *archiepiſcopus Magdeburgenſis, mouebat ſubditis & terris* LVDOVICI, *marchionis.*

LVDOVICVS,

DVX BAVARIAE,
MARCHIO BRANDENBVRGICVS,
S. R. I. ELECTOR.

LVDOVICVS, LVDOVICI, *Bauari*, Romani imperatoris, ex BEATRICE, Polonica, natu maximus filius, a patre Marchiam Brandenburgenſem accepit, & in ea cum *Pomeranis*, *Megapolenſibus* & *Anhaltinis*, principibus, nec non ficto WOLDEMARO difficilia bella geſſit, quæ, antequam exponam, vaſtationes LOCTICI, *Poloni*, quarum in OTTONE, longo, memini, inſeram.

Vladislaus inuadit Marchiam.

Is ergo, vt FVNCCIVS annotat, A. C. MCCCXXVI. ſecum traxit ingens agmen latronum, Hungarorum & Lithuanorum, & adortus Marchiam Brandenburgenſem, *Francofurdiam* vſque, cum infeſto exercitu progreſſus eſt, & cum nemo contra prodiret, munitionum quidem oppugnationibus abſtinuit; populationes vero in omnes partes exerceri iuſſit, & breui temporis ſpatio exuſſit ſupra CXL. pagos & vicos, & tanta fuit barbarorum immanitas, vt, ipſo CROMERO, Polono, teſte, nulli ſexui aut ordini parcerent. Narrat idem CROMERVS memorabile exemplum continentiæ & prudentiæ de virgine ſacra in Marchia. Irruperant in cœnobium virginum milites barbari, ſæuientes in corpora virginum libidine & crudelitate. Virgo autem, ſeu monacha quædam, florens ætate & pietate, amansque imprimis pudicitiæ, latronem, (CROMERVS Lithuanum fuiſſe ſcribit) qui ipſam erat oppreſſurus per vim, amice affata eſt: *age, inquit, mi homo, antequam violor, audi, quid ſim prolocutura: video, te motum forma mea, vitæ meæ velle parcere: ego igitur, vt tibi grata ſim, artem quandam maximi certe pretii te docebo, qua aduerſus omnes ictus, & quascunque ferri iniurias poteris eſſe tutus: &, ne in animo tuo vlla ſuſpicio vel dubitatio reſideat, iubeo, vt in meis ceruicibus periculum artis huius facias: munio igitur me hac incantatione, quam tibi poſtea patefaciam: tu quantum potes, callum meum ferito.* Paruit barbarus, ignarus puellaris inuenti, & virgini genibus inſidenti, & tacita voce ſpiritum ſuum filio Dei commendanti, ceruices vno ictu præcidit. Ita egregia virgo morte pudicitiam ſuam redemit, &, vera fide intuente filium Dei, ferrum & mortem vere ſuperauit. Dicuntur ſupra ſex millia hominum in ſeruitutem a barbaris latronibus abducta, templa direpta, & tam iuuenes, quam ſenes occiſos eſſe. Sed & anno ſequenti, ait CROMERVS, iterum Lithuani excurſionem in Marchiam fecere, &, cum cædibus atque incendiis in obuia quæque deſæuiſſent, prædam raptim abegerunt. CRANZIVS *lib. VIII. cap. X. Vandal.*

Exemplum pudicitiæ muliebris

Ecce, ſuas & habet Marchia Lucretias!

dal. causas irruptionum harum fuisse, docet, quod OTTO, *longus*, PRIMISLAVM, regem Polonorum, in festo Bacchi oppresserat, & nouam Marchiam, regno Poloniæ ademtam, Marchiæ adiecisset, & addit, barbaros ad *Primislauiam* vsque progressos fuisse, & eam aliquandiu oppugnasse.

Francofurtenses a sacris abesse a papa iubentur

Dicto A. C. MCCCXXVI. marchioni LVDOVICO & ciuibus *Francofurtensibus* ad Viadrum interdictum fuit a papa, ne diuinis interessent officiis, neue sacramentis vterentur. Durauit tempus interdicti XXVIII. annos: absoluti enim sunt A. C. MCCCLIV., XIV. Maii. Mentio eius fit in Sex. in glos. c. Alma mater in ver. insurgunt: audiui de quodam loco in Marchia, quod tanto tempore steterat interdictum, quod, facta relaxatione, homines istius loci, qui nunquam audiuerant missam, deridebant presbyteros celebrantes. Causa fuit, quod Francofurtenses *episcopum Lebusiensem* HENRICVM de BRANZK incarcerarant, eo, quod suo permissu Poloni, Lithuani & Borussi in tractum *Sternberg* & circa *Francofurtum* prædati fuerant. Et odit LVDOVICVM papa IOHANNES XXII., adeo, vt, AVENTINO teste, sub pœna excommunicationis magistrum Crucigerorum in Prussia coegerit, vt per biennium inducias seruaret cum *Lithuanis*, quo facilius hi Marchiam Brandenb. vastare possent.

Bellum cum Megapolensibus, Ludovicus capitur

Cum HENRICO, *principe Megapolensi*, de finibus contendit, commisso prœlio ad oppidum *Gransoy*, ad fines Marchiæ, in comitatu *Rupinensi*. In hoc prœlio LVDOVICVS peruenit in manus hostium, sed virtus & improbus labor militum eripuit illum e manibus ipsorum. Comites de *Regenstein* & *Mansfeldt* capti sunt a *Megapolensibus*. IOHANNEM autem, *comitem Holsatiæ*, marchio per triennium in captiuitate detinuit, donec ea lege dimitteret, vt CATHARINAM, relictam viduam IOHANNIS, marchionis de *Brandenburg*, (hanc quidam volunt fuisse filiam HENRICI FERREI, *ducis Glogouiensis*,) vxorem duceret, & beneficium liberationis dotis loco haberet.

 Non

Non grauis conditio capti, qui lucro tulit vxorem: quanto, qui pugnauere capitis periculo, non consecuti, quod ille, captus. CRANZIVS *lib. VIII. cap. VI. Vandal.*

Belli cum Pomeranis gesti

Cum *Pomeranis* sæpius infeliciter pugnauit: A. enim C. MCCCXXIX. BARNIMVS III., filius OTTONIS I., *ducis Stetinensis*, a patre exercitui præfectus, adiutusque consilio & auxilio *episcopi Caminensis*, & HERMANNI, *Neugardiæ comitis*, ad *Prenzlow*, & iterum A. C. MCCCXXXI. ad vicum *Cremmen*, LVDOVICVM, marchionem, vna cum HENRICO, *Megapolensi*, vicit & fugauit. *Annales Pomeraniæ* annotant, HENRICVM, *Megapolensem*, A. C. MCCCXXIX. ad vicum rusticum *Volzkow*, non procul ab oppido *Loiz*, a IOHANNE, *comite Guzkouiensi*, profligatum esse. In posteriori clade ad aggerem *Cremmensem* dicuntur quadringenti equites ephippiis eiecti esse, quorum multi interfecti, & multi hostibus sese dediderunt. Occasio horum bellorum fuit, quod Pomerani inuestituram debito tempore non petiuissent. M. ALBERTVS, *Argentinensis*.

compositio

Pater itaque A. C. MCCCXXXVIII. in comitiis Francofurtensibus hæc bella diremit, limitibus inter Marchiam & Pomeraniam constitutis, ea conditione, vt Pomerani loco & dignitate inter imperii principes feuda ab imperatore solo acciperent, & suis terris libere imperarent. Sed, si stirps defecisset, hereditatem terrarum illarum adirent marchiones Brandenburgenses. PEVCERVS *lib. V. chronicorum*, *Genealogia Pomeranica.*

Coniugium Ludouici

De *coniugio* LVDOVICI hæc extant: CRANZIVS *lib. VIII. c. XII. Vandal.* meminit sponsaliorum celebratorum inter LVDOVICVM, marchionem, & filiam CHRISTOPHORI, regis Daniæ, (qui, teste ALBERTO, *Argentinensi*, sine liberis masculis obiit,) internuncio & legato BERTHOLDO, *comite Hennebergensi*, cuius fit mentio in diplomatibus publicis. Addit CRANZIVS, comitem hunc in reditu ex *Dania Lubecæ* transegisse cum HENRICO, *Megapolensi*, vt acceptis viginti

milli-

millibus marcarum Brandenburgensis monetæ, ereptas ditiones marchioni redderet, & perpetuam pacem cum ipso coleret. Duxit autem LVDOVICVS alteram coniugem, MARGARETHAM, filiam HENRICI, vltimi *ducis Karinthiæ*: hæc repudiarat IOHANNEM HENRICVM, *marchionem Morauiæ*, fratrem CAROLI IV., & in thalamum ac comitatum adduxit hunc LVDOVICVM, imperatoris filium, qui tandem pertæsus bellorum in Marchia reliquit eam fratri LVDOVICO, *Romano*, contentus agro *Tyrolensi*, circiter A. C. MCCCXLIX. Diplomata eius, veteri ciuitati *Brandenburgensi* A. MCCCXXIV. concessa, quorum alterum, in die purificationis Mariæ, *Stendaliæ*, alterum, in vigilia S. Matthiæ, *Brandenburgi* perscriptum est, priuilegia patris & antecessorum confirmant, & nouis augent & amplificant. Aliud eiusdem anni diploma nomen HENRICI, *comitis de Hennebergk*, filii dicti BERTHOLDI, continet, & tribuit ei dignitatem *capitanei in territorio Brandenburgensi*. Hic comes interfuit prœlio, quod commissum est ad *Ottingam* Bauariæ, A. MCCCXXIII., prid. S. Michaelis, de quo inferius in historia FRIDERICI II., comitis Zolleriani. Aliud diploma A. MCCCXXVIII. in *Arneborg*, die ascensionis Christi, perscriptum meminit HENRICI *de* WARDENBERG, marschalci LVDOVICI: ea familia nobilium adhuc superest in *Prignissa*. Inscriptio huius diplomatis talis: *nos* LVDOVICVS *Dei gratia Brandenburgensis & Lusatiæ marchio, palatinus Rheni, dux Bauariæ, sacri imperii archicamerarius.* A. autem MCCCXLV. tausus est inscriptione: *nos* LVDOVICVS, *Dei gratia Brandenburgensis & Lusatiæ marchio, comes palatinus Rheni, Bauariæ & Karinthiæ dux sacrique Romani imperii archicamerarius.*

tradit fratri Marchiam

A. MCCCXLVII. LVDOVICVS profectus est in *Prussiam* contra infideles, sed illico est reuersus in comitatum Tyrolis, quem inuaserat Bohemus. M. ALBERTVS, *Argentinens.* A. MCCCXLVIII. idem LVDOVICVS insidias struxit CAROLO, *Bohemo*, electo cæsari, volenti redire in Bohemiam. Eodem

in Prussiam abiit

anno ALBERTVS, *Austriacus*, CAROLVM, *Bohemum*, & LVDOVICVM, *Brand.*, ad Dominicam post Iacobi pro tractanda concordia *Patauiam* conuocauit, ad quam marchio cum duobus millibus equitum accessit, sed infecto negotio eo, quod se Bohemum ex electione facta pro rege Romano nunquam habere velle dixerat, recessit. Signa imperii aquilarum Patauii hospitiis Bohemi inpicta per familiam marchionis Brandenb. stercoribus sunt delata.

Carolum non vult agnoscere imperatorem

mors

Obiit LVDOVICVS, secundum AVENTINI annotationem, A. C. MCCCLXI., XV. Septembr., prope *Monacum* in *Zorngeltingen*. Ab A. igitur MCCCXXVIII., vsque ad A. MCCCXLIX., quo LVDOVICVS marchiam reliquit & WOLDEMARVS, falso sic creditus, eam, paucis vrbibus (*Francofurtum, Spandow & Brizen, manserunt a partibus* LVDOVICI, *quas A. MCCCXLVIII. obsidione cinxerunt* CAROLVS IV., *&* XIIII., *principes in Francofurto*) *exceptis, occupauit, numerantur anni XXVI., qui nimirum tribuendi sunt præfecturæ* LVDOVICI. Nunc, quæ de WOLDEMARO, *falso sic credito*, apud fide dignos habentur, subiiciam.

WOLDEMARVS,

FALSO SIC CREDITVS.

LVDOVICO, cui longi & difficilis belli semina reliquerat WOLDEMARVS, marchio Brandenburgensis, implicito bellis *Pomeranicis* & *Megapolensibus*, tertium hostem se intulit quidam, WOLDEMARI, defuncti, nomen, personam habitumque & mores mentitus. Hunc finxisse ferunt, WOLDEMARVM, minine fato defunctum esse, sed, religiosa peregrinatione confecta, rediisse incolumen. Et peregrinationis causam prætendisse eum, expresse docent verba diplomatis perscripti ab ipso, A. C. MCCCXLVIII., ita enim sonant:

Pseudo-VVoldemarus

Wolde:

W*Oldemar tho Brandenborch, tho Lusiz vnd tho Landtsbergk Marggrave, und des heiligen Römischen Ryckes averste Käm-nerer, thun kundt, daß vnser Wille sy, det man keine Burgstädte ıoch Vesten, in vnserm Lande buwen schöle. Wurden dar awer sie ;ebuwet, vndt die sunst gebuwet syn, dat wi vt dem Lande sind ge-vesen, dy schöle wie breckenn.* Hic igitur, quanquam nomine VOLDEMARI falso sit WOLDEMARVS creditus, vt opinio ıabet vsitata, magno tamen populi applausu exceptus, adiu-:usque opibus & auxiliis vicinorum ducum *Saxoniæ* & *Anhal-inorum*, bellis difficilibus *Bauaros* exercuit totos annos novem. Nam, etsi diploma LVDOVICI, Romani, A. MCCCLV. perscri-ptum facit mentionem belli per septem annos, quorum ini-ium sumitur ab A. MCCCXLVIII., quo WOLDEMARVS lerasque vrbes Marchiæ occupauit: tamen his septem si ad-lantur duo præcedentes anni, quibus fratri ipsius cum hoc VOLDEMARO primum res fuit, erunt IX. anni, quos adnu-nerant FVNCCIVS & PEVCERVS. vide M. ALBERT. *Ar-entinens.* de hoc bello marchico. RVDOLPHVS I., dux Sa-oniæ, cuius in WOLDEMARO, marchione, mentionem feci, & ex CVSPINIANO annotaui, autor fuit WOLDEMARO uic, vt populum fatuum perduceret eo, vt LVDOVICO lu-uriam vxoris & filiarum obiiceret, liberosque suos illegiti-nos, indignosque tanto principatu clamaret. Ob id multas iuitates perdidit LVDOVICVS *Francofurdia* cis Viadrum & aucis aliis exceptis. Ipse etiam RVDOLPHVS post obitum VOLDEMARI, marchionis, priusquam Bauari ingrederen-ur, a ciuibus veteris vrbis *Brandenburg*, tutorio nomine iura-nentum fidelitatis accepit, sicut docet diploma ipsius A. MCCCXIX., in die Calixti, perscriptum. Diploma autem VOLDEMARI huius A. MCCCXLVIII. datum indicat, eum *Brandenburgensibus*, &, sicut diplomata aliarum ciuitatum Marchiæ habent, ab aliis quoque receptum esse, & vsurpasse itulum marchionis & electoris Brandenburgensis. Neque solum

adiutus a multis principibus

a Rudolpho Saxone ad id consilium instinctus

a ciuitatibus excipitur

ſolum in Marchia, exceptis paucis vrbibus, ſed etiam in *Vckera terra*, auxilio Anhaltinorum & epiſcopi Magdeburgenſis, partim vi, partem deditione occupauit multas vrbes, & inter has *Prenzlaw* & *Paſewalck*, ſed BARNIMVS III. ea oppida & totam Vckeram Marchiam in ſuam poteſtatem redegit. Quin & *veteris Marchiæ* ciuitates eum recepiſſe, conſtat ex proſcriptionis formula CAROLI IV., cuius meminit WOLFG. IVSTVS. Beneficia vero & promiſſa, quibus animos ciuium & beneuolentiam ſibi hic WOLDEMARVS conciliauit in diplomatibus, quorum mihi copia facta eſt, Germanico idiomate ſic referuntur: *1. Er hatt den Bürgern alle Schulden erlaſſen, ſo Marggraff Ludewig gemachet. Er hatt ſich verpflichtet. 2. die Bürger wieder denſelben Marggraff Ludewig, auf ſeine Arbeit, Pfennige und Vnkoſten zu vertheidigen. 3. Alle Zölle und Geleite, ſo in ſeinem Abweſen gemacht, abzuthun. 4. Ihnen ihren Lehnen umſonſt zu leihen: 5. das ohne der Städte Rath keine Burge oder Veſten ſollen gebauet, und die, ſo in ſeinem Abweſen gebauet, abgebrochen werden. 6. Hatt die Städte priuilegiret, daß ſie für keinen andern Richter, als bey ihren Stadt-Richter zu beklagen ſeyn ſollen. 7. Da der Städte Brieffe nicht gehalten würden, ſolten ſie einen andern Herrn wehlen, der die Bürger ihres Rechtes vertheidige. Das ſollen ſie thun mit allen Ehren bis zu der Zeit, daß er des Muthes werde, daß er ſie bey Rechte laſſe.* His itaque immunitatibus conceſſis, plerasque ciuitates ad ſe protraxit, ſed & potentia ſupeperiorum valuit. Non enim ſolum a vicinis principibus RVDOLPHO & ALBERTO, ducibus Saxoniæ, & ALBERTO & WOLDEMARO, principibus Aſcaniæ, quorum nomina ſimul complectitur inſcriptio diplomatis dati MCCCL., ſed etiam a CAROLO IV., odio LVDOVICI Bauari, quod is fratri IOHANNI HENRICO coniugem ſuam cum dote ademiſſet, incitabatur & adiuuabatur hic WOLDEMARVS. Præ ſe ferebat quidem CAROLVS, ſucceſſionem deberi *Anhaltinæ* familiæ, quam *Bauari* iniuſte excluſiſſent: ſed ita tamen oppugnaba

multa promittit ciuitatibus

a Carolo IV. adiuuatur

gnabat *Bauaros*, & fouebat *Anhaltinos*, vt, ſi illos eieciſſet, hos non eſſet admiſſurus. Quare, etſi publicis literis & WOLDEMARVM armabat, & opem contra *Bauaros* ferebat: id tamen agebat, vt, ſummotis vtrisque, Marchiam adiungeret *Sileſiæ*, quam ſimilibus artibus *Bohemiæ* copularat. Idque partim aſtu, partim vi perfecit. Paulo poſt OTTONEM, generum, qui in ROMANI, fratris, imperium ſucceſſerat, coegit, accepta ditione exigua, in confinio *Bohemiæ* & *Bauariæ*, ac pecunia non magna, cedere Marchia, & omni iuri renunciare. Ita exciderunt ea vtrique: *Bauari* extruſi iisdem technis, quibus heredes proximos *Anhaltinos* ipſi depulerant: *Anhaltini*, quorum erat imbecillis potentia, ſimulatis promiſſis decepti. Hæc PEVCERVS.

Libet hic adſcribere colloquium CAROLI IV., & WOLDEMARI, regis Daniæ, quod extat *lib. VII. cap. XXXVI. in Dania* CRANZII: *rex Daniæ* WOLDEMARVS, ROMVLVS, *marchio, & ERICVS, dux Saxonum, adito Romanorum rege* CAROLO, *ſciſcitabantur, cur adulterinum hominem Marchiæ impoſuiſſet, in graue præiudicium veritatis & principum, cum in veritate* WOLDEMARVS, *quem idolum illud præferret, eſſet defunctus?* CAROLVS *reſpondit: ſe, leuitate vlla ac malignitate inſtinctum, hoc non egiſſe: ſed* OTTONIS, *archiepiſcopi Magdeburgenſis*, RVDOLPHI, *ducis Saxoniæ*, ALBERTI, *de Megapoli, &* ALBERTI *de Anehold comitis, ſacramentis eſſe deceptum. Tum rex* WOLDEMARVS, *& nos, inquit, parati ſumus, oſtendere melioribus ſacramentis, eos peieraſſe. Ergo, sereniſſime princeps, muta decretum. Cumque ad eorum voluntatem* CAROLVS ROMVLVM *declaraſſet marchionem, adulterinus ille, id intelligens, latuit, & in ditionem comitis de Anehold concedens, in paupertate & calamitate vitam finiuit in oppido Deſſaw.* Hæc CRANZIVS. Quæ ab ERNESTO BROTVFIO de hoc WOLDEMARO, e terra ſancta domum reuertente, & præ foribus aulæ epiſcopalis Magdeburgi, ſub ſpecie & habitu mendici ſeſe proſternente, referuntur, ea legat & amplectatur, qui velit.

lit. Ego cum IOHANNE SCHOSSERO historiam huius WOLDEMARI sic concludam:

Sis MOLITOR, *cuicunque molam fortuna parauit,*
HEROVM *teneat regna superba genus.*

Ad historiam WOLDEMARI, falso sic crediti, sequens rescriptum referendum est: *Wir WOLDEMARVS, von der Gnade Gades Marggraf tho Brandenborch, Lusiz und zur Landsbergk, sacrique imperii archicamerarius, bekennen öffentlich in diesem Briefe, vor allen guten Lüden, de en sehen, hören, odder lesen, dat wy mit guten Willen, und vorbedachtem Mode, den bedarven Lüden, den Rathmannen und Börgern gemeinlich in beden Steden tho Brandenborch und tho Görzigke verlaten und vertragen der Huldigung, die sie uns gethan hebben, so, dat wy noch einer unser Vründt dar einige Vordernisse darin don scholen, und dancke en flißlich und wysen sie an den durchlachtigen Förften LVDWIG den Römer, Marggrafen tho Brandenborch und sienen Bruder OTTEN. Tho ener steten tüchnisse hebben wy diesen unsern Brief gegeuen tho Dessaw, na Gades gebührt,* A. MCCCLV., *Dinstages na Oculi, in der Fasten. Die Tügen sind die werdige Förften* ALBRECHT *und* WOLDEMARVS, *die Brüder von Anhalt,* HINRICH *von Isenberch &c.*

LVDOVICVS, ROMANVS, MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, S.R.I. ELECTOR, DVX BAVARIAE.

LVDOVICO, fratri, LVDOVICVS, *Romanus*, successit, circiter A. C. MCCCXLIX., in iis nimirum paucis vrbibus, quas diximus WOLDEMARVM non suscepisse. Manuscripti annales Capituli Brandenburgensis: *hic fertur fuisse pius & deuotus, præsertim noctu in vigiliis, imaginibus sanctorum & cultu diuino.*

diuino,&c. Natus est eodem patre, quo frater, sed matre MARGARETA, filia *comitis Hollandiæ.* Dictus fuit *Romanus*, quod *Romæ* in lucem esset editus, matre solenni ritu in *Vaticano*, XVII. Ianuarii, A. MCCCXXIII. coronata: egit igitur LVDOVICVS hoc anno, quo fratri successit, annum ætatis vicesimum quintum. Renouauit bella *Pomeranica*, sed cito destitit, superatus acie a *Pomeranis*, auxilio WOLDEMARI, *regis Danorum.*

Ludouici, Rom., parentes

bella Pomeran. instaurat

A. C. MCCCL. fratres in priuilegio vsi sunt tali inscriptione: *nos Ludouicus & Ludouicus Romanus marchiones Brandenburgenses & Lusatiæ, S. R. I. archicamerarius, comites Palatini Rheni, duces Bauariæ &c. Briz, de annis MCCCLI., & MCCCLII.* vid. ALBERTVS, *Argentinensis.* A. C. MCCCLV. ROMANVM cum BARNIMO de territoriis, quæ certamine bellorum WOLDEMARO eripuerat, in hunc modum transegisse, annales Pomeraniæ annotant, vt *Boizenburg*, *Iagow* & *Greiffenberg* cum finitimis agris sibi restitueret: ipse pro expensis & laboribus bellicis arces cum munitionibus, ciuitates & villas ad *nouam Angermundam*, *Sweeth* & *Brossow* sitas, iure hereditario obtineret. A. MCCCLIX., mortuo BARNIMO, filiis BOGISLAO & fratribus *Pasewalcum* & *Torgelaw*, armis extorquere voluit ROMVLVS, sed frustra fuit expeditio suscepta: victus enim domum reuersus est.

fratrum tituli

Pax cum Pomeranis

Falso creditum WOLDEMARVM exutum armis & ditione vniuersa, pepulit in exilium, A. C. MCCCLV. Hoc enim anno perscriptum diploma nomen LVDOVICI, Romani, præponit. Diplomata vero aliarum ciuitatum A. MCCCLIV. perscripta, in quibus LVDOVICVS condonat iis, quod sex præteritis annis, se relicto, alium dominum agnouerint, docent, non vno anno & semel, sed paulatim vrbes ab hoc WOLDEMARO defecisse, & dixi prius, hunc WOLDEMARVM plurimas vrbes Marchiæ occupasse, exceptis paucis, quæ LVDOVICVM receperunt, imo, vt WOLDEMARVM desererent &

Pseudo-VVoldemarum pellit

LVDOVICO ROMANO & fratri eius OTTONI adhærerent, neceſſe fuit, vt imperator Romanus CAROLVS IV. publico interdicto ſub pœna proſcriptionis pleriſque ciuitatibus mandaret; eamque pertinaciam, defendendi WOLDEMARVM, in ciuitatibus auxiſſe, credo, amorem erga familiam Anhaltinam, a qua hic WOLDEMARVS ſubmiſſus erat.

bellat cum Megapolenſibus

Cum ALBERTO, *Megapolenſi*, eo, quod in gratiam CAROLI IV., a quo nuper noua dignitate ornatus fuerat, defenderat partes WOLDEMARI, bellum geſſit: commiſſa ſunt prælia, ſed tandem MAGNO, *Sueciæ rege*, arbitro, his conditionibus lites diremtæ ſunt, & pax conſtituta: *marchio remittat omne ius in terram Stargardiæ, filiam Alberti, ducis, accipiat indotatam. Dos ſit redemtio quadringentorum captorum ab Alberto, cum oppido Lenzen. Donatio propter nuptias ſint oppida Werben, Seehuſen, Perleberg & Arneburgk.* Filia autem ALBERTI INGEBORCH dicta fuit. Hæc CRANZIVS *lib. VIII. cap. XXXI. Vandaliæ.* INGEBORCH autem coniugis ROMANI fit mentio in diplomate, perſcripto A. C. MCCCLXIII., his verbis: *Die hochgebohrne Fürſtinne, Frau Ingeborch, Marggräffin zu Brandenburg und zu Luſaz, des Marggraffen Ludewig, des Römers, eheliche Wittwe, bey ihrem Leibgedinge, daß wir ihr ietzundt gemacht haben, oder noch machen und verſchreiben werden, gäntzlich ungehindert bleiben*, &c. In hoc diplomate, vt hoc obiter addam,

pacem facit

Carolus IV. heres Marchiæ inſtituitur

LVDOVICVS, *Romanus*, & OTTO, frater eius, ſi decedant ſine maſculis heredibus, inſtituunt heredes Marchiæ Brandenburgenſis CAROLVM IV., ipſius filios, &, his deficientibus absque maſcula prole, IOHANNEM, *Morauiæ marchionem*, & ſuos heredes maſculos: vni vero filiarum, ſi ſuperſtites fuerint, dos decem millia ſexagenarum magnorum nummorum *Pragenſis* monetæ attribuuntur. Hæ inſtitutiones confirmatæ ſunt *Norimbergæ*, ſabbato ante dominicam *Iudica* dicti A. MCCCLXIII., a GERLACO, *epiſcopo Moguntino*, archicancellario Romani imperii, RVPERTO ſeniore S. R. I. dapifero, RVDOLPHO, *duce Saxoniæ*

xoniæ, S.R.I. archimarſchallo, LVDOVICO, *Romano*, & CAROLO IV., tanquam rege Bohemiæ & S.R.I. electore. Et iterum *in Alden Berlin*, die lunæ poſt Iacobi, eiusdem anni, regnorum Caroli, Romani, decimo octauo, Bohemiæ decimo ſeptimo, imperii cæſarei nono anno. Vnde liquet, quod & antea e PEVCERO monui, quibus artibus Marchiam Brandenburgenſem ad ſe tranſtulit CAROLVS. Quod ſane male habuit fratres *Bauaros*, STEPHANVM, WILHELMVM & ALBERTVM, ſicut deinceps dicam.

Anhaltini Brandenburgenſes, vt fideles permaneant, iubent.

Eodem anno *Anhaltini* principes, WOLDEMARVS, RVDOLPHVS & IOHANNES publicis literis iubent ciues Brandenburgenſes perſeuerare in fidelitate erga comites Aſcaniæ, non habita ratione homagii hereditarii, quod CAROLO & ipſius heredibus præſtiterint, ratione iuris hypothecani, quo ipſis obligatus fuit LVDOVICVS, *Romanus*, qui A. MCCCLXIV. ciuibus Brandenb. publico diplomate cauit & promiſit, *das er die Stedte Brandenburgk hinforder nicht wolle verpfänden, oder verſetzen.* Sic vtrique doluerunt, Bauari & Anhaltini.

VVilhelmus, Miſnenſis, præficitur Marchiæ.

A. C. MCCCLVI. ROMANVS præfecit Marchiæ, WILHELMVM, *marchionem Miſniæ* & *landgrauium Thuringiæ*. Hic in diplomatibus ſe nominat *einen mächtigen Vorſteher der alten und neuen Marcke zu Brandenburgk.*

obitus Ludouici & coniugis

In cœnobio Franciſcanorum *Berlini*, de cuius fundatione in OTTONE, *longo*, memini, ad parietem in choro verſus ſiniſtram in tabula, de obitu & coniuge LVDOVICI, Romani, leguntur: *A. C. MCCCLXV. obiit illuſtriſſimus princeps & dominus* LVDOVICVS, *Romanus, marchio Brandenburgenſis, filius inuictiſſimi principis & domini* LVDOVICI, *imperatoris, hic inferius ſub altari condigna reuerentia & honore, vt par fuit, tumulatus.* (IOHANNES autem AVENTINVS ſcribit, eum eſſe ſepultum in *Landshut*, in cœnobio *Seligenthal.*) *A. C. MCCCLVII. obiit inclyta domina, dn.* CVNEGVNDIS, *vxor magnifici principis domini* LVDOVICI, *Romani dicti, filia quoque sereniſſimi regis*

 Craco-

Cracouiæ, sub altari hic inferius apud dominum & maritum suum honorifice tradita sepulturæ. Superius diploma nomen INGEBORCH, & CRANZIVS filiam ALBERTI, ducis Megapolensis, describunt: e qua progenitam fuisse arbitror filiam eiusdem nominis, quæ fuit in matrimonio FRIDERICI, *Zolleriani*, de quo in catalogo burggrauiorum Norimbergensium deinceps dicam. Alii eum obiisse annotant A. MCCCLXIX., secundum horum igitur annotationem anni præfecturæ erunt viginti & vnus, quibus etiam continentur nouem anni WOLDEMARI, falso sic crediti, & restant quatuor anni, fratri OTTONI tribuendi, vt compleatur numerus quinquagesimus annorum, quibus Bauari Marchiam gubernarunt. Verum diploma anni MCCCLXV., quo confirmauit OTTO priuilegia veteris ciuitatis *Brandenburg*, conuenit cum tempore mortis ROMANI, quod continet epitaphium Berolinense, secundum quam annotationem ROMANO septendecim & OTTONI octo anni tribuendi erunt.

anni præfecturæ.

ALBERTI, MEGAPOLENSIS, ET LVBECENSIVM EXPEDITIONES ADVERSVS LATROCINIA IN VIIS PVBLICIS.

Auctor est ALBERTVS CRANZIVS *lib. VIII. cap. XXXIV. Vandaliæ*, ciues Lubecenses circa hæc tempora, cum nullus esset finis latrociniorum in viis publicis, ducem Megapolensem ALBERTVM interpellasse, vt eius permissu & auxilio latrones persequi & fineret & curaret: illum autem non modo placide, sed etiam cupide assensum esse, & expedito agmine ciuibus arma iunxisse, & euersa esse latronum latibula: *Dusow, Lassow, Radewin, Dœmnize, Meienborg, Muggenborg* & *Stauenow*, æque noxium furum receptaculum, & omnes criminum

minum reos in his deprehensos ab arboribus vicinis suspensos esse.

C. ter LXI. M. Do. II. sub corpore Christi;
Traduntur castra, Plaw, Sandaw, per Deus astra.

Hi versus cum aliis quibusdam non magni momenti, scripti sunt in quodam libro, qui cœpit A. M C C C L X X X V I., in noua ciuitate *Brandenburg*, & respiciunt ad tempora O T T O N I S, *comitis Stolberg., archiepiscopi Magdeburg.*, qui auxilia misit WOLDEMARO sic dicto contra marchionem LVDOVICVM. Antistes enim post obitum WOLDEMARI, pro refusione expensarum occupauit *Ierichaw, Sandaw, Plaw* & *Plado. vid. chronica* WERNERI. LAZIVS: *Iohannes, cognomento gibbosus, marschalcus a Pappenheim, ad marschalci imperialis officium a Ludouico & inde Carolo IV., cæsaribus, electus erat præfectus veteris Marchiæ; obiit A. MCCCLXX.*

OTTO,
MARCHIO BRANDENBVRGENSES DVX BAVARIAE.

LVDOVICO, *Romano*, defuncto, Marchia deuoluta est in OTTONEM, fratrem eius ex eadem matre *Hollandica*, A. circiter MCCCLXV., quo OTTO solus confirmauit priuilegia *veteris ciuitatis Brandenburg.* Priusquam autem pergo in historia OTTONIS, ex AVENTINO hæc verba adscribam: *Ludouicus, maior, retinuit ius & nomen electoris & archicamerarii S. R. I. Marchiam vero Brandenburgensem concessit fratribus Ludouico, Romano, & Ottoni: qui ingressi Marchiam admodum iuuenes, immodico luxu & intempestiuis comessationibus animos subditorum grauiter offenderunt: quin etiam Carolus IV. voluntates ipsorum a principibus nonnihil abalienauit, &, cum Romanus obiisset, Ottonem Marchia cedere coegit, vt mox dicam.*

Ludouico Otto succedit

CASIMIRVS IV., filius BARNIMI III., ducis Pomeraniæ, OTTONEM, eo quod, pacta hereditaria seruare nollet, seu cessionem fraternam A. MCCCLV. patri BARNIMO III. fa-

ctam

ctam irritam esse vellet, bello infestauit, & *comitem de Lindow* captiuum abduxit A. C. MCCCLXXI. A. autem C. MCCCLXXIII., vt habent *annales Pomeraniæ*, CASIMIRVS in obsidione *Koenigsbergensi* nouæ Marchiæ, sagitta percussus interiit: sicut docet carmen germanicum, quod maiorum nostrorum more, historiam interitus complectitur.

M. CROMERVS *lib. XIII.* annotauit, HASSONEM seu HESSVM quendam, præfectum OTTONIS, marchionis cum didicisset proditione trium Saxonum, qui in præsidio *Santoci* erant, arcem eam a paucis custodiri, a commeatu imparatam esse, præfectumque abesse, cum tumultuaria agrestium fere manu eo accurrisse, arcemque oppugnatam acrius per deditionem cepisse.

Santocum capitur

OTTO igitur coactus a CAROLO IV., cuius filiam ANNAM duxerat, accepta ditione exigua, ac pecunia non magna Marchia cessit, & omni iuri renunciauit, solo sibi titulo reseruato, A. C. MCCCLXXIII. AVENTINVS summam pecuniæ adnumerat ducenta millia florenorum, & addit, OTTONEM hanc pecuniam in arce *Wolffstein* cum MARGARETHA quadam consumsisse. MVNSTERVS vult, dimidiam tantum partem huius summæ numeratam esse, & alterius partis loco, ciuitates quasdam ei oppignoratas. Hanc cessionem OTTONIS, quam præcessit institutio CAROLI IV. & heredum ipsius cum exclusione *Bauarorum*, male habuisse STEPHANVM, fratrem OTTONIS, & huius filios, nepotes & subditos Bauariæ docent sequens rescriptum FRIDERICI, & AVENTINI annotationes:

Carolo IV. Otto Marchiam concedit

quod frater Stephanus eiusque filii ferunt ægre.

Von Gottes Gnaden Wir Friederich, Pfaltzgraffe beym Rhein und Hertzog zu Beyern bekennen öffentlich mit dem Brieffe daß wir gelobet haben undt auch loben, für unserm lieben Herrn und Vater Steffen, dem aeltern, Steffen, den jüngern, und Johannsen des ehegenandten Herrn Steffens, des aeltern, Suhn, unserm lieben

Bru-

Bruder, und auch für uns, was wir Brieffe oder Uhrkund inne haben, von unsern lieben Getreuen, den Bürgern beyder Städte zu Brandenburg, von wegen der Huldigung, die sie unserm ehegenanten Vater gethan haben, undt auch unsern ehegenandten Brüdern, und uns, daß wir ihnen dieselben Brieffe gnädiglich wiedergeben sullen, und wollen, so wir allerschnellest mügen, ohne alles Gefehrde. Ob aber das wäre, daß wir das nichten thäten, oder dieselben Brieffe verlohren wären wurden, und nicht funden möchten werden: so sollen unser ehegenanter Vater, unser ehegenanten Brüder und auch wir ihnen Quidt-Brieffe darüber geben, darin wir sie zu diesen Zeiten aller Huldigung ledig und loß sagen. Mit Uhrkundt dieses Briefes, ihn geben wir unsern anhangenden Insiegel, tho Straußbergk, am nechsten Sonnabend nach Sanckt Bartholomeus-Tag, des heiligen Zwölff Boten, A. C. MCCCLXXIII.

LVDOVICVS quoque BARBATVS, nepos STEPHANI, fratris OTTONIS, A. MCCCCXXXIV., coram SIGISMVNDO, imperatore, conquestus est de vilitate pretii Carolini, ficut verba sonant: *daß Keyser Carl Hertzog Otten im Kauff übersetet, und ihme die Stricke an den Klocken in der Brandenburgischen Marck nicht bezahlet habe.* Denique subditi Ingolstadienses in querela super captiuitate dicti LVDOVICI expresse scribunt: *daß landtwissendlich sey, wie und in welcher Form und Maß Marggraff Friederich, guter Gedächtniß, Ihrem Herrn etwa viel tausend Gülden, und groß treffentlich Gut schuldig gewesen, undt Marggraff Albrecht, als ein Erbe seines natürlichen Vaters demselben ihrem Herrn noch schuldigk.* In hunc itaque modum hic principatus a familia *Bauarica*, post interuallum quinquaginta annorum, quod publica diplomata definiunt, in *Lucelburgensem* translatus est.

A. C. MCCCLXXI., die Iohannis, baptistæ, in *Hauelbergk* OTTO, marchio, ciuibus *Prizwalcensibus* concessit, imo, vt diploma sonat, *giebt ihnen frey, sich wegen ihres von seinen Feinden genommenen Schadens, an dieselbe auf allerley Weise, wie sie mügen,*

donat quædam Hauelberg. ecclesiæ *zu rächen, und was sie von denselben erlangen, solches unter sich gleichmäßig zu theilen, &c.* Idem marchio sequenti anno *episcopatui Hauelbergensi* appropriauit regiunculam Rheno-Marchiæ dictam *Bellin* a castello, quod obtinent nobiles eiusdem nominis.

mors AVENTINVS annotat, OTTONEM obiisse A. C. MCCCLXXVI., & sepultum in *Landshut*, in cœnobio *Seligenthal.*

De vineis veteris ciuitatis Brandenburgk, protestatione præueniente: *ego* GHYSO CYRIZ, *filius* BERNHARDI CYRIZ *piæ memoriæ, lucide profiteor ad notitiam singulorum Christi fidelium cupientes peruenire, quod discreto viro ac honesto* HERMANNO RAGHOZEN, *ciui veteris ciuitatis Brandenburgens., ex meo consensu pariter & assensu, seu ex libera voluntate vendidi vera venditione vineam vnam, quæ cecidit mihi ex vera hereditate patris mei, nec non ex hereditatione meorum fratrum, se obtinere absque vlla contradictione meorum heredum ac meorum amicorum, quod Deus auertat, si talis contradictio in posterum adiungeretur ex vinea prænominata, quod promitto, fide data, in his scriptis. Ad cuius rei euidentiam, &, vt prænarrata maneant inconuulsa, præsentem dedi meo sigillo communitam. Datum A. C. MCCCLXVI., die dominica Reminiscere. Testes huius sunt discreti viri, Nicolaus Riebecke, Iean Landin, Ghyso ex domo lapidea, Hans domo Klot & plures alii discreti.*

Hertich Casimir in den Rathstuel sath,
He dachte nye mehre,
Als wue he vor Königsberge wolte then,
Woll vor die hohe Veste.
Vnd als he vor Königsberge quam,
Woll vor die hohe Veste,
Ein freyer Schueknecht was he genannt
He dede dat allerbeste.

He

He hadde en Armborſt, dat was guth,
Das was ſo ſtarck von ſchöten,
Darmidde ward de Hertoch Caſimier
Dorch ſienen Hals geſchoten.
Sie leden den Herrn up enen Sageblock,
Vnd kehrten en woll gegen die Sunne.
Da was ock jo ſyn ſine blancke Harniſch
Met dem roden Blude berunnen.
Se leden den Herrn up enen baluen Wagen,
Vnd forden ewoll gegen Gartze,
Von Gartze tho Stettin, in de werde Statt
Tho enen Klocken Artzte
O Artzte, leue Artzte myn,
Kan ſe woll Wunden helen,
Ick hebbe der Borge und Stedde ſo veel,
Sie ſcholen dy werden tho Deble.
Vn als he tho den Artzte quam,
Syn Lewen nam en Ende
Wo balde de Hertoch Caſemier
Nach ſynen Broder ſende.
O Broder, leuſte Broder myn,
Nu folg du myner Lehre,
Vnne holt du den Marggrauen
Vor enen truwen Landes-Herrn,
Vnd hedde ick armer alſo gedan,
So darf ick nu nich trure.
Nu mot ick itz in die Erde ſo junck,
Darin mot ick verſulen.

[i]n linea penultima verſus penultimi, ſic vſitate eloquimur, [v]ulgus marchioni accinit nomen FRIDERICI, ſed hoc cum [c]hronologia pugnat.

FAMILIA
LVCELBVRGENSIS.

CAROLVS IV., Romanorum imperator, exclusis *Bauaris* & *Anhaltinis*, Marchiam cum filiis ingressus est, A. C. MCCCLXXV., prid. non. Octobr. &, tertio anno post, condidit in ea arcem & templum ad ostium *Angræ* seu *Tanagræ* fluminis, qua in *Albim* effunditur, pacemque diu resolutam in Marchia restituit. FVNCCIVS, PEVCERVS. Hac vrbe, ad *Albim* sita, adeo delectatum fuisse CAROLVM, testatur CRANZIVS *libr. X. cap. VI. Metropol.*, vt operam aliquando dederit, vt amnis iste nauigabilis portaret ex *Bohemia* naues, quibus merces omnigenæ deueherentur in mare, eiusque generis naues multas iusserit extrui. Timuere, qui ad ripam Albis accolunt, inprimis *Magdeburgenses*, præsumptæ libertati suæ frena impositum iri, arbitrati sunt. Sed vertit rerum cursus principis animum aliorsum, vt mercaturæ obliuisceretur. Nam filio suo post se Romanorum imperium mercari contendit, infinito eius imperii detrimento: de quo idem *auctor*, *eodem libro*, *cap. XXXI.* sic scribit: *hæc est illa aquilæ imperialis deplumatio miserabilis, quam Sigismundus alterius filius, alterius frater, qui despoliauerant, agnouit, vidit, carpsit, sed emendare non potuit.* Verum de CAROLO, qui suæ posteritatis, quam maiestatis imperii, amplificandæ conseruandæque studiosior fuit, PEVCERVS & alii.

Arx Tangermundensis conditur

qua vrbe delectatur Carolus IV.

filio imperium cupit mercari

Nunc genealogiam huius familiæ, quatenus historia marchionum postulat, subscribam. De origine vero stirpis *comitum Lucelburgensium* vide PEVCERVM *lib. IV. chronicorum, in Lothario*, filio Ludouici, pii.

HENRI-

HENRICVS, *comes Lucelburgensis*, Rom. imp. creatur, eius nominis VII.

IOHANNES, filius, rex Bohemiæ

WENCESLAVS, comes Lucelburgensis

ANNA, filia *Bulconis*, duc. Suuidniensis, eius III. coniux --- CAROLVS IV., Rom. imp. -- ELISABETHA, filia *Bugislai*, duc. Pomeraniæ, eius IV. coniux

- WENCESLAVS, Rom. imp.
- IOHANNES, in Lusatia
- SIGISMVNDVS, M. Brandenb., post rex Hungariæ & Rom. imp.

IOHANNES HENRICVS, M. Morauiæ

- IODOCVS, PROCOPIVS, marchiones Morauiæ, Marchiam Brand. oppignoratam habuerunt.

De diuisione hereditatis paternæ inter filios ita scribit PEVCERVS *lib. V. Chron.* WENCESLAO *regnum Bohemiæ*, SIGISMVNDO, *quinquenni puero*, *Marchiam Brandenburgensem*, IOHANNI, *natu minimo*, *Gorlicium Lusatiæ attribuit* CAROLVS, *adiunctis aliquot vicinis oppidis.* Huic annotationi congruunt verba SIGISMVNDI, quæ extant in diplomate germanico, cuius in FRIDERICO I. deinceps mentionem faciam: *das Churfürstenthum der Marcke zu Brandenburg haben wir, von unsern väterlichen Erbschafften wegen, des aller ersten besessen etc.* Sequentia extant in resignatione WENCESLAI, facta A. C. MCCCLXXVIII. *die Borgemeister, die Rathe und Borgere, gemeinlich der Stätte tho Brandenburg, alte und neue, Spandow, Nauen, Rathenow, Golzen und alle andere Ritter und Knechte, die in dem Hauelland, auf den glyn und umb die Stette gesessen seyn, aller solcher Huldigung und Gelübde, so sie uns gethan haben, ledig und looß gelassen,*

ſen, und habe ſie an den Hochgebohrnen Sigismund, vnſern lieben Bruder und Fürſten, gewieſen und ſein Erben, &c. hoc deficiente ſine maſculis heredibus, ad IOHANNEM, *ducem Gorlicenſem*, & poſt hunc ad regnum Bohemiæ.

SIGISMVNDVS,

MARCHIO BRANDENBVRGENSIS.

SIGISMVNDO, quinquenni puero, vt dictum eſt, Marchiam Brandenburgenſem attribuit CAROLVS, pater. Itaque diplomata anni MCCCLXXIII., & alia, quæ nomen WENCESLAI continent, de illo tempore, quo ipſe, abſente patre, ante SIGISMVNDVM præfuit, intelligi poſſunt. Et oſtendit ſequentis anni diploma, mixtum fuiſſe imperium, (nam nomina trium fratrum, WENCESLAI, SIGISMVNDI & IOHANNIS, exprimit & Marchiam Brandenb. in ſempiternum copulat regno Bohemiæ,) vsque ad A. C. MCCCLXXVIII., quo WENCESLAVS reſignauit & SIGISMVNDVS ſolus confirmauit priuilegia veteris ciuitatis *Brandenburgk*, in die Laurentii. Nam A. MCCCLXXVI. WENCESLAVS electus eſt in Romanum imperatorem, cui electioni interfuiſſe legatos SIGISMVNDI, fratris & marchionis Brandenburgenſis, PEVCERVS affirmat. His ita conſideratis, nihil faceſſet negotii quinquennium, quod quidam WENCESLAI præfecturæ adſcribunt.

mixtum fratrum in Marchia imperium

Sigismundus ſolus imperat, VVenceslao electo imperatore,

Sed SIGISMVNDVS animum ad regnum *Hungariæ* adiecit. Nam mater eius ELISABETHA, filia BVGISLAI V., *ducis Pomeraniæ*, conſobrina LVDOVICI, *regis Hungariæ*, confecit filio nuptias ELISABETHÆ, filiæ LVDOVICI, Romani, impetrato in dotem regno: in quo, extruſo æmulo CAROLO, *Neapolitano*, armis & ſuppliciis aliquorum infidorum procerum ſeſe confirmare coactus eſt: ad quam rem cum ſumptus deeſſent, Marchiam Brandenb. oppignorauit patruelibus, IODOCO

Sigismundus Hungariam adfectat.

CO

CO & PROCOPIO, *Morauiæ marchionibus*, A. C. circiter MCCCLXXXVIII., hoc enim anno IODOCVS confirmauit priuilegia. SIGISMVNDVM etiam Marchiam gubernaſſe, dum in *Hungaria* eſſet, docent duo diplomata A. C. MCCCLXXXIV., quorum altero, in vigilia aſcens. Domini, *Budæ* confirmat electos ſcabinos *Brandenburg.*, altero, ibidem die ſolis poſt aſcens. Domini perſcripto, ſcabinis veteris ciuitatis *Brandenburgk* mandat, vt electos ſcabinos recipiant. Ab anno igitur MCCCLXXIII., quo CAROLVS ingreſſus eſt Marchiam, vsque ad A. MCCCLXXXVIII., quo in regem Hungariæ electus eſt SIGISMVNDVS, numerantur XV. anni, quorum priores mixtæ ſub WENCESLAO, poſteriores SIGISMVNDI præfecturæ tribuendi erunt. Quin etiam noua Marchia, CROMERO teſte, a SCIBORIO SCIBORICIO, equite Polono, qui SIGISMVNDO non parum in bello Hungarico commodauit, cum neruo belli deficeretur, VLADISLAO, regi Poloniæ, pro decem millibus marcarum Polonicarum oppignorata fuit. Numerata tamen quatuor millia ſunt, nec de reliqua pecunia poſt numerata, neque de poſſeſſione Marchiæ, regi tradita, quicquam extat.

vnde Marchiam oppignorat

noua Marchia eſt pignori data Polonis

A. C. MCCCLXXXIV., in die *Iacobi*, IOACHIMVS & BVSSO, *patrueles* GENSE, *barones in* PVTLIST, LIPPOLDVS *de* KRVMSTORF, capitaneus veteris Marchiæ, cum ſenatu populoque *Prizwalcenſi* mutuum fœdus inierunt, ad propulſandas hoſtiles incurſiones. Actum Werben.

DE CONCVRSV RELIGIOSO AD OPPIDVM WILSENACVM IN PRIGNISSA.

A. C. MCCCLXXXIV. ſub SIGISMVNDO, marchione, & THEODORICO, *epiſcopo Hauelbergenſi*, cœpit curſus in oppi-

oppidum *Wilſenacum Prigniſſæ*, teſte CRANZIO, per eam occaſionem; *erant nonnulli ea regione habitantibus vel hoſtes vel latrunculi, (incertum enim reliquerunt, qui ſignarunt annales,) qui, incenſa villa Wilſenaco, eccleſiam pariter in cineres redegerunt: ſacerdos, cum ad proximam villam confugiſſet, eſſetque noctu inſtrato, audiuiſſe fertur vocem: ſurge, præpara te ſacris miniſteriis, dicturus miſſam in altari exuſtæ nuper eccleſiæ. Primam vocem, arbitratus ludificationem, contempſit: repetita ſecundo, repetita quoque tertio, nec potuit negligere ita firmatam denunciationem. Surgit, &, ex more ſoluto labiorum penſo, ad eccleſiæ locum proficiſcitur. Stabat altare poſt incendium, duo ibi cerei ex latere vtroque: in medio mundam vidit ſindonem, inque ea trinam hoſtiam, quæ videbatur in vnam coaluiſſe, eamque cruentam, ſtupefactus rei nouitate, vnde hoſtiæ cruentæ poſt incendium, reuerenter inclinans & componens, quomodo poterat, concito petit loci antiſtitem Hauelbergenſem, quid audierit, deinde, quid viderit, enarrat. Miratur & ille, proficiſcitur cum clero, vidit, miratur, cuncta percontatur. Vbi præter diuinum miraculum nihil videt, includit hoſtiam cryſtallo, & vicinis primum locis, inde remotioribus, Dei mirabilia nunciantur: accurrunt vndique populi ab vsque Hungaria, Francia, Anglia, Scotia, Dania, Suecia, Norvvegia. Multa fertur renouaſſe Chriſtus Dominus, in reuelatione corporis ſacri ſub altaris velamento mirabilia. Sed, vt fit, vanitate partim populi, accedente auaritia cleri, facta infecta nunciantur. Fuere aliquando doctorum ſuper ea re contradictiones: ſcripſere nonnulli, quid videretur? ſed populus ſemel incaleſcens, aut deuotione, aut ſuperſtitione non facile reuocatur.* Hæc CRANZIVS, *lib. IX. cap. XI. Vandal. vid.* G. FABRICII *annales vrbis Miſniæ lib. II. pag. 149. A. MCCCCXLIV.* Diſputauit autem contra hoc idolum Wilſenacenſe, venerabilis vir M. HENRICVS TOKE, *canonicus Magdeburgenſis*, A. C. MCCCCLI., in oratione hiſtorica, cuius deinceps in FRIDERICO II. & IOACHIMO II. mentionem faciam: eſt enim digna, quæ a multis legatur.

A. C.

A. C. MCCCLXXXV. episcopus Magdeburgensis ALBERTVS *de* QVERNFVRTT restaurauit arcem *Mylow* ad *Hauelum*, Marchiacis resistentibus, sed impedire non valentibus. *Chron. Sax.* Arcem autem dictam hodie possident, & a praeternauigantibus, qui non sunt exempti, vectigal exigunt *Nobiles a* TRESKOW, qui administratorem Magdeburgensem superiorem agnoscunt. *Chronica Magdeburgica* WERNERI annotant, A. MCCCLXXXVIII. ALBERTVM obsedisse *Golzaw*, & expugnasse ciuitatem *Gœrzke*, eam desolatam possident nunc *equites de* SCHIERSTET.

arx Mylow instauratur

IODOCVS, ET PROCOPIVS,

MARCHIONES BRANDENBVRGENSES ET MORAVIÆ.

Marchiam oppignoratam a SIGISMVNDO, patruele, IODOCVS & PROCOPIVS, *marchiones Morauiæ*, aliquandiu tenuerunt. Et primum ab A. C. MCCCLXXXIX., quo IODOCVS confirmauit priuilegia, ad A. MCCCXCV., quo WILHELMVS, *Misnensis*, eadem stabiliuit: deinde ab A. MCCCXCIX. vsque ad A. MCCCCXI. in diplomatibus nomen IODOCI continetur: vnde coniecturare licet, IODOCVM, etsi integram summam, quam CRANZIVS quadraginta millia sexagenarum Bohemicarum fuisse scribit, WILHELMO non reddiderit, Marchiam tamen recuperasse & gubernasse, soluta parte pecuniæ. Diploma *oppignorationis* SIGISMVNDI & IOHANNIS, A. MCCCLXXXVIII., die IV. post corpor. Christi perscriptum, hæc verba habet: *den Edlen allen denen von Rochaw, Hanßen und Matthiassen und allen Gebrüderen von Bredaw sein geheisen: den von Rehderen, und allen unsern Mannen, in dem Hauellande. Item Cunrade von Kleps, Hansen von Rönnebecke,*

 und

undallen andern Mannen, die da wohnen auf den Glyn. Item allen Burgemeisteren und Rathmannen unser Stedte bey der Brandenburgk, Rathenau, Nauen, Spandaw, und Potstamb &c. Herrn Jobst und Herrn Procopen versezt haben die Marck &c. als ihr unsere schwere Vngunst wollet meiden, datum Schindaw. Ita SIGISMVNDVS, IOHANNES autem: *das wir unsern Willen darzu gegeben haben.*

amissas Marchiæ partes conantur recuperare

Principio autem magno militum agmine descenderunt hi fratres in Marchiam, ad recuperanda ea, quæ ad eam ab olim pertinerent: mutati enim fuerant limites ditionum: sed sine magno fructu coepto destiterunt. CRANZIVS *lib. IX. c. XXIV. Vandal.* Idem de IOHANNE, principe Megapolensium, *lib. X. c. XXX. Vandal.*, scribit: *Marchiæ proceres cum inuiderent, transeuntem* IOHANNEM, *cum ad* IODOCVM, *marchionem, proficisceretur, capiunt, & in arce Plawen septem annis captum detinent, donec magno se lueret aere.* MVNSTERVS ita refert: IOHANNI, IOHANNIS *filio, nepoti* HENRICI LEONIS, IODOCVS, *marchio, Brandenburgensem commendauit Marchiam, aduersus hunc insurrexerunt comites Ruppinenses, a quibus originem generis sui trahunt nobiles* QVIZOVII, *& captiuum abduxerunt, filiumque eius* VLRICVM *tenuerunt in Angermunde annos nouem & sex menses in custodia.* Hic quia mentio fit arcis *Plawen* & generis nobilium *Quizouiorum*, non possum intermittere, quin addam, nobiles QVIZOVIOS olim tenuisse arcem *Plawensem*, sicut in FRIDERICO I. dicetur. PAVLVS LANGIVS, *monachus, in chronico Citicensi:* A. MCCCCXI. IODOCVS, *marchio Brandenburgensis, octogenarius obiit, relinquens Marchiam sub tribulatione & tyrannide Quizouiorum.* Idem marchio *capitulo Hauelbergensi* contulit ius patronatus ecclesiarum parochialium in Perleberg & Kyriz, ideoque eius memoria ter in anno solenniter peracta fuit.

Quizouiorum origo

Iodoci mors

Boizenburgi & aliorum oppidorum in *Vckera Marchia* prius in ROMVLI historia mentionem feci: hæc oppida A. MCCCXC.

MCCCXC. WENCESLAVS, *Bohemiæ rex*, donauit SWANTIBORO, *duci Stettinensi*, quod ei MDC. equites, auxilii loco, contra Bohemos submisisset. *Annal. Pomeranici.*

WILHELMVS II.,

LANDGRAVIVS THVRINGIAE.

MArchiam Brandenburgensem vicissim oppignorarunt WILHELMO, eius nomini *secundo*, & *diuiti*, *marchioni Misnensi*, IODOCVS & PROCOPIVS: imprimis IODOCVS, qui ad imperium adspirauit. A. C. MCCCXCV., die veneris post Iohannis, baptistæ, WILHELMVS confirmauit priuilegia. Ab hoc anno, vsque ad A. MCCCXCIX., numerantur tantum IV. anni, & sequentia diplomata nomen IODOCI iterum continent & docent, multa eum officia marchionis exercuisse, beneficia noua contulisse & vetera confirmasse, vt prius monui.

VVilhelmus a Iodoco accipit Marchiam

A. autem MCCCCXI. ad SIGISMVNDVM rediit Marchia vniuersa, qui ex *Buda Hungariæ*, sex ante VLRICI diem regnorum, Vngarici vicessimi tertii, Romani primo anno iterum confirmauit priuilegia veteris ciuitatis Brandenburgk, & toti Marchiæ præfecit FRIDERICVM, *burggrauium Norimbergensem*, sicut deinceps dicendum.

eam recipit Sigismundus

Fuit hic WILHELMVS pronepos FRIDERICI, *admorsi*, cuius supra in Anhaltinis memini, frater FRIDERICI I., huius nominis, electoris Saxoniæ. Epitaphium eius extat in templo cathedrali *Altenburgensi*: A. MCCCCXXV. *collegii huius fundator: militiæ & pacis amator:* WILHELMVS, *princeps illustris, marchioque Misnensis: humatus in loco isto: in requie regnat cum Christo.*

Fridericus Marchiæ præficitur

Hiſtoriæ eius familiam ſubiiciam:

HENRICVS, *illuſtris*, obiit MCCLXXXVIII.

|

ALBERTVS

|

FRIDERICVS, *admorſus*

|

FRIDERICVS, *grauis*, obiit MCCCXLIX.

|

WILHELMVS I., *monocolus* — FRIDERICVS, *ſtrenuus* — BALTHASAR, *landgrauius*

| (FRIDERICVS, *ſtrenuus*)

WILHELMVS II., *diues*, qui Marchiam Brand. pignus habuit — FRIDERICVS, *bellicoſus*, I. elect. dux Saxon. A. MCCCCXXIII. — GEORGIVS

| (FRIDERICVS, *bellicoſus*)

*

WILHELMVS III. | FRIDERICVS, *placidus*, II. elector | SIGISMVNDVS, episcopus Wurzburgens. | CATHARINA, vxor *Friderici II.*, march. Brand. & electoris

MARGARETHA, vxor *Iohannis I.*, march. Brand. | ALBERTVS | ERNESTVS, elector | ANNA, vxor II. *Alberti Achillis*, march. Brand. elector

HENRICVS | GEORGIVS | ERNESTVS, Anh. Magdeburg. | FRIDERICVS, *sapiens*, elector | IOHANNES I., elector | ALBERTVS, archiepisc. Mogunt.

MAVRITIVS, elector | AVGVSTVS, elector | AEMILIA, vxor *Georgii*, march. Onolsb. | MAGDALENA, vxor *Ioachimi II.*, march. Brand. electoris | IOHANNES, obiit A. MDXXXVII., XI. Ian. | FRIDERICVS, obiit MDXXXIX., XXVI. Febr. | IOHANNES FRIDERICVS, elector, natus MDIII.

CHRISTIANVS, dux Saxoniæ --- SOPHIA, filia *Iohannis Georgii*, march. Brand. | ANNA DOROTHEA | ELISABETHA, coniux *Casimiri*, Palatini | IOHANNES FRIDERICVS, nat. MDXXIX. | IOHANNES WILHELMVS

CHRISTIANVS, A. MDLXXXIII., XXIII. Sept. | IOHANNES GEORGIVS, A. MDLXXXV., VI. Martii | AVGVSTVS | IOHANNES ERNESTVS | IOHANNES CASIMIRVS | FRIDERICVS WILHELMVS | IOHANNES.

ARCES
SCHNAKENBORCH, GARTOW, KLOEZEKE.

Luneburgenses arces Marchiæ inuadunt.

A. C. circiter MCCCXC., quo IODOCVS Marchi am oppignoratam habuit, BERNHARDVS & HENRI CVS, *duces Luneburgenses*, suis viribus nixi, arces *Schnakenbor* & *Gartow* expugnauerunt, vastantes omnia vsque ad opp dum *Soldwedel*. Inde deflectentes ad arcem *Klœzeke* peruene runt, eam militares de *Quizow* tenuerunt, fortiterque defen sa est, vt præter prædam tum nihil auferrent. Sed postea, vo cato in auxilium ALBERTO, *episcopo Magdeburgens.*, eanden arcem *Klœzeke*, receptatricem latronum & omnium, qui ins diantur viis publicis, aggressi, armis & machinis expugnarun repertosque in ea latrones crucibus & furcis infixerunt. vi CRANZIVS *lib. X. cap. XIII. & XIV. Sax.*

OBSIDIO OPPIDI
RATHENOW.

Albertus, Magdeburg., vrbem Rathenow occupatam reddit Sigismundo.

A. C. MCCCXCIV., *Mitwochs im* Aduent, ALBERTVS, *ep scopus Magdeburgensis* obsidione cinxit oppidum *Rathenov* ad *Hauelum* situm, & proditione quorundam, qui intus fuer in deditionem accepit. Sed iusta prodentibus præmia perso uit: iussit enim eos excedere terra cum vxoribus & omni f milia: certus, in se facturos, vbi daretur occasio, quod nun pro se fecissent. Ita discreuit fidem a commodis, cum ill rum vteretur opera: factum tamen non probabat, pernicie exempli prospiciens. CRANZIVS *lib. X. cap. XVI. Saxon. ite chron. Saxoniæ. Chronica Magdeburgensia* WERNERI memin runt, WENCESLAVM, regem Romanum, effecisse, vt ALBE TVS marchioni SIGISMVNDO ciuitatem *Rathenow* redder & ALBERTVS in aula SIGISMVNDI officium cancellarii fu iret & legatus ad regem Galliæ mitteretur.

CO

CONVENTVS IN VRBE PERLEBERG ET EXPVGNATIO OPPIDI *LENZEN.*

TEmporibus illis, quibus WILHELMVS, *Misnensis*, possedit Marchiam Brandenburgensem, ALBERTVS inani titulo *rex Sueciæ*, *dux Megapolensium*, conuentum habuit in oppido *Prignissæ Perlebergk*, cum prædicto WILHELMO, & præcipue hoc egit, vt interdicerentur arcerenturque, quæ multa fiebant ex Marchia, præcipue *Prignissæ*, latrocinia in viis publicis. Firmauerunt autem inter se principes, omni conatu persequendos prædones. Dum hæc potissimum geruntur, improborum manus, quæ in *Lenzen*, oppido ad *Albim*, recepta est, egreditur & munitionem, quam ALBERTVS in suo loco aduersus illos erexit, deiiciunt, vastantque in circuitu omnia. Indignati principes, quod per contemptum suum ista fieri interpretarentur, misere, qui oppidum *Lenzen* cum arce expugnarent, captosque in ea prædones suspendio perderent: nec secius, ac mandatum, peractum est. Ita dignum moribus & factis exitum inuenerunt. Vid. CRANZIVS *l. IX. cap. XXXVIII. Vandal.*

de latrociniis compescendis inter principes conuenit

Lenzen expugnatur

ARCES *VVSTROW, MESEKOW, MARCKEMOS ET KVMMERLOS.*

Etsi satis iam videretur factum capto oppido *Lenzen* cum arce: tamen supererant prædantium reliquiæ in vicinis arcibus *Vustrow*, *Mesekow*, *Marckemos & Kummerlos*: tartarea & latrociniis digna nomina, quæ ex veteri Vandalico remanserunt vocabula. Sed ALBERTVS, rex, in societatem eius expeditionis euocauit LAVRENTIVM, *Vandaliæ* principem, armaque illi iungentes, obsident, oppugnant & euertunt illa latibula: qui vero inerant, cum diffiderent, non expectandum rati, abierunt.

arces prædatoriæ destruuntur

erunt. Illi, iniecto igne, concremarunt soloque æquarunt CRANZIVS *lib. eodem, cap. XXXIX. Vandal.*

Ad vocabula illa quod attinet, supersunt illa hodierno die, & suos habent dominos, præter *Marckemos*, quæ arx, seu la tibulum situm fuit ad syluam, quæ hodie pertinet ad *cœnobium sacri busti*, quod est virginum ordinis Cisterciensium vnico milliari distans a *Prizwalck*, vt supra monui.

His annotationibus CRANZII libet adscribere literas RVDOLPHI III., eius nominis, & vltimi electoris Saxonici e familia Anhaltina, quæ statum horum temporum, in quibus Marchia certos dominos non habuit, cum præcedentibus historiis, exprimunt:

Rudolphi ducis Sax., literæ ad senatum Berolinensem.

Rudolff von Gottes Gnaden zu Sachsen und Lünenburg Herzog &c. des Heyl. Römischen Reichs Erz-Marschalck &c.

Erbaren, weisen, liben besundern Freunde, Vnß haben mit Klage fürgebracht Hanß Nitze und Laurentz Fischer, vnsere besessen Bürger zu Herzeberg, wie daß Clauß und Andreas Plawe, mit ihren Helffern, zwischen Köpenick und Mittenwalde, vier Pferdt und ander Gerethe genohmmen und sie gefangen haben, und daß die, di sie vorrathen und vorspehet haben, gelegen haben zu Mittenwald in eines Bürgers Hauße, genant Kuborch, und dieselbe Vorrether heissen Claus Wäyhoff und Lüdicke, und auch so sprechen die Vnsern daß es ihnen geschehen ist von Wusserhusen und wieder zu und di unsern seyn geführet gen Hogennowe, und seyn daselbst beschazet auf LXII. Schock Böhmis. Groschen und auf ein halb tuch schones gewandes. Das ehegenante Schloß Hogennowe die Czicker inne haben und den dritten Pfenning genhommen haben, daß die unsern daselbst alßo beschatzet seyn, alßo, als wir meinen, daß es doch nicht seyn solte: Sindemals, das sie vnsers Oheim Marckgraffen Iostes von Mehren Erbmann seyn, und Erbgüther legen haben, bey dem Berlin zu Lorbe, das von ihrentwegen inne hat Hanß Schlegell und unsere Dinge mit ihm und euch güttlich gelegen seyn; darüm so bitten

wi

wir euch, und glauben euch wol, das ihr den unsern zu den Czikem und auch zu Cunrad, Otten und Niclas von Sliuen, gesessen zu Wusterhusen, helffen und sie unterwysen, das dem unsern das ihre wiederthan werde, und der Beschatzunge ledig und loß werden, und euch hierinnen also bewysen, als ir woldet, das wir gen euch oder gen den eweren thun sulden, ob sich das also gebierte, das ist uns wol zu dancke: Ewer Antwort. Gegeben zu Herzeberg des negsten Sunabends nach der heiligen dreier Königen Tage &c.

Den Erbaren Weisen Bürger-Meistern und Rathmannen zum Berlin und zu Cölln, unsern liben besundern Freunden &c.

Conclusionis loco verba CRANZII e *lib. IX. cap. XXXI. Vandal.* adnotabo: *Marchia Brandenburgensis iterum per hæc tempora innouauit principes suos. Peruenerat feudi iure ad* LVDOVICVM, *regem Romanorum, per mortem* WOLDEMARI, *sine prole decedentis. Ille permisit* LVDOVICO, *filio, & ille fratri* ROMVLO: *vnde peruenit ad* OTTONEM, *qui illum principatum vili licitatus, vendidit imperatori* CAROLO: *ille eum permisit filio* SIGISMVNDO, *a quo peruenit ad* IODOCVM, *Morauiæ marchionem: hic eius dominio exsaturatus, tradidit illum, vt ferunt, in pignus* WILHEMO, *Misnensi, acceptis ab eo quadraginta millia Sexagenarum & grossis Bohemicis. Sed* SIGISMVNDVS, *posteaquam ad Romanum peruenit imperium, eum vel ære redemtum, vel quouis iure reuocatum, permisit* FRIDERICO, *burggrauio Norimbergensi.*

FAMILIA ZOLLERIANA.

Origo familiæ Romana.

O*Riginem familiæ alii aliam constituunt. Qui Romanam esse volunt, auctorem celebrant* PETRVM COLVMNAM, *præpotentem, sed incertæ originis in vrbe Roma ciuem, qui, imperante* HENRICO V., *impulsu* RICHARDI, *comitis Campani, aduersatus electioni* PASCHALIS II., *occupauit Cauas agri Pranestini oppidum, quod pontificiæ ditionis erat, cum belli socii* PTOLEMAEVS, *Sublaquensis, Albam,* STEPHANVS

 CORSVS

CORSVS *Basilicam S. Pauli inuasissent.* *Huic, vt referunt, cum* PASCHALIS, *receptis Cauis, vicissim* COLVMNAM *&* ZAGAROLLAM, *paternæ hereditatis castella, abstulisset, etsi deprecanti culpam ignouit, erepta tamen non restituit: quorum recuperandorum gratia, quod noua bella subinde moliretur, pontifex tota illum Italia expulit, vna cum aliis familiis. Ex ea fuga* PETRVM, *perhibent, ad* HENRICVM V. *in Germaniam sese recepisse, atque impetratis oppidis aliquot & portoriis in Sueuia, arcem extruxisse, quam a castello patrio nominauit* ZAGAROLLAM, *quæ sit deinceps, exigua deprauatione, vocata Zœllern. Columnios vero, qui nunc inter Romanos clari habentur, nomen quidem a* COLVMNA, *castello, quod obtinuerunt, similiter adeptos, sed ex alia recentiore, non hac vetere familia, prouenisse: qui, si auctorem generis iactitant* OTTONEM, *quendam magnum militem, qui vixit quingentos annos ante* VOLATERRANVM, *vt ipse annotat, antecessit hæc posterior stirps priorem centum annis: quia* PETRVS *centesimo anno post* OTTONEM *vixit, hæc inter se non congruunt.*

Columna Italia pulsus in Germaniam abit

Zagarollam condit, vnde Zollern

Etsi autem coniectura de castello Zagarolla concinna est: tamen, cum nullis aliis certioribus historiarum argumentis nitatur, eruditi eam minime amplectuntur: sed gentis insignia & aliæ veritati historicæ propiores coniecturæ eos mouent, vt pene indubitato credant, familiam descendere vera propagine ex antiquissimorum Guelphorum stirpe, quos origine quidem Bauaros, LVDOVICO *tamen* LOTHARII *filio imperante, obtinuisse primas in Sueuia sedes, constat, propterea, quod is* ETICONIS GVELPHI *filiam vxorem habuit: & hos solos ex vetustissima ac nobilissima Guelphorum stirpe mascula reliquos esse, sentiant: illis vero facile assentiantur, qui e conuerso ex his Columnios Romanos deducunt: cum certum sit, plurimas nobiles familias in Italiam bellorum occasione & gubernationis causa ab imperatoribus traductas atque collocatas esse. Et fortasse ex hac ipsa veteri stirpe Guelphorum fuit* PETRVS COLVMNA, *& simili occasione donatus possessionibus in Italia & iure ciuitatis ab imperatore nomen cum fortuna & euentu mutauit, &*

vera eius origo est Guelphica.

origo Columniorum.

quod

quod adhæreret HENRICO V. *contra pontificem, pulſus rediit ad auitas ſedes condita arce illa, quam in Italia tenuerat homonymo.* Hæc PEVCERVS.

Si vero quis altius repetat principia gentis, *Welphos* cognoſcat origine ſeu *Sueuos* ſeu *Alemannos* retinuiſſe patrias & auitas ſedes, ea conditione, vt nouis dominis ſubiecti eſſent ac parerent. WELPHVS germanica lingua *catulum* ſignificat, & in vulgari vſu adhuc retinetur *Wælp.* Proſapia Welphorum initio anguſtas ſedes habuit ad *Altorff* & *Rauensburg*, oppida *Sueuiæ*, quam primus illuſtrauit WELPHVS, *comes Sueuiæ.* Genealogiam require in CVNRADO, *Saliquo, lib. IV. Chron.* PEVCERI, & adiungito ea, quæ nuper euulgauit REINERVS REINECCIVS, *Steinhemius.* Quæ de gentis inſignibus ex PEVCERO annotauimus, cum iis congruunt verba in oratione *de Guelpho, duce Bauariæ, in tomo II. declamationum* PHILIPPI MELANCHTHONIS. Erat GVELPHVS Bauarorum princeps, & nonnulla Sueuiæ oppida tenebat. Atque ab ea familia *comites a Zollern* deinde originem duxiſſe, argumento eſt *catulus*, inſigne gentilitium familiæ eius, quem & marchiones Brandenburgenſes, qui eosdem ſui generis & ſanguinis auctores ferunt, vt vetuſtæ originis monumentum, in galeæ cono geſtant.

VVelphus quid ſignificet?

VVelphorum ſedes

Guelphorum inſignia

Priusquam vero marchiones Brandenburgenſes ex hac familia adnumero, operæ pretium fieri, puto, vt *burggrauios Norinbergenſes* præmittam, vt incrementa dignitatum in ſacro imperio huius familiæ magis conſpicua fiant.

FRIDERICVS I.,

COMES IN ZOLLERN ET BVRGGRAVIVS NORINBERGENSIS.

De dignitate burggrauiatus ſuperiori libro dixi. Hanc igitur in *Norico* caſtro, HENRICO, burggrauio, defuncto, FRI-

Friderici I. parentes, accipit Burggrauiatum Noricum.

FRIDERICVS, *comes in Zollern*, natus patre EITEL FRIDERICO I. & matre AGNETE, forore RVDOLPHI, imperatoris, primus obtinuit ab auunculo, &, vt ea ad posteros iure hereditario transiret, impetrauit A. C. MCCLXXIV., altero scilicet post electionem RVDOLPHI. Nam ante FRIDERICVM hunc designabantur burggrauii, iudicio & arbitrio imperatorum. De insigni familiaritate & consuetudine vtriusque sic scribit CHRISTOPHORVS MEIENBVRGIVS *in oratione funebri illustriss. P. P. fratrum* IOACHIMI II., *electoris*, & IOHANNIS, *marchionum Brand.*, A. C. MCCLXXIII. *Francofordiæ, peractis triennalibus comitiis, electores conuenerunt, vt* RVDOLPHVS *ob res vbique feliciter & strenue gestas* ALFONSO, *Castiliæ regi, Romani regis titulum abnuenti, post interregnum substitueretur. Commorabatur tum* RVDOLPHVS *inter deuictos & debellatos Heluetios in obsidione Basileæ, cui* FRIDERICVS ZOLLERIANVS *ex contiguis castris pari dignitatis splendore, non solum familiaris, sed & assiduus aderat, ita, vt promiscua fere esset, vti inter æquales, qui opinione virtutis nituntur, fieri solet, alterutrius sine fastu ad alterum commeatio. Allato vero nuncio ad* FRIDERICVM, *cum electorum mandatis, vt* RVDOLPHVM *ad inaugurationem Aquisgranum imperii nomine duceret, deposita modeste illa familiari facilitate, quæ vtrique antea communis fuerat, ad castra* RVDOLPHI *accessit, & petit aditum sibi concedi. Hanc consuetæ familiaritatis intermissionem admiratus* RVDOLPHVS, *quæsiuit, cur internuncio ad accessum, qui ipsi semper fuisset liberrimus, nunc vteretur, seque alieniorem a pristina familiaritate ostentaret. Cui respondit singulari comitate* FRIDERICVS: *non licere sibi Romanum cæsarem sine venia interpellare, quem nunc primo ex decreto senatus imperii venerari eique prospera ac felicia omnia precari cuperet: hunc mox totius exercitus faustæ acclamationes secutæ sunt. In hac communi omnium lætitia* RVDOLPHVS *non tam allati prioris nuncii gaudium, quam Zolleriani festiuam comitatem ac fidelis obsequii, in multis bellorum periculis assiduitatem liberali remune-*

nuneratione dignam existimans, ducatu Franciæ & possessione No- ici castri eum anno post donauit ac petiit, vt, postquam alia maior per Romani imperii fines dignitas nunc non vacaret, tenuitatem huius oni consuleret: siquidem omnino cuperet in re maiori ipsi, quem lurimi semper fecisset, gratificari. Vsusque est postea eius fideli pera in bellis grauissimis, quæ contra OTTOCARVM, *regem Bo- emiæ, felicissime gessit.*

Cœperunt tum Austriaca & Zolleriana familiæ vno velut iomento, dispari tamen incremento augeri & euehi. RV-)OLPHVS quidem originem præbuit archiducibus Austriæ, 1 qua familia ab hoc vsque ad RVDOLPHVM II., qui nunc)ei gratia in Romano imperio rerum potitur, numerantur ecem imperatores. FRIDERICVS autem antiquissimis & cla- issimis in Sueuia maioribus ortus, posteritatem condidit, quæ imiliam ditionibus amplissimis locupletatam, claritate nomi- is etiam ac virtutis & rerum gestarum magnitudine extulit d fastigium septem-viratus, SIGISMVNDO imperante. Ab oc FRIDERICO vsque ad IOHANNEM GEORGIVM, prin- ipem nostrum clementissimum, numerantur quatuor comites septem marchiones Brandenburgenses, electores Romani nperii, eo successionis ordine, quem sequens diagramma in- traque familia describit:

Incrementa familiæ Austriacæ & Zollerianæ

ALBERTVS, comes prouincialis Alſatiæ & Habspurgenſis

RVDOLPHVS, comes Habsp., euectus ad Imp. Rom. A. MCCLXXIII.

ALBERTVS, dux Auſtriæ, Rom. imp.

FRIDERICVS, *pulcher*, oppoſitus Bauaro Rom. imp.

ALBERTVS, *ſapiens*, Rom. imp.

LEOPOLDVS, cognomento *gloria militum*

ERNESTVS, dux Auſtriæ

FRIDERICVS, Auſtriacus, Rom. imp.

MAXIMILIANVS I., Rom. imp.

PHILIPPVS, rex Hiſpaniæ, eius filii

CAROLVS V., Rom. imp. & rex Hiſpaniæ

FERDINANDVS, R. imp.

MAXIMILIANVS II., Rom. imp.

RVDOLPHVS II., Rom. imp., nunc D. G. rerum potitur.

AGNES, ſoror *Rudolphi*

FRIDERICVS I., comes in Zollern, burggr. Norimb.

FRIDERICVS II., comes in Zollern, burggr. Norimb.

IOHANNES, comes in Zollern, burggr. Norimb.

FRIDERICVS III., comes in Zoll., burggr. Norimb.

FRIDERICVS I., marchio Brand. elect. com. in Zoll.

ALBERTVS, *Achilles* elect.

FRIDERICVS II., elect.

IOHANNES, march. Brand. S. R. imp. elect.

IOACHIMVS I., S. R. imp. elect.

IOACHIMVS II., S. Rom. imp. elect.

IOHANNES GEORGIVS, S. Rom. imp. elector, D. G. Marchiæ nunc præeſt.

Ea

Ea vero, quæ de poſſeſſionis Norici caſtri donatione verbis MEIENBVRGII ad A. C. MCCLXXIV. retulimus, a CASPARO PEVCERO *lib. V. chronic.* in *Rudolpho* ſic annotantur: RVDOLPHVS FRIDERICO *promiſſum* CVNRADI *de burggrauiatu Norinbergenſi renouauit, quem paulo poſt,* HENRICO, *burggrauio, mortuo, circiter A. C. MCCLXXXIX. poſſedit. Vnde a tempore donationis, ad tempus poſſeſſionis anni quindecim numerantur: poſt hos, vsque ad A. C. MCCCCXV., & primum electoratus Brandenburgenſis, CXXVI. anni burggrauiatus elapſi ſunt, quibus præfuerunt Norico caſtro pater, filius, nepos & pronepos: ſicut hæc ſeries docebit, ſecundum quam annotationes deinceps inſtituam.*

		ann.		menſ.		dies
FRIDERICVS I.	præfuit Norico caſtro	16	-	7	-	14
FRIDERICVS II.		39	-	8	-	23
IOHANNES		27	-	5	-	1
ALBERTVS		3	-	5	-	28
FRIDERICVS III.		32	-	9	-	16
FRIDERICVS IV.		20	-	11	-	10

FRIDERICO duas coniuges fuiſſe, ſcribunt: alteram ELISABETHAM, filiam OTTONIS, *marchionis Iſtriæ & ducis Meraniæ,* quas ditiones & facultates poſt obitum OTTONIS nactus eſt hereditario iure: alteram BEATRICEM, ſeu HELENAM, Saxonicam, quæ *Norinbergæ* apud Franciſcanos mortua eſt & ſepulta, A. C. MCCCIX. Filios ei adſcribunt FRIDERICVM II., CVNRADVM & ALBERTVM: filias duas ANNAM & HELENAM. Mortuum eſſe tradunt *Norinbergæ* A. MCCXC., V. Auguſti, & ſepultum apud *fontes ſalutares* in Franconia. Erunt igitur anni burggrauiatus duo nondum completi, annus vnus, menſes ſeptem, dies quatuordecim, a tempore poſſeſſionis. Anni vero ſedecim completi, cum ſeptem menſibus & diebus quatuordecim a tempore conceſſionis ſeu donationis. CVNRADVS ex AGNETE, comitiſſa de Hohenloe, tres filios pro-

coniuges

liberi

mors

procreauit, IOHANNEM, FRIDERICVM & ALBERTVM, commendatores ordinis Prutenici, & quinque filias, LAZIVS,

FRIDERICVS II.,
COMES IN ZOLLERN
ET
BVRGGRAVIVS NORINBERGENSIS,
FILIVS FRIDERICI I.

Et hunc FRIDERICVM ſpectatæ fidelitatis & auctoritatis comitem fuiſſe, apparet ex narratione IOHANNIS CVSPINIANI in FRIDERICO, *pulchro, lib. II. p. 39.* Cum enim is in celebri pugna, quæ A. C. MCCCXXIII., prid. D. Michaelis in *Bauaria* ad *Multorf* & *Ottingam* contra LVDOVICVM BAVARVM commiſſa eſt, equo deiectus ab armigero quodam, cui EBERHARDO MOSBACHIO nomen fuiſſe CARION affirmat, e comitatu burggrauii fuiſſet, nemini tradere ſe voluit quam ipſi burggrauio: itaque quæſiuit ex milite, cuiusnam eſſet is ſe burggrauii familiarem eſſe reſpondit. Tum FRIDERICVS inquit: *iube dominum tuum ad me venire; qui illico præſens coram aſtitit:* huic enſem ſuum porrexit, dicens; *tuus ſum captiuus, vitæ parcas, velim:* qui, fide data, hanc integram ſeruauit LVDOVICOque regem FRIDERICVM adduxit.

capitur in prœlio

coniux

Vxorem habuit FRIDERICVS MARGARETHAM comitiſſam Goriziæ, filiam HVLDERICI, *ducis Carinthiæ*, (etſi AVENTINVS, eum ſororem FRIDERICI, *pulchri* duxiſſe, ſcribat) & liberos ex ea genuit BERTHOLDVM, FRIDERICVM ALBERTVM & IOHANNEM.

liberi

mors

Obiit A. C. MCCCXXX., die VI. Maii, ſub LVDOVICO, *Bauaro*, qui eum maximopere dilexit & eius opera, conſilio & armis multum vſus eſt. Sunt igitur anni burggrauiatus triginta & octo, menſes octo, dies viginti tres ab obitu parentis. His anni præſertim eo tempore, quo caſtra imperatoris ſecutus eſt, ſo

ciun

cium gubernationis domi habuit, fratrem CVNRADVM, qui A. C. MCCXCV. collegium *Spaltense* fundauit. ALBERTVS, frater, coniugem habuit viduam *comitis Orlamundensis* in Thuringia, de hac LAZIVS *lib. VII.* ita scribit: *N., filia* OTTONIS I., *ducis Meraniæ, coniuncta cuidam comiti de Orlamund-Voitlandino, capta fuit forma* ALBERTI II., *burggrauii Norimbergensis, quo vt potiretur marito, qui ob eius liberos matrimonium fugiebat, proprium filium puerum trium annorum, & filiam annorum duorum, crudeliter necauit in castro Plassenberg.*

Alberti

vxor crudelis

IOHANNES,

COMES IN ZOLLERN, ET BVRGGRAVIVS NORINBERGENSIS.

IOHANNES imperatoris LVDOVICI, *Bavari*, castra in expeditione *Italica* secutus est, & cum fratre ALBERTO summa concordia vixit. Coniux ei fuit ELISABETHA, filia POPPONIS, comitis Hennebergensis: ex ea suscepit FRIDERICVM III. & CATHARINAM, quæ nupsit BALTHASARI, *Misnensi*, filio FRIDERICI, *Grauis*, vt annotauit WOLFFGANGVS CRVSIVS. Tempus mortis collocant in A. C. MCCCLVII., VII. diem Octobr. sub CAROLO IV., Romano imperatore. Erunt igitur burggrauiatus anni viginti septem, menses quinque, dies unus. ALBERTVS, viuente fratre IOHANNE, venationum studio se dedidit, post ipsius obitum ad gubernationem redit, & duxit SOPHIAM, filiam BERTHOLDI, *Hennebergici*, e qua sobolem nullam procreauit. Mortuus est A. C. MCCCLXI., IV. April. Præfuit igitur, a morte fratris, annos tres, menses quinque, dies viginti & octo.

vxor

liberi

mors

FRIDERICVS III., COMES IN ZOLLERN, BVRGGRAVIVS NORINBERGENSIS, FILIVS IOHANNIS I.

FRIDERICVS III. admodum familiaris fuit CAROLO IV., Romano imperatori, & eum, & marchionem Brandenburgenſem LVDOVICVM, *Romanum*, qui cæſari pertinaciter aduerſatus fuit, interceſſione ſua reconciliauit, ſuoque filio IOHANNI filiam imperatoris, MARGARETHAM, coniugem in caſtris ad *Erfurdiam* impetrauit.

coniux Coniugem habuit primam ELISABETHAM, filiam FRIDERICI, *grauis*, landgrauii Thuringiæ: alteram INGELBVRGAM, filiam LVDOVICI, *Romani*, marchionis Brandenburgenſis. *liberi* His prognati ſunt FRIDERICVS IV. & IOHANNES, filii: femellas, ELISABETHAM, BEATRICEM, MARGARETHAM, ANNAM, BERONICAM, CATHARINAM, AGNETEN, habuit, & alias duas in cunis mortuas eſſe, volunt.

mors Mortuum fuiſſe ferunt A. C. MCCCXCIV., XXI. Ian., in *Blaſſenburgk*. Erunt igitur burggrauiatus anni triginta duo, menſes octo, dies ſedecim, quibus ſi addantur anni viginti, menſes vndecim, dies decem, vsque ad A. C. MCCCCXV., quo FRIDERICVS IV. dignitatem electoralem cum Marchia Brandenburgenſi conſecutus eſt, prodibit numerus annorum ſuperius expreſſus centum viginti & ſex, a tempore poſſeſſionis, vel annorum centum quadraginta & vnius, a tempore donationis. His autem poſtremis annis, poſt obitum FRIDERICI III., an FRIDERICVS IV. Norico caſtro præfuerit, priusquam Marchiæ præficeretur, an vero IOHANNES, frater ipſius, gubernauerit, abſente FRIDERICO, in bellis imperatorum, obſcuræ ſunt annotationes. Itaque nos, relictis annis burggrauiatus, ad annos præfecturæ Marchiæ Brandenburgenſis ſtylum applicabimus, & quibus de cauſis burggrauii Norici caſtri deinceps etiam marggrauii Brandenburgenſes appellati ſunt, paucis pertexemus, poſtquam genealogiam burggrauiorum præmiſerimus.

AGNES

AGNES, soror *Rudolphi*, Habsb. --- EITEL FRIDERICVS, comes in Zollern

I. coniux ELISABETHA, filia *Ottonis*, duc. Meraniæ --- FRIDERICVS I., comes in Zollern, burggr. Norinb. --- II. coniux BEATRIX, siue HELENA, Saxonica, mortua & sepulta Norinb. A. MCCCIX.

CVNRADVS, absente fratre burggr. administrauit | MARGARETHA, filia *Hulderici*, ducis Carinthiæ --- FRIDERICVS II., burggr. | ALBERTVS, coniugem habuit *viduam Ottonis*, Orlamundensis | ANNA, nupsit comiti Nassouico | HELENA, Norinbergens., apud Franciscanos sepulta

BERTHOLDVS, episcopus Eistadensis, cancellarius *Ludouici Bauari*, Rom. imper. A. MCCCLXV. | ELISABETHA, filia *Popponis*, Hennebergici --- IOHANNES, burggr. | ALBERTVS, fuit cum *Sophia* Henneberg. sine prole | FRIDERICVS, episcopus Ratisbonensis & administrator Eistadensis, A. MCCCXLII.

CATHARINA, nupta *Balthasari*, landgr. Thuring. | I. coniunx ELISABETHA, filia *Friderici*, landgr. Thuring. --- FRIDERICVS III. --- II. coniux INGELBVRGA, filia *Ludouici Romani*, march. Brand.

BERONICA, nupsit *Barnimo* VI. D. Pomer. | CATHARINA | AGNES, abbatissa Hofii, ad S. Claram | ELISABETHA, nupta *Ruperto*, Palatino, R. imp. | IOHANNES | FRIDERICVS IV., M. Brand. | BEATRIX, nupta *Alberto*, Austriaco | MARGARETHA, nupta *Hermanno*, landgr. Hass. | ANNA, abbatissa in corona cœli.

FRIDERICVS IV.,
COMES IN ZOLLERN,
BVRGGRAVIVS NORINBERGENSIS ET MARCHIO BRANDENBVRGENSIS,
S. R. I. ELECTOR.

FRIDERICO IV., comiti in Zollern & burggrauio Norinbergensi, spectatæ prudentiæ, magnanimitatis, fidei & auctoritatis principi, deque imperatore & republica præclare merito, SIGISMVNDVS, imperator, Marchiam Brandenburgensem, quæ nuper redempta erat a WILHELMO, Thuringiæ landgrauio, cui eam patruelis IODOCVS, marchio Morauiæ, oppignorauerat, cum dignitate septem-virali vendidit quadringentis millibus aureorum, *um vier mahl hundert tausend Gülden Vngerisch*, sicut sonant verba in diplomate germanico, tali conditione, vt, si ipsi nasceretur filius, huic liceret eam, soluto pretio, repetere. In hac venditione non tam pretium spectatum est, quam remuneratio virtutis & meritorum FRIDERICI, qui pro SIGISMVNDO contra *Vngaros* & *Bohemos* sapienter plurima consuluerat, & magna pericula fortiter adierat. Transacta hæc sunt *Constantiæ*, A. C. MCCCCXV., eo enim anno prid. ascens: Domini datæ sunt literæ ad senatum populumque *Brandenburgensem* vtriusque oppidi, huiusmodi sub tenore:

Marchiam ei vendit Sigismundus.

Brandenburgenses, vt Friderico pareant, iubentur.

Wir Siegmundt, von Gottes Gnaden Römischer Kunig, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs und zu Hungern, Dalmatien, Croatien &c. Kunig, entbieten den Bürger-Meistern, Rhäten und Bürgern gemänlich, beider alter und neuer Städte zu Brandenburgk, unserm lieben getruwen, unser Gnad und alles gutt. Liebe getruwe, wann wir dem Hochgebohrnem Friederichen, Burg-Grafen zu Nürnberg, unsern lieben Oheimen und Fürsten und seinen Erben

die

die Marcke zu Brandenburgk, mit ſampt der Chur-und Erz-Cammermeiſter-Ampte, und andere allen Wirdigkeiten, Rechten und Zugehorungen gegeben und vorſchrieben, und ſy auch Marggrafen zu Brandenburgk gemacht haben, nach Vſsweiſunge unſer Konigl Maieſt. Brieue darüber gemacht, darümb wyſſen wir euch an ſy und heiſſen euch, beuehlen undt gebieten euch auch ernſtlich undt veſtiglich mit dieſen Brieff, das ir ihn darauff nach laut des itzgenumter unſer Brieue, gewhönlich Glubte und Huldunge thun ſollet: wann wir euch darauf ſolcher Glubde undt Huldunge, darmit ir unſs als einen Marggrafen der vorigen Marckt verbunden geweſt ſindt, ledige undt loſe gezehlet haben, und ſagenn mit dieſen Brieue. Geben zu Coſsenitz nach Chriſti Geburth, vierzehenhundert Iahr, undt darnach in den funffzehenden Iahre, am unſers Herrn Auffart-Abendt, Vnſerer Reiche, des Hungeriſchen in den neun und zwanzigſten und des Römiſchen in den fünfften Iahren. &c.

Ad mandatum domini regis, Iohannes, Præpoſitus de Strigonio, vice-cancellarius.

Paruerant autem ſubditi Marchiæ Brandenburgenſis FRIDERICO ante hæc tempora ab anno MCCCCXII., vt capitaneo, a SIGISMVNDO, rege, eis præfecto: eo enim anno, dominica poſt Chiliani, confirmauit priuilegia veteris ciuitatis *Brandenburgk*, vt capitaneus generalis ac ſupremus prouiſor Marchiæ Brandenburgenſis. Numerauerat SIGISMVNDO centum quinquaginta millia aureorum vngaricorum, quibus poſtea addidit aureos ducentos quinquaginta mille, vt compleretur ſumma quadringentorum millium aureorum, pretium prius adnumeratum: quod manifeſte docent verba dicti diplomatis germanici, perſcripti Conſtantiæ, in vigiliis Iacobi, A. MCCCCXV., videlicet: *es ſollen die hundert tauſendt und funffzigk tauſendt Vngerſche Gulden, die wir ihme auf die Haupt-Mannſchafft der vorgenanten Marcke, vormahls verſchrieben haben, zu den itzgenanten viermal hundert tauſendt Gulden Vngerſch geſchlagen und gerechnet ſeyn: &c.* Modum

Modum inueſtituræ MVNSTERVS ita deſcribit: *cum in concilio Conſtantienſi mane per ciuitatem haberentur tubarum præludia, conuenerunt omnes principes ad habitationem burggrauii, conduxeruntque eum ad forum vſque. Erant in foro tabulata, in quæ aſcendit cæſar, coronam in capite geſtans: & aſſiſtentibus electoribus imperii, aſcendit burggrauius, ducens ſecum duos milites, vexilla Marchiæ & burggrauiatus tenentes in manibns, & aduolutus burggrauius genibus imperatoris petebat, ſe marchionem creari atque de Marchia inueſtiri: mox lectæ ſunt literæ, iuxta quarum tenorem iurabat: præſtitoque ſic iuramento, creatus eſt in marchionem Brandenburgenſem.* Hunc actum alii XVIII., alii XIX. Aprilis, in octaua Paſchatos, A. MCCCCXV., adſcribunt. LAZIVS: FRIDERICVS Noricum caſtrum Norinbergæ ciuibus vendidit & illa pecunia apud SIGISMVNDVM, imperatorem, & comites ab Anhalt, marchionatum Brandenburgenſem comparauit Conſtantiæ in concilio, a SIGISMVNDO, imperatore, ſuæ proſapiæ primus marchio inueſtitus A. C. MCCCCXVI. Quanta vero eius fuerit auctoritas apud SIGISMVNDVM, imperatorem, & alios S. R. I. proceres, & qualem in Marchia Brandenburgenſi tribus prioribus annis, & belli & pacis tempore, ſe geſſerit, & ob eas cauſas ad dignitatis ſummum faſtigium euectus ſit, docet illuſtre encomium, quod propter multas alias cauſas e germanico diplomate, cuius antea memini, de verbo ad verbum adſcribam:

inueſtitura

auctoritas eius in imperio

W*ir* SIEGMVNDT *&c. Wan uns nu von Gnaden des allmächtigen Gottes ſo viel, und ſo weit, und ſo breit Kunigreich, Land und Lütte zu verweſen beuholen ſindt, das wir den löbelich vorzuweſende Engeliſcher Kräffte wohl bedürfften, und daß unſer Menſchheit ihre nothdurfftige Vnterrichtung ohne trefflichen Rath und Hülffe nicht vermag, und was wir ſonderliche Liebe zu dem würdigen Churfürſtenthumb und Gliede des heiligen Römiſchen Reichs, der Marck zu Brandenburgk habende, nemlich wan wir daſſelbe Churfürſtenthumb von unſer väterlichen Erbſchafft wegen des allererſten beſeſſen haben,*

 ben,

ben, darum wollen wir immer gerne ihme, und ſeinen Einwohnern guten Frieden, Gemach und Ruhe ſchaffen und ordenen. Wenn alsdenne, ſo die unſern zu Friede, Gemach und Gerechtigkeit geregieret und geholden ſindt, wir dann unſere Kunigliche Würdigkeit gehöhet, und unſer Nahme ferner undt weiter erkant und gelobet, und man ſolche vorgenante ſonderliche Liebe und auch andere unſerer Kunigreich, Landt und Lütte Außrichtung, mit der wir allezeit beladen ſindt, unſer kuniglich Gemüth vormahls bezwungen haben, daß wir den Hochgebohrnen FRIEDERICHEN, Burgkgraffen zu Nürnberg, unſeren lieben Oheimen und Fürſten angeſehen und betrachtendt ſeiner Redeligkeit, Vernunfft, Macht und Feſtigkeit und anderer ſeiner Tugenden, damit der allmächtige GOtt ſeine Perſon mannigfaltiglich geziehret hatt, und ſonderlich ſeiner luteren Trewe, die er zu uns hat, von unſerer eigenen Bewegung beruffen haben, uns der vorgenannten Marck, die viel Iahr in groſſen Vnfrieden und Irrung geſtanden was, ſorgfältige Bürden zutragen und zu ihrer Wiederbringung feſtiglich zu helffende, und ihn darumb über dieſelbe Marck und alle ihre Zugehörung, unſern rechten Oberſten und gemeinen Vorſteher und Haubtmann geſezet und gemacht, undt auch ihme und ſeinen Erben eine Summa, nemlich hundert tauſendt undfunffzig tauſend Vngeriſ. Gülden darauf verſchrieben haben, alsdanne das alles in unſern Brief darüber gegeben, eigentlich begriffen iſt. Vnd wan ſich nun unſere Sorge und Arbeit von der heiligen Kirchen, des heiligen Reichs undt gemeines Nutzes wegen alſo gemehret haben, daß wir uns nicht vermeſſen mögen, in die vorgenante Margk ſelber zu ziehende und der vorzuſeinde, undt wan wir denſelbigen Reichs zu Ehren ſonderlich geneigt ſeyn undt wollen, ſeyndt dem mahl wir Römiſcher Kunig ſeyndt und die Chur der vorgenanten Margk gehatt haben, daß wir darumme die Zahl der Churfürſten nicht gemindert, ſondern gäntzlich wieder erfüllet werde, undt daß auch darumb die vorgenante Margk ihre Würdigkeit der Chur und Ertz-Cammermeiſter-Ampts nicht veraltere oder untergedrücket bleibe, und, wann nun landtkündlich iſt, daß mit Hülffe des allmächtigen

GOttes

GOttes der vorgenante FRIEDERICH durch seine Vernunfft undt seine Macht, Arbeit und Mögen ist undt auch grosser Zehre und Kost, die er dazu auff sein eigen Geldt gethan hat, die vorgenante Margk in solche redliche und mergkliche undt guten Frieden, Ordnung undt Wesen gebracht undt gesetzet, Räuberey und andere Vnruhe darin gezähmet, undt darauß also geradet hat, daß wir undt auch alle derselben Margke Inwohnere, als wir wohl unterrichtet seyn, ein gut Genügen von ihn haben. Vnd wan uns billich seyn bedüncket, ihm solcher seiner Arbeit zu dancken, undt Zehre und Koste wieder zu erstatten, darum das alles, undt auch alles vorgeschrieben undt nemlich seine Willigkeit und getreue Dienste, die er uns lange Zeit fleißiglichen und unverdroßlichen gethan hatt, täglichen thut, und fürbaß thun soll undt mag, und darzu der vorgenanten Margk undt ihren Inwohnern Friede zunehmende und Besserung, die sie bey seiner Haubtmanschafft Zeiten zu vor an von GOtte und von des vorgenanten FRIEDERICHS Arbeit, Redligkeit und Macht empfangen haben, gütlich betrachten und bewegen und nehmlich, daß dieselbige Margk unser Abwesung nicht entgelte, sondern bey ihrer Würdigkeit undt auch Friede und Besserunge fürbaß bleibe und behalten werden möge, haben wir mit wohlbedachten Muthe, guten Rath unser und des Reichs Churfürsten mehrern theils undt auch viel anderer Fürsten, Graffen, Edele und Getreuen den vorgenanten FRIEDERICH und seinen Erben die vorgenante Margk und Churfürstenthumb, mit sambt der Chur und Ertz-Cammermeister Ampt dazu gehörendt, und auch mit allen und iglichen in andern ihren Müdigkeiten, Ehren, Rechten, Gerichten, Herrschafften, Landen, Leuten, Eigenthümen, Mannschafften, Lehnschafft, Geistlichen und Weltlichen, Wildbahnen, Stäten, Festen, Schloßern, Marckten, Dorfereyen, Häuseren, Höfen, Feldern, Wüstungen, Aeckern, Wiesen, Wäldern, Wannen, Weiden, Wassern, Wasserläuffen, Fischweiden, Teichen, Müllen, Müllenstäten, Bergwercken, Müntzen, Bützen, Gefellen, Steuern, Diensten, Zollen, Geleiten, Renten, Zinsen, Gülden, Nützen, und Zugehörungen von Christen und Vnchristen über der Erde und in

der Erde befügten und unbefügten, undt mit aller Vollkommenheit, genädiglichen gegeben, undt zu Amptsgerechten und wahren Margkgraffen darüber gemacht. Wir gebieten auch darum allen und ieglichen Fürsten und Prælaten, Geistlichen und Weltlichen, Graffen, Herrn, Rittern, Knechten, Mannen, Burggraffen, Voigten, Amptleuten, Land-Richtern, Richtern, Burgemeistern, Schöppen, Rath-Leuten, Bürgern und Inwohnern aller und ieglicher Stäte undt Dörffer ernstlich und festiglich mit diesen Brieffe, daß sie sich alle den Vorgenanten FRIEDERICH *und seinen Erben als an rechte und wahre Margkgraffen zu Brandenburgk undt ihre rechte Erb-Herrn fürbaß mehr holden, und ihn als menniglich geloben undt Hulden thun, und in allen Sachen gewertig und gehorsahm seyn &c.*

imperator eum ad Constantiense concilium mittit.

Cum præfecti concilii *Constantiensis* articulos quosdam, calumniose ex libris IOHANNIS HVSS excerptos, in absentia eiusdem condemnare statuissent, & huius rei imperator per proceres Bohemiæ, clam a notario admonitos, certior factus esset, SIGISMVNDVS, imperator, LVDOVICVM, *Palatinum*, comitem de Heidelberga, (qui postea in ornatu suo ex iussu imperatoris acceptum IOHANNEM HVSS ab episcopis lictoribus tradidit:) & FRIDERICVM, burggrauium, ad præfectos concilii misit, & mandauit, vt in causa IOHANNIS HVSS nihil decernerent, priusquam ipsum & quidem æquo animo, audiuissent, & quoscunque in eo articulos erroneos deprehendissent, ad se mitterent: nam, se daturum operam, vt a viris doctis & bonis examinarentur. Hæc gesta sunt V. Iunii. Eodem anno, XX. die Nouembris, HENRICVS, *dux Bauariæ*, in Landshut, patruelem suum LVDOVICVM BARBATVM, nihil hostile metuentem, & ab imperatore, cum quo prandium sumserat, cum quatuor tantum nobilibus pueris domum reuertentem, *Constantiæ* in platea stricto gladio aggressus est, & quatuor ei vulnera inflixit. Ob hanc vim publicam ab imperatore & senatu imperii HENRICVS proscriptus est. Sed FRIDERICVS, burggrauius, qui HEN-

IENRICI ſororem duxerat, imperatori ſupplex factus eſt ro HENRICO, id ſuis precibus impetrauit, ne ſententia proſcriptionis proclamaretur, donec de valetudine vulnerati certo ognoſceretur. In bello autem inteſtino, quod geſſerunt patrueles Bauari, FRIDERICVS ſemper præſto fuit HENRICO.

ab Henrico, Bauaro, proſcriptionem auertit.

A. C. MCCCCXXI. ad ſenatum veteris vrbis *Brandenburgk* uo reſcripta miſit, quæ propter ſtylum cameræ ſubiiciam:

literæ eius ad Brandenburgenſes.

FRiederich von Gottes Gnaden Marggraff zu Brandenburg, und Burggraff zu Nürnberg. Vnſern Gruß zuuor, lieben Getreuen, lß ihr nechſt zu Angermünde bey uns waret, da wir die Inſiegel von er Stadt nahmen, alß wir ihn andere meinen zu geben &c. Nun aben wir deſſelben mahls von euch vernommen, wie ihr einen Brieff habet, daran der obgenanten Stat Angermünde Inſiegel hange, nd wan ihr doch an Sontag ſchirſt her gegen Berlin kommen werdt, egehren Wir an euch mit ſondern Fleiß, ihr wollet denſelben Brieff nit den Inſiegel mit euch herbringen, wan wir daßelbe Inſiegel geen den Inſiegel, daß wir von ihn genommen haben, gar gerne ſehen olten. Gegeben zu Berlin am heiligen Aufffahrt Tag Anno &c. XXmo. Vnſern lieben getreuen Burgmeiſtern undt Rathman zu alten Branenburgk.

Idem.

VNſern Gruß zuuor, Lieben Getreuen, als ihr uns geſchrieben undt über die neue Stadt Brandenburgk geklaget habt &c. Solcher Vnwille iſt uns zumahl leydt, wiederum ſo haben wir der Neuenſtadt ernſtlich darum geſchrieben, und gebeten, ſolchen Vnwillen bzulaßen, und was uns wiederum von ihnen zu Antwort wird, laß wollen wir euch bey unſer eigen Botſchafft wißen laßen, Gegeen zu Tangermünde am Dienſtage nach des heiligen Creutztag xaltationis anno XXmo. Vnſern lieben getreuen Burgemeiſtern und Rathmann der alten Stat zu Brandenburg.

A. MCCCCXXI., vel circiter, affinitatem iunxerunt VLADISLAVS, rex Poloniæ, & FRIDERICVS, marchio Brandenburgenſis. Rex enim filiam ſuam vnicam HEDEWIGEN, FRIDERI-

Friderici filio nubit filia regis Poloniæ.

DERICO, FRIDERICI filio, natu maximo, desponsauit. Is, cum etiam impubes tunc esset, educatus est in aula regis ab ELIA, theologo *decano Sendomiriensi*, & PETRO CHELAVO, equite. Sed sponsa A. MCCCCXXXI. immatura morte obiit. M. CROMERVS *lib. XIX. & XX.*

occupat VVittebergam.

A. C. MCCCCXXII., cum ALBERTVS III., elector & dux Saxoniæ vltimus, e familia Anhaltina, sine mascula prole obiisset, FRIDERICVS, marchio Brandenb., nomine imperii, *Witenbergam* & alias ciuitates Saxoniæ, ad electoralem dignitatem pertinentes, occupauit. Imperator hanc dignitatem cum ducatu Saxoniæ, etsi aderant alii competitores, inter quos etiam fuit IOHANNES, filius FRIDERICI, marchionis, concessit FRIDERICO, landgrauio Thuringiæ & marchioni Misnensi, ita tamen, vt sumtus belli, videlicet viginti & octo mille marcas argenti FRIDERICO redderet.

præfuit bello Bohemico.

Penes FRIDERICVM, marchionem, summa belli fuit, quod A. C. MCCCCXXXI., VIII. cal. Iulii, contra Bohemos imperator gessit. In hac expeditione patri FRIDERICO adfuerunt duo filii, IOHANNES & ALBERTVS.

tumultus Berolinensis

Initio curiam suam habuit FRIDERICVS *Tangermundæ*, in veteri Marchia: cum autem, vt IOHANNES FVNCCIVS annotat, ex seditione, *Berolini* orta, occasionem capiendæ vrbis accepisset, arcem in ea extruxit, de qua re ita scribit CRANZIVS *lib. XII. cap. X. Vandaliæ: a Marchia Brandenburgensi, quam Nouam dixere, ciues Berlinenses in suum sunt tumultuati senatum, magno vrbis incommodo: dum enim illi mutuis & intestinis armis fouent dissidium,* FRIDERICVS, *marchio, interueniens vtrisque, imposuit vrbi arcem, frenum antiquæ libertatis.* De aliis rebus gestis & bellis huius FRIDERICI mox dicam.

oratio Friderici ad filios.

E priuata vita FRIDERICI cum alia referuntur memoratu digna, tum hoc imprimis, quod ex ÆNEA SYLVIO his verbis repetit PEVCERVS: FRIDERICVS, *testamentum conditurus, ad se vocauit filios quatuor,* & IOHANNEM, *natu maximum, in hunc ferme modum allocutus est: primus ego dignitatem septem-*

vira,

viralem acquisiui, cum essem Sigismundo, imperatori, admodum familiaris: nunc, cum ex hac vita euocer, cura mihi est, ne decus tantum in nostra familia vilescat: tibi, vt video, quietis & tranquillitatis vnicum studium est, in munere septem-virali præter sollicitudines & labores assiduos nihil inuenies: eam ob causam, si tua voluntate possum, hoc munus testamento concedam Friderico, qui tibi ætate proximior est, & te excitatior, atque ad labores firmior esse videtur. Cui Iohannes: *existimaui ante hoc tempus, chariorem tibi multo Fridericum, quam me esse, cum illi sæpius blandirere, neque id non ægre ferre potui: nunc sententiam muto, & te, pater, amo coloque, qui mihi otium, illi negotium suprema voluntate dimittis.* Ad hanc vltimæ voluntatis dispositionem referenda est partitio possessionum inter filios, in qua Marchia Brandenb. & semptem-viralis dignitas FRIDERICO, seniori, & FRIDERICO, iuniori, arces & ciuitates quædam veteris Marchiæ, IOHANNI Voitlandia, & ALBERTO eæ ditiones, quæ in Franconia fuerunt, attributæ sunt: quam partitionem etiam familiæ diuisio secuta est, sicut in ALBERTO adscribam. Et, quo plus lucis & veritatis accedat iis, quæ de partitione possessionum annotaui, non piget adsignare sequens rescriptum:

terrarum partitio ab eo facta

W*ir* FRIDERICH, *von Gottes Gnaden Marggraff zu Brandenburg, des heiligen Römischen Reichs Ertz-Cammerer und Burggraff zu Nürnbergk, und wir,* IOHANNES *und* ALBRECHT, *seine Söhne, Marggraffen zu Brandenburgk und Burggraffen zu Nürnbergk, entbieten allen und ieglichen unsern Prælaten, Graffen, Herren, Mannen, Stæten, und allen Inwohnern der Margk zu Brandenburg unsere Freundtschafft, günstlichen Gruß, und alles gute Zuuoran. Ehrwürdigen, Würdigen, Wohlgebohrnen Edeln Woltüchtigen, Ehrsamen undt lieben getreuen, wir begehren, und heissen euch mit Krafft dieses Brieffes, daß ihr den Hochgebohrnen Fürsten unsern lieben Söhnen und Brüdern, Hn.* FRIDERICH, *den Aeltern, und Hn.* FRIDERICHEN, *den Iüngern Marggraffen zu Brandenburgk u. Burggraffen zu Nürnbergk, und ihren Erben nach unsern obgenanten Marg-*

graff

graff FRIDERICHS, *des Aeltern, Tode, da Gott lange vorher eine rech te Erbhuldigung, mit Gelübden und Eiden, als einen rechten natürli chen Erbherrn thut, nach Außweisung solcher Theil-Brieffe, so wir de zwischen ihn und den obgenanten unsern lieben Söhnen, Marggraffe* IOHANNEN, *und Marggraff* ALBRECHT *begriffen gesetz, ge macht, verschrieben undt solches mit verinsiegelt haben. Vnd ob ihr un Marggraff* IOHANNSEN *und Marggraff* ALBRECHTEN *in sonderheit ihrem Gelubde, Eide oder Huldung gethan hett, wan ihr de also dem vorgenanten unsern lieben Brudern Marggraff* FRIE DERICHEN, *den Iüngern, und Marggraff* FRIEDERICH *den Aeltern, nach unsers obgenanten lieben Herrn und Vaters Tod eine Erbhuldung in abgeschriebener Massen mit Gelübden und Eide gethan habet. So sagen wir auch alsdann, derselben Gelübde, Eid und Hulde ledig und loß, und weisen euch an obgenanten unser lieb Brüdere undt ihre Erben, in Krafft dieses Brieffes, den fürder in a len Sachen zu gewarten, als euern natürlichen Erbherren, ohne Ar undt ohne aller Geuehrde, daß zu Vhrkundt haben wir diesen Brie mit unsern anhangen Insiegeln versiegelt. Gegeben zu Cadelnburgk am Dienstag nach dem Sontag, als man in der heiligen Kirchen sin get: Misericordias Domini, nach Christi, unsers Herrn, Gebuhr vierzehnhundert Iahr undt darnach im acht und dreißigsten Iahr.*

vxor

Vxorem habuit FRIDERICVS ELISABETHAM, filiam FRIDERICI, neptem STEPHANI, fibulati, proneptem LV DOVICI, *Bauari*, Romani imperatoris, sororem memora HENRICI in *Landshut*, quam vulgus *die schöne Ilse von Bayer* nominauit. Hæc A. C. MCCCCXII. Nurnberga discedens maritum cum liberis, quos tum habuit, in Marchiam secut

liberi

est circa festum purificationis Mariæ. His parentibus progna ti sunt IOHANNES, FRIDERICVS, ALBERTVS & FRIDE RICVS, *pinguis:* filiæ ELISABETHA, CÆCILIA, MARGA RETHA, DOROTHEA, BARBARA, MAGDALENA & SOPHIA.

IOHAN

IOHANNIS modeſtiam & obedientiam, cedentem iudicio patris de ſucceſſione citra moroſitatem aut recuſationem, prius commendaui. Habuit in matrimonio BARBARAM, filiam RVDOLPHI, electoris ducis Saxoniæ, & ex ea, circa feſtum purificationis Mariæ, anni MCCCCXXIV., procreauit filium unicum, RVDOLPHVM, qui natus fuit in Saxonia, in arce *Trebniz*, non procul a *Wittemberga*, &, poſtquam vixiſſet menſes nouem, obiit: femellas DOROTHEAM, ELISABETHAM & BARBARAM, (hæc nata eſt A. MCCCCXXIII. ENGELB. WVSTESWIZ) e quibus DOROTHEA primo nupſit CHRISTOPHORO, duci *Holſatiæ*, regi Danorum, nuptiis ſolenniter celebratis in *Copenhagen*, A. MCCCCXLVII., præſentibus patre IOHANNE, marchione, WILHELMO, duce Brunſuicenſi, LVDOVICO, Landgrauio Haſſiæ, BALTHASARO, duce Sileſiæ & ERNESTO, comite de Honſtein. Poſtea iterum nupſit ſucceſſori prioris mariti, CHRISTIERNO de *Oldenburgk*. BARBARA nupſit WARTISLAO X., duci Pomeraniæ: (huic annales Pomeraniæ adſcribunt filiam FRIDERICI II.) AGNES BVGISLAO, duci Pomeraniæ: ELISABETHA, quæ, teſte SYLVIO, eius ſeculi inter matronas forma & moribus præclara fuit, LVDOVICO, marchioni Mantuæ. Moritur IOHANNES *Beierſtorfi*, XVI. Nouembr., A. MCCCCLXIV., & *Heilsbrunni* tumulatur. Ad enumerationem filiarum IOHANNIS, non poſſum, quin addam annotationes *annal. Pomer.* Erat IOACHIMO I., duci, vna ex marchionis filiabus deſponſata: ſed, quoniam ea nondum coniugali thoro ſociata, fato conceſſit, IOHANNES, marchio, vt firma & ſtabilis inita cum Pomeranis concordia permaneret, &, impetrata diſpoſitione a pontifice Romano, alteram ei filiam in matrimonium iunxit, A. C. circiter MCCCCXXXIV.

Iohannis *vxor* *liberi* *mors*

FRIDERICVS, cognomento PINGVIS, ſeu CRASSVS, in Marchia veteri *Tangermundæ* aulæ ſedem habuit, moritur *Arneburgi*, A. C. MCCCCLXIII. Coniux ei fuit AGNES, filia BARVINII VIII., ducis Pomeraniæ, quæ ei procreauit MAGDALE-

coniux

liberi DALENAM, quam duxit EITEL FRIDERICVS, comes in Zollern, & DOROTHEAM, quæ cum fratribus FRIDERICO, WOLFGANGO & GEORGIO, in pueritia obiit. De FRIDERICO & ALBERTO in ſequentibus.

ELISABETHA nupſit LVDOVICO, duci Lignicenſi & Brigenſi: CÆCILIA duci WILHELMO, Brunſuicenſi: MARGARETHA LVDOVICO, *gibboſo*, Bauaro, patre LVDOVICO BARBATO non conſentiente: eoque poſt annum mortuo, iterum nupſit, ſed clam præ timore fratris ALBERTI ACHILLIS MARTINO de WALDENFELS, curiæ ſuæ magiſtro. (LAZIVS, nobili Franconi.) Hæc AVENTINVS. Ipſa obiit A. C. MCCCCLXV. Nobiles autem de WALDENFELS, qui arcem *Plauenſem*, prope *Brandenburgum*, tenuerunt, & ſepulchra in ſacello ſubterraneo S. Leonhardi in templo D. Mariæ Brandenburgi habuerunt, & hic Martinus, an eiusdem familiæ ſit, & cum MARGARETHA in *Bauariam* profectus, & curiæ ipſius a patre marchione præfectus fuerit, haud ſcio. Sub ALBERTO ACHILLE, A. C. MCCCCLXXIX., GEORGIVS, eques auratus, idemque ſub IOHANNE filio, A. C. MCCCCLXXXII., arcem, *Plauenſem* poſſedit, quam poſteri marchionibus tradiderunt.

Nobiles de VValdenfels

DOROTHEA, nata Berlini A. MCCCCXX., circa feſtum Apolloniæ & baptiſata in cœnobio Franciſci, a IOHANNE WALDAW, epiſcopo Lebuſienſi, primo deſponſata fuit ALBERTO, *Megapolenſi*: ſed, cum hic, vix exacto anno a die deſponſationis, obiiſſet, puella rediit in domum paternam ad FRIDERICVM, patrem, marchionem. Habuit quidem oppidum *Wittenburgum* cum pertinentiis in donationem propter nuptias deputatum: verum, quoniam in ſponſalibus res hæſit, nec peruentum eſt ad nuptias, arbitrati ſunt Megapolenſes, donationem factam non conſtare. Eſt enim propter nuptias vocitata, etiamſi antea fiat. CRANZIVS *l. XI. c 1. Vandal.* Idem HENRICVS, Megapolenſis, duxit coniugem dominam DORO-

ROTHEAM, filiam FRIDERICI, marchionis de Brandenburgo, germanam IOHANNIS.

MAGDALENA nupſit FRIDERICO, duci Brunſuicenſi & Luneburgenſi: BARBARA IOHANNI, Oppolienſi: SOPHIA manſit innupta. Porro, vt ea, quæ de poſſeſſione veteris Marchiæ & coniugio FRIDERICI, *pinguis*, ſeu iunioris, annotaui, veriſimilia fiant, ſubiungam tabulas conceſſionis *Agnetis*, coniugis, datas eodem anno, quo FRIDERICVS, die Iouis poſt Franciſci, *Arneburgi* in arce, in qua ſacellum fundauit, obiit:

W*Ir* AGNES, *von Gottes Gnaden gebohren von Stettin &c. Marggräfin zu Brandenburgk, Burggräffin zu Nürnberg, bekennen in dieſem Brieffe, ſo der Hochgebohrene Fürſt unſer lieber Herr undt Gemahl, Herr* FRIEDERICH, *der Iüngere, Marggraff zu Brandenburgk, uns die Schlöſſer und Stadt Lentzen und Gelderitz mit allen Zubehörungen zu unſern Leibgedinge hat gegeben und verſchrieben, und wir daran und ein ſeynt geweiſet undt dieſelben Einwohner der Stadt und gantzen Landes zu Lentzen uns ſo darauff gehuldiget und geſchworen haben, undt dieſelbige unſer liebe Herr undt Gemahl die genante Schlöſſer, Stadt, und Landt den düchtigen* DIEDERICH *von Quytzow, Geuert und Viecken von Plieſſen reddern und ihren Erben vor viertehalb tauſendt gute Reinſche Gülden mit unſern Willen und Volbort mit aller Zubehörungen, außgenommen den Zoll auff der Elbe undt das Kirchleben zu Lentzen, hat verpfändet und verſezet, nach aller Maſſe und Weiſe, als die Brieffe von den obgenanten unſern lieben Herrn und Gemahl* DIEDERICH *mit ſeinen mitbenanten, undt wiederum von* DIEDERICH, *Gäuerde und Viecken erbnanten undt dem Raht zu Lentzen unſern Herrn undt Gemahl undt uns, darüber gegeben und verſiegelt, inhalten und ausweiſen, haben wir dan ſothane auch mit guten Willen unuolbort zugeſtattet, bewilliget und erlehnet, bewilligen, zuſtadten und erlehnen unſern lieben Herrn undt Gemahl auch ſolcher Verpfändung in Krafft dieſes Brieffes doch unſer Huldung und Gerechtigkeit nach der Wie-*

derlosunge unschädlich ohne alles Gefährde. Zu Vrkundt haben wir unser Insiegel wissentlich hangen lassen an diesen Brieff. Gegeben zu Arnburgk nach Christi unsers Herrn Gebuhrt in vierzehn hundertsten und drey und sechzig Iahr, am Sontag Quasimodogeniti. Ex aliis circumstantiis, tum vero e diplomate FRIDERICI, perscripto *Blassenburgi* A. MCCCCXXXVII., perspicuum fit, ipsum postremis annis e Marchia discessisse: hæc enim verba habet:

WIr haben den Hochgebohrnen Fürsten unsern lieben Sohn, Herrn IOHANNSEN, *Marggrafen zu Brandenburg und Burggraffer zu Nürnberg, von trefflichen unser Krieges-Gescheffte Vrsache wegen herausgefertiget, und die zuuerwesen und auszurichten, und den Hochgebohren Fürsten unsern lieben Sohn Herrn* FRIEDRICHEN, *den Aeltern, die Marcke Brandenburgk und alle Inwohner an unser statt zur verwesen und zur regieren befohlen. Begehren mit gantzen Fleiß und Ernst demselben unsern Sohn Marggraffen* IOHANNSEN *&c. auf diesmahl als uns selbst zur gleuben, auch dem obgenanndten Sohn Marggraff* FRIEDRICHEN, *an unser statt, guten Willen erzeigen, und thuen wollet, das er euch und andern Inwohnern der Marck an unsere statt desto baß verwesen möge. So wir euch des und alles guten gäntzlich woll vertrauen.* Tempus mortis FRIDERICI, marchionis Brandenburgensis I., & electoris S. R. I., vulgo collocant in A. C. MCCCCXLI. Sed diplomata docent, filios FRIDERICVM, maiorem, & iuniorem, ex *Lenin* sabbato post Martini, A. MCCCCXL., priuilegia confirmasse: itaque maior fides habenda ipsorum annotationi, qui affirmant, eum obiisse *Cadelsburgi*, XXI. Septemb., A. MCCCCXL. Hic inserendæ literæ FRIDERICI, filii, de A. MCCCCXL., *darinn er zur Erbhuldigung foddert.* LAZIVS: sepultus in *Heilsprum*, *Norgouiæ* cœnobio. Hinc anni septem-viratus erunt viginti quinque, menses octo, dies viginti & vnus, præfecturæ autem anni duodetriginta, menses octo, dies viginti & vnus. In hac meta agnouit tres imperatores Romanos, SI-

GIS-

GISMVNDVM, ALBERTVM, Auſtriacum, & FRIDERI-
CVM III.

PAVLVS LANGIVS, *monachus, in chronico Citicenſi:* A. D. MCCCCXII. FRIDERICVS, *Burggrauius de Nurnberg, iuxta promiſſum imperatoris* SIGISMVNDI *deſcendit in Marchiam ſub ſaluo conductu ducum* RVDOLPHI *&* ALBERTI, *ducum Saxoniæ, qui, tanquam coelitus miſſus, oppreſſam Marchiam a tyrannide Quizouiorum tunc temporis liberauit. Conuocatis igitur vaſallis, expoſuit voluntatem imperatoris, literas eiusdem ipſis oſtendens, in quibus continebatur, quod omnes vaſalli, ciuitates & oppida totius prouinciæ ipſi, tanquam ſupremo prouiſori & aduocato Marchiæ, homagium facerent, ſummamque pecuniæ expreſſam in iisdem literis (centum millia florenorum vngaricorum) præſtarent fecitque ei homagium fidelitatis tota Marchia, præter quosdam vaſallos, & præſertim Quizouios de Rochow, nobiles, & de Brebow, qui reſiſtebant, quare & poſt per* FRIDERICVM *fugati ſunt.*

INTERPOLATIO.

Domini vbi abſunt, inquit comicus, perſtrepit familia, & foras omnes proruunt ſe ſe: ſic a morte WOLDEMARI, Anhaltini, vsque ad tempora FRIDERICI, burggrauii electoris, cum marchiones pertæſi bellorum inteſtinorum, vel abirent longius, vel ipſi male præeſſent, vt Bauari fratres vel ſubditis etiam concederent libertatem omnimodo vindicandi hoſtes, & prædas petitas in æquales partes diuidendi, vt OTTO, Bauarus, vel non eſſent veri domini, vt IODOCVS, Morauus, & WILHELMVS, Miſnenſis, ſubditi quoque modo hos, modo illos pro more & numero conceſſorum beneficiorum agnoſcerent, vel negligerent, creuiſſe licentiam agendi impune quiduis in Marchia Brandenburgenſi, ita, vt latrocinia in viis publicis, ſicut furta apud Lacedæmones, in mores abierint, hiſtoriæ docent. Et ſcribit ALBERTVS CRANZIVS, *quod viri militares, aſſueti bello,*

Cauſæ latrociniorum, quæ in Marchia tum vigebant.

 cum

cum assidua inter marchiones & Vandaliæ principes de finibus esset contentio, vbi illa conquiesceret, veteri licentia ex itinerantibus, quomodo solebant ex hostibus, iustam, vt illi putarunt, prædam retulerint. Sicut enim mercatores pericula maris & terræ: ita hi discrimina capitum & vitæ prætenderunt. lib. X. c. XIX. Vandal. Horum facinorum & aliorum sub hoc FRIDERICO e libris CRANZII chronicis Saxonicis & Slauicis, quædam a nobis repetuntur, non, vt sint odiosæ exprobrationes nostræ patriæ & familiarum, quarum expressa mentio fit, quæque nostro tempore in honestiores vitæ mores transierunt: sed, quod leges historiæ id fieri iubeant, & ab aliis hoc sit factitatum sæpius. His igitur de caussis, si quid occurrerit inter legendum, quod tacuisse, quam diuulgasse me, maluisset, id scriptioni verius ipsi, quæ nihilominus in manibus omnium versatur, quam repetitioni huic imputabit prudens & æquus lector. Quanquam enim ἀπὸ ἔργων ἐ καλῶν, ἐκ ἐστιν ἔπη καλὰ, non tamen me præstare patriæ aliquid, arbitror, si subtraham illorum malorum verba, quorum pertulit facta. Proinde magni tumultus, quos sub variis iisque incertis dominis peperit nimia subditorum licentia & temeritas, Marchiam ingredientem FRIDERICVM exceperunt: itaque difficilis fuit meta præfecturæ ipsius, vt ex sequentibus patebit.

quorum exempla proferuntur

ARX GORLOSEN CAPTA.

FRIDERICVS, beneficio SIGISMVNDI marchio Brandenburgensis, descendens in suam ditionem, reperit eam tumultuantem ex prædonum incursionibus, qui in arce *Gorlose* habuere, vt ferebant, receptacula. Indoluit princeps bonus, in suis finibus eam vigere improbitatem, armatis in eam copiis duxit ad obsidendam eam arcem, obtinuitque. Non æquis aspexere oculis principes Megapolenses, suæ ditionis terminis ingredi alienum principem. Sed erant hæ caussæ, quas improbare nemo recte potuit: prosequutus est enim publicos hostes, vbicunque reperit. CRANZIVS *lib. XI. c. IV. Sax.*

ARX

ARX PLAWEN, ET ALIÆ SEX AD INTERIORA MARCHIAE, OCCVPATAE.

Cum in Marchia, veteri latrunculorum prouincia, deprædationes crebrescerent, FRIDERICVS, marchio, auxiliis & comitatu GVNTHERI, *archiepiscopi Magdeburgensis*, munitiones, in quibus commanebant eius generis homines, *Plawen* & alias sex arces ad interiora Marchiæ occupauit, fugatis e terra, qui tenuerunt, vt purgata esset prouincia malis hominibus, qui quæstum reputauerunt bonum de publicis itineribus conferre, quæ quisque occupasset, quasi per vim liceret grassari inter homines, velut in nemore feroces belluæ in timidas, & in aere accipitres inter columbas, & in vndis sui generis tyranni. CRANZIVS *lib. X. cap. XXVIII. Saxon.* Annum *chronica Slauica* & *Saxonica* adscribunt MCCCCXVII., SPANGENBERGIVS autem A. MCCCCXIV. Nomina militarium a chronicis Slauicis exprimuntur his verbis: *marchio Brandenburgensis*, FRIDERICVS, *cepit castrum Plawe, cum pluribus aliis castris, & expulit* THEODORICVM QVIZOW, *raptorem, & totaliter e Marchia fugauit.* *Chronica Saxonica* addunt de obitu: *er starff buten Landes, liegt tho Marienborne begrauen.* *Slauica* pergunt: *plures etiam raptores de Prigniz, quorum capitanei fuerunt* REIMERVS *de* PLESSE, BALDEWINVS *von dem Kruge*, IOHANNES QVIZOW & NICOLAVS RHOR, per *Lubecenses* & *Hamburgenses* capti sunt feria tertia post Palmarum A. C. MCCCCXXII., numero CLXXX. Idem IOHANNES *von* QVIZOW *eodem anno in vigilia trium regum renunciauit omni iuri, quod visus fuerat, iuste se defendisse, incendiis multis in villa Radewege contra senatum veteris arcis Brenni.* *Chronica Magdeb.* WERNERI annotant, A. C. MCCCCXVI. archiepiscopum GVNTHERVM, RVDOLPHVM, *ducem Saxoniæ* & FRIDERI-

DERICVM, marchionem Brandenburgensem, auxilia contulisse ad expugnandas arces *Ratenaw, Buzaw, & Golzaw*, & nobiles QVIZOVIOS expulsos esse.

PAVLVS LANGIVS *in chronico Citicensi: FRIDERICVS A. MCCCCXVII. a concilio Constantiensi reuersus, in Marchia Brandenburgensi cepit castrum Plawen, cum pluribus aliis castris, & expulit* THEODORICVM QVIZONEM, *raptorem, & totaliter de Marchia fugauit & proscripsit.*

DE TARTARIS, SEV *CIANIS, VVLGO DIE TATTERN, ODER CVGVNER, DICTIS.*

SVb hoc marchione cum agebatur annus a N. C. MCCCCXVII. primum, inquit ALBERTVS CRANZIVS *lib. XI. cap. II. Saxoniæ, apparuere his nostris maritimis locis ad mare germanicum homines nigredine informes, excocti sole, immundi veste & vsu omnium rerum fœdi, furtis inprimis acres, præsertim feminæ eius gentis: nam viris ex furto feminarum victus est: Tartaros vulgus appellat, in Italia vocant Cianos: ducem, comites, milites inter se honorant veste præstantes: venaticos canes pro more nobilitatis alunt, sed, vbi venentur, nisi furtim, non habent: equos sæpe mutant: maior tamen pars pedibus graditur: feminæ cum stratis & paruulis iumento inuehuntur. Literas tum prætulerunt Sigismundi, regis, & aliquot principum, vt transitus illis per vrbes & prouincias incolumis permittatur, innoxiusque. Ferunt ipsi, ex iniuncta sibi pœnitentia mundum peregrinantes circuire. Sed fabellæ sunt: hominum genus, quod vsu compertum est, in peregrinatione natum, otio deditum, nullam agnoscens patriam, ita circuit prouincias, furto, vt diximus, feminarum victitans, canino ritu degit: nulla religionis illi cura: in diem viuit. Ex prouincia demigrat in prouinciam: per aliquot*

quot annorum interualla redit: sed multas in partes scinditur, vt non iidem in eundem facile redeant, nisi per longa interualla, locum: recipiunt passim & viros & feminas volentes in cunctis prouinciis, qui se immiscent illorum contubernio: colluuies hominum mirabilis, omnium perita linguarum, rusticæ plebi grauis imminens, vbi foris illa laborat in agris, hi spoliis inuigilant casellarum.

Chronica Magdeb. WERNERI annotant, FRIDERICVM, marchionem, A. C. MCCCCXX. dura obsidione cinxisse *Aluensleben*, sed eam ab archiepiscopo GVNTHERO fortiter defensam. Adde *annotationes* ENGELBERTI WVSTERWIZII.

ANGERMVNDA NOVAE MARCHIAE CAPTA A. C. MCCCCXX., SICVT ANNOTANT CHRONICA SAXONICA.

Senatus populusque huius ciuitatis, dato fidelitatis iuramento, in fidem ditionemque BARNIMI III. se tradiderunt, sancte confitentes, se in omnibus fidelissimorum clientum munera pro virili semper obituros, A. MCCCLI. MAGNVS, dux Saxoniæ, *episcopus Caminensis*, cum duce Pomeraniæ CASIMIRO VI., filio SWANTIBORI II., contendit ad ereptionem oppidi cum arce *Angermundæ*, quod FRIDERICVS, iam marchio Brandenburgensis, ante burggrauius Norinbergensis, manu cepit, iam deflexum a Marchia, cui ab antiquo pertinebat, cumque marchio ab vna parte ingressus oppidum occupasset, illi ad portam aduersam a ciuibus admissi, media vrbe confligunt. Cessere tum Pomerani, &, aliquot amissis per captiuitatem, nonnullis vero cæsis, abierunt, qua venerant, ducenta ex hostibus stellata iumenta ceperant cum aliquantis militaribus. CRANZIVS *lib. XI. cap. XXIII. metropol.*

Cum hac annotatione CRANZII quadrat sequens cantilena, quæ veteri Germanorum consuetudine, apud quos carmina antiqua memoriæ & annalium vicem, teste TACITO, ob-

tinuernt, hiſtoriam huius prœlii continet. Cantio habetur in ANGELI *annalibus March. fol. 202.*

Wy willen ſingen einen nyen Rey,
Na den Winter kommt uns der May,
Dat hebbe wy woll vernahmen,
Dat Ketter Angermünd gewunnen wart,
Dat nahm die Marggrafe framen.

Biſchoff MAGNVS, der wohl Edele Man,
De ſick die Müre thon erſten mahl anklam,
Vor die houet Lüde all
Vordende wohl vier und vefftig Schock
Mit dem erſten anklammen.

Ianicke von den brieſen bet ſick verjagen
Von Ketter Angermünde bet tho Griefenhagen
Verkündigte nye Mähren,
Tho Stettin up det Hertogen Hoff,
Da fand er ſynen Erff-Herren.

Gnädige Herr, dat ſy iu bekannt,
Ketter Angermünde der Stolperlandt
Dat werd ſo gar verdorben,
Dat deit Marggraffe FRIDERICH,
Se ſpracken, he were geſtoruen.

De Hertog let tho ſammen verbaden
Der Dütſchen noch mehr dan der Pahlen,
Sülwſt ret he an der Spitzen,
Tho dem vieraden up dat hoge Huß
Dar eten ſie göte Fiſche.

Sie

Sie reden donne tho den Vierrader dauon,
Folget na Stede und al myn gude mahn,
Folget gy miner Glizen

- - - - - - - - -

- - - - - - - - -

Sie quämen vor Angermündt up den Plan,
Die dare waren ene wiet upgethan,
He ret henin mit Schalle,
Sie repen allthomahl Stettin,
Brandenborg were gefallen.

Die Ganß von Putlitz lag hinter den Grauen,
Wo grimmiglich streckte se eren Kragen
Bauen die Grieffen alle,
Die Grieff hadde die Flucht verkahrn,
De Adeler schwewede dar bauen.

De Ganß was des Modes also voll,
Dorch die Mühre brag sie en holl
Dorch die harden Feldstene,
Doe sie up den Marckt quähmen,
Da waren erer teine gegen enen.

Die Schwerde gingen klinger den klank,
Er Dietloff von Schwerin de was da manck
Den Prieß wolle he erweruen,
Det müste er Dietloff von Schwerin
Vor synen Erffherrn steruen.

Doe de Hertog datt gesach,
Dat er Dietloff vor em lach,
Gespottet als eine Brade,

Ach milder Chriſt von Himmelryk
Weren wy nu tho den Vieraden.

Da ſprack ſick det Hertogen nechſte Knecht,
Gnädige Herr weren wir nu weg,
Weren wy wente uth dem Dahre
Ick ſchweret Iuw by Truw und Verwahr,
Den Prieß hebbe wir verlahren.

De Hertog kahm woll vor det Dahr,
Dem Roſse gaff he de Sparen,
Syn Droben muſte ett laten,
Tho den Vierraden up dat hohe Huß,
Darup wart he gelahten.

He gingk ſick an die Borch tinne ſtan,
Syn Höuet ſtack er thun Fenſter nuht,
Van Iammer und ock van Lede,
Ketter Angermünde, du vele gude Stat,
Wo klägelick mutick von die ſcheden.

De uns det nye leedt Geſang,
Ein ſchmede Knecht iſt hie genant,
He het ſick köhne Fincke,
Her fört en Hemmerken up ſyne Handt,
Got Beercken mach he wohl drincken.

Baro Budlicenſis cum quadringentis equitibus poſitus erat in inſidiis extra vrbem, vt *Pomeranos* ingredientes a tergo adoriretur. Marchio in foro currus, mutuo nexu diſpoſitos, pro vallo habebat, ac iis, inſtar muri, munimenta ſibi fortiſſima effecerat. Hæc dum a Pomeranis oppugnantur, PVDLICIVS cum ſuis procurrit, ac hoſtes a tergo aggreſſus, medios inter vtrum-

que

que exercitum conclusit: hinc pugna oborta, Pomerani victi sunt, corruit DETLAVVS-SWERIN, conciderunt simul nobiles sexaginta, viri ducenti capti, & gregarii omnes mactati sunt ouium instar. Meminerunt annales Pomeraniæ, DETLAVVM, virum insignem militari scientia, auctorem fuisse CASIMIRO, vt PVDLICII equitatum, priusquam vrbem ingrederetur, inuaderet, quod is, reliquis copiis magnum spatium distantibus, sine magno negotio superari possit. Sed dux, cupidus pugnæ, hoc consilio posthabito, per arcem, quæ tenebatur a IANIKE *de* BRISEN, in hostem impetum in foro fecit. Annus & tempus anni ex literis FRIDERICI marchionis ad S. P. Q. veteris Brenni datis, quas supra adscripsi, & initio cantilenæ facile colligi potest. *vid.* ENGELB. WVSTERWIZEN *in* A. MCCCCXX.

Pomerani vincuntur

PRIMISLAVIA,

CAPTA A STARGARDIÆ PRINCIPIBVS.

CRANZIVS *lib. IX. cap. XL. Vandaliæ refert:* VLRICVM *&* IOHANNEM, *Stargardiæ principes, filios* IOHANNIS I., *assiduo bello ad latera Marchiæ detonasse, præcipue vero ad oppidum Prinslauiam, cuius ciues ad arma satis prompti prouocauerunt sæpius vicinos, quam ipsi excitarentur. Quocirca principes memorati expedito suorum agmine duxerunt in illos: sed veteri vsi stratagemate, ad fallendos vrbicos præcipites, pauci se ostendunt, qui pecora abigerent, maiori agmine ad insidias collocato. Ciues, vbi abacta pecora audiunt, non ferentes iniuriam, mutuo sese hortantur, hostes insequi, vt, recepta præda, etiam prædatores inuadant, facile, se illis numero & virtute sperant superiores, coniectato numero, quem oculis illi cernebant. Effunduntur portis, hostem insequentes. Illi non multum properauerunt, expectantes, vt ceteri effusius sequantur ex oppido, ita protraxere ad locum insidiarum. Inde exorti, qui latuere, oppidanos inuadunt, ad vnum capiunt omnes, moxque ho-*

magium ab illis sumunt in agro, cumque illis ingrediuntur oppidum. Ibi, exactione per singula ciuium capita instituta, sexaginta millia sexagenarum de grossis Bohemiæ extorquent. Sed, quoniam æs promptum non erat, obsides sumpsere ex primoribus, quos ipsi delegerunt. Verum hanc cladem ad tempora IODOCI, Moraui, & WILHELMI, Misnensis, referendam esse, existimo.

Marchio, adepta victoria, ad *Angermundam* progressus cum suis, reliquam *Vckeræ* terram, quam Pomerani a Romuli tempore ex conuentione, cuius superius memini, possederant, subegit: CASIMIRVS de ereptione apud cæsarem conquestus, parum effecit, ideoque bellum redintegrauit, A. MCCCCXXIV.

PRIMISLAVIA,

CAPTA A STETTINENSIBVS A. C. MCCCCXXIV., VT ANNOTANT CHRONICA SAXONICA.

WERSLAVS *Wolgasti*, CASIMIRVS & OTTO, *fratres, Stettinenses duces, cum assiduo de finibus bello colluctarentur aduersus marchionem de Brandenburgo, expedito exercitu Prinslauiam, vrbem claram Marchiæ, obsederunt oppugnaruntque. Ciues defensioni suæ non tam prompti, quam debuere, videbantur æquiores in hostium partem, quod crebrius exacti & emuncti ære, præsentem non amarent principatum. Vrgebat foris hostis; intus, quem marchio vrbi præfecit, vir militaris hortatus est, vt defensioni suæ non deessent. Sed, dum acrius hostes instant, quam illi se tuerentur, capta est vrbs. Capitaneus, equum conscendens, abiit, sequuti sunt illum ex ciuibus præstantioribus viri duodecim, arcem illius cum eo ingressi. Ille non auersatus venientes, dextram iubet protendere in fidem marchionis, vt eius essent potius, quam hostium captiui, quod, segniter vrbem tuentes, hosti eam prodidissent. Principes autem, qui vrbem cepere, positis ad oportuna loca custodiis, iubent adesse ciues*

in

in conuentu fratrum prædicatorum; quod locus ille capacissimus, minus etiam armis formidabilis videretur. Prodiere frequentes in conspectum principum ciues, tum admirans multitudinem OTTO, fertur dixisse : *si viri fuissetis; non tam leui memento vrbem caperemus. Illi, demissis capitibus, sacramenta præstant; vt deinceps in eorum fide permanerent, homagium vocant, facturi deinceps; quod ab eis iuberetur.* CRANZIVS *l. XI. c. III. Vandalia.*

Marchio viciſſim *Quadrigariam*, arcem, obſidione cinxit: Duces Stetinenſes, inſtructis copiis, ei obuiam profecti ſunt: FRIDERICVS, certior factus de maioribus copiis Pomeranorum, celeriter caſtra mouit, nec dubio marti ſe ſuosque committere voluit.

PRIMISLAVIA,
RECVPERATA A IOHANNE, MARCHIONE BRANDENB., A. C. MCCCCXXVII., VT HABENT ANNALES POMERANIAE.

IOHANNES, FRIDERICI, *Brandenburgensis, filius, pro patre absente relictus Marchiæ gubernator, non potuit dissimulare nuper captam de principatu suo vrbem Prinslauiam, subauscultans percontatur ciuium inclinationes. Quos, vbi audiuit, marchioni potius, quam Stettinensium ducibus, propendere, constituit illis noctem, qua valida manu vrbem ingrederentur, eiicere præsidium, quod Stettinenses imposuere, & vrbem in suam redigere potestatem. Ad fluuium Vkere patentem illi portam ciues fecere: ingreditur noctu cum expeditis: accurrit ciuium multitudo, Brandenburg insonuere: exterriti ducales, rem pene amissam intuentur, tenuere portam vrbis in castellatam munitamque: sed* IOHANNES *cum ciuibus virtute fortiter oppugnant. Extracta est in aliquot dies oppugnatio: verum, quia diuturna esse non potuit defensio, fame obsessos perurgente, aggressi ciues, stramina cum paleis, viridique ag-*

gesto

gesto ligno fumum condensum excitauere, presseruntque oppressos vehementer. Illi, iam rebus diffisi, deditionis mentionem fecerunt, paciscentes, vt cum vestibus & armis in sua proficiscantur incolumes. Dimissi, cum in suos tenderent, obuios habuere principes suos cum expeditis, qui obsessis opem ferrent: sed illi necessitatem & extrema omnia obtendentes, ostenderunt, non sua culpa properatam deditionem. Principes, incassum fatigati, retro ducunt agmen. Vrbs in antiquam marchionum rediit ditionem. CRANZIVS *lib. XI. c. VIII.*

Discordia inter marchiones & duces in vrbe *Templin*, in hunc modum sopita est, vt captiui, nondum redempti, inuicem permutarentur, marchio *Angermundam*, duces arcem *Quadrigariam*, & quicquid eius proprium, obtinerent. Sponsalia quoque & foedera principes mutuo inierunt.

ARCES
GORLOSE ATQVE DOEMNIZ REDDITAE, ET CONVENTVS PRINCIPVM IN PERLEBERGK.

FRIDERICVS, *Brandenburgensis marchio, cum* IOHANNEM *ducem Stargardiae, filium* IOHANNIS, *fratris* VLRICI, *captum ad villam Koblanck* (CRANZIVS *lib. X. cap. XXX. Vandal.*) *in custodia teneret in Perlebergk, oppido Prignissae, ad placita conuenta cum* ALBERTO, *duce Megapolensi, venerat cumque multorum, qui aderant, consiliis non ad pacem tenderetur, quod nonnullis belli tempora commodiora viderentur, ipsi principes, dimisso omnium suorum consilio, soli rem contrectabant conuenitque inter eos, vt captiui inuicem permutarentur, omnes in commune laxati; ducem autem* IOHANNEM *non leuibus de caussie tum seruauit marchio. Reddidit autem* ALBERTO, *duci, captas illius ditionis arces, Gorlose atque Domnize, vt illius iniret familiaritatem, & sincera perduraret affectio. Filiam suam paruu-*

lam

lam, DOROTHEAM, ALBERTO *despondit vxorem, sed non est peruentum ad nuptias, moriente* ALBERTO. *Idem lib. XI. c. X. Sax. & l. X. c. XL. Vandal.*

PROELIVM,

COMMISSVM AD OPPIDVM PRIZWALCK, A. C. MCCCCXXIV.

N*On potuit facile vetus odium compacari, quod fuit inter Megapolenses & vicinos Marchiæ habitatores: transactum videbatur inter* FRIDERICVM *&* ALBERTVM, *principes, sed*, ALBERTO *iam facto de medio, cum etiam* FRIDERICVS, *marchio, longe videretur abesse, recruduit bellum. Nam* IOHANNES GANS *de* PODLEST, *iunior, baro nobilis, non contemnendam manum duxit in Magnopolim, quod contemneret terræ gubernatorem, facile ratus, terram sine principe peruadere. Sed* MATTHIAS ARKOW, *miles gubernator, quem* CATHARINA, *mater paruulorum dominorum Magnopolensium*, HENRICI *&* IOHANNIS, *rebus gerendis præfecerat, expediuit non leuem militarium suorum numerum, & obuiam profectus, manum conserit venientibus: ibi fortiter vtrinque digladiatum est. Sed marchici, numero & viribus impares, cessere: capti ex illis plurimi: ipse baro, ductor, cum multis venit in manus Megapolensium, insigniter ære emunctus, priusquam laxaretur. Magno deinde molimine* CHRISTOPHORVS *&* WILHELMVS, *domini Vandalorum, duxere in Prignissam, quæ est iuris marchionum, peruenereque ad vicina oppidi Witstock, ibi prædas conuectabant, omnibus in circuitu euastatis.* IOHANNES, FRIDERICI, *marchionis, filius, venientibus se opposuit, & in vicino oppido Prizwalck congrediuntur: bellatum est vtrinque strenue, cecidit in acie fortiter pugnans* CHRISTOPHORVS, *princeps de Werle. Erat ex capitaneis Magnopolensium, qui turpi fuga cum quadraginta lanceis desertor factus est suorum principum, venissetque in manus hostium* WILHELMVS, *nisi* HENRI-

CVS MOLSAEN, *vir fortis, pro suo domino se obiectasset periculo, captus, vt ille euaderet.* IOHANNES *quoque de A., vir militaris, etiam consul Rostockiensis, ibi capitur. Intercepti de commeatibus septingenti currus: tanta fuit in dies prouisio. Hac victoria primum insignitur* IOHANNES, *iunior, marchio, referens ex hoste spolia multa. Aderat illi senior de* PODLEST, *baro, vt capturam filii proximam insigniori nunc victoria aboleret, ita vertente fortuna, vt nunc hac, nunc illac se vertat mobilis volucrisque victoria. Idem lib. XI. cap. IV. Vandal.*

Quod vero CRANZIVS refert, FRIDERICVM, marchionem, longius abfuisse, id intelligendum est de eo tempore, quo FRIDERICVS cum *Bauaris*, qui in fines burggrauiatus irruperant, manus conseruit. IOHANNES autem filius, IOHANNEM, principem Stargardiæ post captiuitatem nouem annorum, accepta non parua auri mole, dimisit liberum. *Idem lib. X. cap. XXX. Vandal.*

NOVA DOMVS EXVSTA,
ET
STAVENOW CAPTA,
A. MCCCCXXX.

M*Agnopolensium iuuenum principum, qui tum primum gubernacula terræ apprehenderunt, prima opera fuit, exterminare latrocinia, quæ ex Marchia Brandenburgensi crebra tum fuerunt in Magnopolensem Stargardiæque principatus: quocirca apparatum belli secum & suis vrbibus duxere Wismaria, Güstrow, Parchim, Sterneberg, in arcem, quam nouam dixere domum, insigne prædonum habitaculum in Prignissa. Aberat arcis dominus cum omnibus fere, qui militiæ seruiebant, solitum agitans quæstum, & rusticam plebem exacturus: non enim præuiderat, neque formidabat, tantos sibi venturos hospites. Primo igitur mane oppugnationi institerunt: pauci relicti custodes arcis, cum, quid apprehenderent,*

illi

illi prorſus ignorarent, eis exercitationibus non ſatis aſſueti: itaque non difficile tantis viribus arx indefenſa capitur: captam verò direptamque, iniecto igne, concremarunt, vt ſolo æquaretur. Reuerſus dominus arcis, vidit, quid factum eſſet, tacitusque, vt erat profundi ſenſus, cogitabat, quonam modo ſe de hoſtibus vindicaret. Nouerat, qui in ea expeditione militaſſent: multam autem ex frequenti militiæ commercio vndique cum multis inibat familiaritatem, quod eſſet largus diſtributor in prædæ partitione. Quosdam in arce Stauenow, cum militaribus, qui tenebant, agentes miniſtros habuit obæratos, peregitque apud illos, vt, conſtituto die veniens, parata omnia inueniret: (cognouerat enim, militares arcis Stauenow ad demolitionem ſuæ arcis cooperatos fuiſſe,) callebat, quibus horis pons, in arcem ducens, demitteretur, obſeruansque tempora, cum primo mane primus ab arce deſcenderet, ille de latibulo prodiit, & cum ſuis ingreſſus arcem, apprehendit tres, qui inerant, militares, acceptis de more dextris, (hoc eſt captiuitatis ſolenne, & id genus promiſſionis ſacramento validius habent militares) ſuos facit captiuos, & abire, quo vellent, & redire, cum & quo reuocarentur iuſſis: ipſe autem arcem ſibi retinuit, & ſua arce per vim carens, cepit aliam tenere, in æquo conſtituens, dolo, an virtute hoſtibus ſuis quid adimeret. Idem lib. XII. cap. V. Vandal. & l. XI. c. XXVII. Saxon.

Chronica Magdeburgenſia WERNERI annotant, A. C. MCCCCXXX. GVNTHERVM XXXVIII., archiepiſcopum Magdeburgenſem, in ſuas partes traxiſſe *episcopum Hildesheimenſem, marchionem Brandenburgenſem* & *comitem Ruppinenſem* contra ſenatum populumque Magdeburgenſem. Durauit hoc bellum inteſtinum vſque ad A. C. MCCCCXXXV., quo ciuitas Magdeburgenſis & *Hala* Saxonum, contra quam marchio copias duxerat dicto anno MCCCCXXXV., cum archiepiſcopo in gratiam redierunt. FRIDERICO, marchioni, commiſſum eſt, vt apud cæſarem SIGISMVNDVM & *concilium Baſilienſe* pro vtraque ciuitate intercederet & gratiam impetraret. CREVSINGIVS annotat, *Huſſitas* A.

bellum Magdeburgicum.

 MCCCCXXIX.

MCCCCXXIX. oppidum *Angermundam* in Vckermarchia occupasse.

IRRVPTIONES HVSSITARVM IN MARCHIAM, A. C. MCCCCXXX. MCCCCXXXI. MCCCCXXXII.

Orphani appellati sunt Hussitæ, vastant Marchiam

ORphanorum agmina, sic enim se appellarunt *Hussitæ*, in *Silesia* multas ciuitates, in *Misnia*, in *Lusatia*, vrbem *Lubanam*, oppidum *Gobbin*, in Marchia oppida *Soldin*, *Landsberg Strusberg*, item ecclesias cum monasteriis, monachis crudeliter peremptis, sine discrimine ordinis & sexus diripuerunt & solo adæquarunt, quæ omnia annotantur a CRANZIO *l. XI. Vandal.* Contra hos dubio marte sæpe pugnatum est, &, SYLVIO teste, *cap. XLIII. Bohemiæ*, FRIDERICVS, marchio Brandenburgensis, dux expeditionis in Bohemos declaratus est *Norinbergæ* VIII. cal. Iulii, A. MCCCCXXXI. Patrem comitati sunt filii IOHANNES & ALBERTVS. Deinde CVSPINIANVS refert in *Sigismundo*: docet etiam diploma A. MCCCCXXXI. a IOHANNE, filio, perscriptum in Marchia collatos esse sumptus bellorum, qui nomine tributi, vulgo *Ketzer Schoß* tum appellati, & a IOHANNE *wegen der verkehreten Ketzer* ad defensionem subditorum postulati fuerunt. A. C. MCCCCXXXIII. POLONI cum Bohemis omnem nouam Marchiam, quæ tum ad *Crucigeros*, CROMERO *teste*, *lib. XX.*, pertinuit, excepto oppido *Landisberga*, crudeliter vastarunt. Bohemi ducem CIAPCONEM, Poloni SENDIVOIVM OSTROROGVM habuerunt.

Noua Marchia vastatur.

A. MCCCCXXXII. dominica Iudica *Francofurti* suburbium, eam partem extra ciuitatem, quæ *Gobbin* spectat, & *Carthusium* exusserunt: ciues insecuti hostes ad villam *Müllenrose* plerosque occiderunt: sed hi, collectis viribus, dominica Palmarum *Francofurtum* obsederunt iterum, sed altera die, infecta re, abierunt, & *Lebusium* cum arce diripuerunt, donec in die S. Georgii, qui

Francofurtum obsidetur.

fuit

fuit dies Mercurii in feriis Paschæ, ad vrbem *Bernaw* victi & fugati sunt.

IRRVPTIO BERNHARDI, DVCIS INFERIORIS SAXONIÆ, IN PRIGNISSAM, ET IOHANNIS, MARCHIONIS, IN SAXONIAM.

BERNHARDVS, *dux inferioris Saxoniæ, per hæc tempora, cum in marchionem non nihil prætenderet causæ, hostilibus de more denunciatis satis caute & tacite, expediuit suorum, quantam potuit, manum, & in Prignissam ducens, ingentem inde prædam in pecoribus euexit, sed, qui damna passi, sunt sequuti præcedentem. Cum illi æquis cum eo viribus & animis viderentur, manus contulerunt, & prostratis captisque multis, prædam reduxerunt, hoc in lucro habentes, quod iam ex militaribus aliquot captos tenerent. Dux ipse cum paucis expeditioribus vix elabitur: sequuti tamen longo satis itinere, non ante destitere, quam in suam ditionem iam securus reuerteretur.* CRANZIVS *l. XI. c. XXII. Saxoniæ. Quapropter* IOHANNES, *filius marchionis, ordinauit expeditionem in eam ducis terram, quæ vltra Albim est, & omnibus peruastatis, ingentique præda abacta, oppidum Erteneburg, immisso igne, fecit conflagrare, vt ex eo die nunquam respirarit, paucis casellis non in oppidi, sed villæ formam, remanentibus. Idem l. XII. c. V. Vandal.*

Talis igitur rerum status sub FRIDERICO I. in Marchia Brandenburgensi fuit, quod etiam docent sequentes literæ, quas conclusionis loco libet subiicere:

FRIEDERICH, *von GOtts Gnaden Marggraff zu Brandenburg. Vnsern Gruß zuuor, lieben Getreuen, wir thun euch zu wissen, daß unsere Feinde die Hertzogen zu Sachsen mit aller ihrer Macht zu Wittenberge liegen, undt stercken sich von Tage zu Tage, und wollen mit uns streiten, merckt ihr woll, daß uns und unsern Landen und*

Leuten und euch alles Gedeien und Verderben daran gelegen ist: geschehe es, da der Allmächtige GOtt vor sey, daß es anders ginge, als wohl, so weren Land und Leute gantz verlohren, das hoffen wir mit GOttes des Allmächtigen, auch unsern Herren und Freunde, und eurer aller Hülffe wohl zu wiederstehen, und wollen auch Leib und Gut daran nicht sparen. Hierum fördern wir und ermahnen euch, als euer natürlicher Erbherr, und begehren an euch mit Ernst, daß ihr mit aller Macht zu Pferde, zu Wagen und zu Fusse, mit Macht auf seyd, Tag und Nacht nicht seumet, sondern mit allen den euren, die vor Alter und vor Iugend darzu tügen, von heut über acht Tage in das Feld zu Belitz kommet, da wollen wir unser Botschafft bey euch haben, oder selbst zu euch kommen, und wollet das nicht lassen, als ihr uns und den Landen Treue pflichtig seyd. Gegeben zu Brietzen, am Donnerstage unser lieben Fr. Tag. conceptionis, A. XLmo. Vnsern lieben getreuen Börgermeister und Rathmannen unser alten und neuen Stat Brandenborg.

Nunc reuertatur oratio eo, vnde digressa est, & historicam annotationem de vita & rebus gestis reliquorum marchionum, per vitæ vniuscuiusque curriculum deducendo, prosequatur. Sicut prius annos burggrauiatus in tabella annotaui: ita hoc loco simile diagramma annorum marggrauiatus inseram:

		ann.	mens.	dies
FRIDERICVS I.	præfuit Marchiæ Bandenb.	28	8	21
FRIDERICVS II.		29	4	29
ALBERTVS I.		15	--	29
IOHANNES I.		13	9	20
IOACHIMVS I.		35	6	11
IOACHIMVS II.		35	5	22
IOHANNES GEORGIVS		11	6	3.

FRI-

FRIDERICVS II.,

MARCHIO BRANDENBVRGENSIS,

S. I. R. ELECTOR.

De partitione possessionum inter filios FRIDERICI I. prius dixi. FRIDERICVS igitur II., natus in oppido Tangermunda ad Albim, circa festum S. Elisabethae A. MCCCCXII., testamento patris successor ordinatus, Marchiam gubernandam suscepit. Pater A. C. circiter MCCCCXXI. *Cracouiae*, quo ea de re aduenerat, affinitatem iunxit cum VLADISLAO, rege Poloniae, qui FRIDERICO, filio, filiam vnicam suam HEDWIGIN, assentiente senatu Polono, despondit, his conditionibus, vt, si VLADISLAVS nullos mares liberos susciperet, regnum Poloniae post mortem eius dotale FRIDERICVS gener, etiamsi ante nuptias sponsa moreretur, acciperet: si filias rex relinqueret, eas FRIDERICVS elocaret: sin filium rex relinqueret heredem, centum millium aureorum vngaricorum puellae dos esset intra duos annos post consummatum matrimonium exsoluenda: quae tamen, HEDWIGI defuncta, ad regem & regnum rediret, si FRIDERICVS ex ea nullos liberos suscepisset. Quod si FRIDERICVS, dote non accepta, e viuis excederet, HEDWIGIS tamen nihilominus, quoad viueret, in Marchia certorum praediorum atque bonorum, ducentis millibus aureorum aestimatorum, vsumfructum haberet. FRIDERICVS, filius, cum impubes tum esset, in aula regia deinceps ab ELIA, theologo, *decano Sendomiriensi*, & PETRO CHELMIO, honesto equite, honeste & liberaliter educatus est. Pollicebatur FRIDERICVS, pater, VLADISLAO magna aduersus *Crucigeros* auxilia, quoties opus esset. Rex vero, cum FRIDERICVS, marchio, sicut promiserat auxilia non mitteret, A. C. MCCCCXXIV., mense Februario,

Despondetur Friderico II. filia regis Poloniae

in aula Polonica educatus

Februario, *Craçouiæ* in conuentu principum non obſcure alienum a FRIDERICO animum præ ſe tulit, & deliberationibus eorum locum dediſſet, qui ſuaſerunt, HEDWIGIN elocandam eſſe BOGVSLAO, duci *Stolpenſium*, niſi proceres, dicentes fidem rebus omnibus priorem eſſe, præcipue vero VITOVDVS, apud quem FRIDERICVS, iunior, educabatur, regi diſſuaſiſſent, & pontificis etiam auctoritas acceſſiſſet, &, FRIDERICVM e ſua familia *Columnenſi* originem ducere, profeſſus fuiſſet. Obiit HEDWIGIS *Nepolomiciæ*, A. C. MCCCCXXXII. Hæc CROMERVS *libb. XVIII. XIX. XX.* Et fortaſſis hæc cauſa fuit, quod poſt mortem VLADISLAI, regis, a Polonis ad faſtigium regni FRIDERICVS accerſitus fuit, quibus tamen moderata cupiditate regnandi, quæ virtus in ſummis rariſſima eſt, teſte SYLVIO, ita reſpondit: CASIMIRVM *habetis mortui regis fratrem, hunc requirite, quem ſucceſſio regem facit: quem ſi fortaſſe tædet regnare, ad me redite.*

ſponſa eius obiit

Apud Germaniæ principes, tanta eius fuit ſapientia & auctoritas, vt, eodem SYLVIO auctore, eius conſilio multæ ſæpe prouinciæ pacatæ ſint: iuſti quoque & honeſti fuit tenax, &, propter res magnas fortiter geſtas, cognomen ſortitus eſt *marchio cum ferreis dentibus.* A. MCCCCXL. ſenatum populumque veteris ciuitatis vocauit ad expeditionem contra Saxones. Locus exercitui deſtinatus eſt in finibus Marchiæ ad oppidum *Beliz.*

auctoritas eius

cognomen.

A. C. MCCCCXLIV., in die martyrum, Timothei & Symphoriani, poſt octauam horam ante prandium, ſcribit HENRICVS TOCKE, canonicus Magdeburgenſis, *venit ad curiam meam dominus* PETRVS, *præpoſitus Brandenburgenſis, nuncians, eſſe in eccleſia illuſtrem principem* FRIDERICVM, *ſeniorem marchionem Brandenb., & deſiderare, me venire ad ſe. Veni, & eius dominationem reuerenter, vt decuit, ſuſcepi, & rogaui, vt audire me dignaretur cum præpoſito Brandenburgenſi, quod fecit reclinans ad proximum altare, cui aperui materiam* WILSNACENSEM, *aſſerens me*

Henricus Tocke ſanguinem VVilſnacenſem impugnat.

me, proximo anno monuiſſe epiſcopum Hauelbergenſem, & , quia nihil de promiſſis, quæ tunc dominus epiſcopus mihi fecit, in effectum, quantum conſiderare poteram, ſequebatur, nunc alteri, neſcio cui quid dicere, niſi vobis, qui eius terræ eſtis dominus temporalis. Declaraui ei de mendaciis ibi pronunciatis, & de fundamento tantæ materiæ, de ſacramento & de ſanguine, ſubiunxi: ſi vos manum non appoſueritis, ſunt, qui vltra non tacebunt, ſed publice ſe opponent, quod præcauere volens, vobis indicaui, adiiciens, quod ibidem alio anno fueram, & nihil rubedinis inueneram. Reſpondit: bonum eſſet, vt diceretur plebano, nec ſic pronunciarentur miracula: de materia autem hoſtiarum, neſcio, quid ibi fieri poſſit: & videbatur fouere concurſum. Hoc colloquium *marchionis & canonici de cruore miraculoſo Wilſenacenſi,* cuius in SIGISMVNDO memini, ex oratione HENRICI TOKEN, propter populares noſtros, repetere volui, ſicut & ſubſequentem annotationem: *A. C. MCCCCXLV., fer. III. ante feſtum Palmarum, hoc eſt, anno, ab inchoata idolomania cruoris miraculoſi in Wilſnack, ſexageſimo ſecundo,* (cum priori anno FRIDERICVS, marchio, Magdeburgi in templo cathedrali Mauritii, de his nundinis irreligioſis admonitus eſſet a M. HENRICO TOKEN, collegiato eccleſiæ archiepiſcopalis,) *legati* FRIDERICI, *archiepiſcopi Magdeburgenſis,* M. HENRICVS ZOELTER & *dictus* M. HENRICVS TOKE, *in arce Zieſar coram* STEPHANO, *epiſcopo, &* PETRO, *præpoſito Brandenburgenſis eccleſiæ, & tribus presbyteris, legatis epiſcopi Hauelbergenſis,* IACOBO GERVER, *protonotario,* NICOLAO WITTEN, *procuratore Wilſenacenſi, & tertio, qui fuit plebanus in Schœnhuſen, abunde & grauiter ex præcepto archiepiſcopi, tanquam primatis Germaniæ, conqueſti ſunt de præſtigiis & fallacibus ſignis, quæ prædicarentur Wilſenaci de cruore miraculoſo, &, monſtratis impoſturis ſacrificulorum, emendationem flagitarunt;* ſicut copioſe diſputat prænominatus M. HENRICVS TOKE in iudicio ſuo, quod A. MCCCCLI. de idolo Wilſenacenſi literis mandauit, quodque propter hanc cauſam, &, quod in tenebris etiam

papisticis Dominus excitauerit ingenia melius sententia, lectu dignissimum est. A. MCCCCXLVIII. marchio vterque conquestus est *de contumacia ciuium Berlinensium & Coloniensium* apud senatum, quatuor vniones & totum populum veteris vrbis Brandenburg.

Berlinensium contumacia.

A. C. MCCCCXLVI., cum affines FRIDERICI, duces Saxoniæ fratres, FRIDERICVS, elector, & WILHELMVS intestinum bellum fouerent, marchio WILHELMI partes tutatus est: hinc, sequenti anno, nobilitas *Franconiæ* in *Thuringia* capta, &, soluto redemtionis pretio, dimissa est. A. vero MCCCCL. nobilitas Marchiæ Brandenburgensis ad *Zanam*, *Neomagum* & *Belzigk* deuicta & sub finem belli a FRIDERICO gratis dimissa. Rescriptum veteris ciuitatis Brandenburgi, sub A. MCCCCL., docet, FRIDERICVM in expeditione fuisse: mandat enim, vt duo rustici in villa *Kademize*, quorum vnus ad TREBBOVIOS: alter ad viduam Dionysii Schumackers pertinuit, sub denunciatione pœnæ ad expeditiones marchionis compellantur. Imo, aliud rescriptum docet, ciues ex vtroque oppido vocatos esse ad expeditionem Saxonicam. Causa & occasio huius fraterni belli potissimum hæc fuit: WILHELMO datum erat negotium diuidendi, FRIDERICO vero eligendi. Hic igitur cum eligeret *Thuringiam*, & ille cedere nollet, copiæ vtrinque ductæ sunt. Redierunt tamen fratres in gratiam, cuius fraternæ reconciliationis memorabilis est historia. Cum enim consiliarii WILHELMI auctores ei fuissent, ne propter insidias germanum suum FRIDERICVM accederet, cum eo de pace acturus, ipse respondit: *vos mecum proficisci debetis, at ego libens moriar, si vos prius necatos videro, qui fraternas contentiones alitis.* Alterius fratris laudabilis oratio constat ex annotationibus FABRICII, item in concion. LVTHERI super Psalm. CXVIII. Cum illi annunciatum fuit, FRIDERICVM, *Bichlingensem*, XXXIX. antistitem Magdeburgensem, contra quem pugnare decreuerat, dixisse: se causam Deo commissurum

Saxonicum bellum

fratrum reconciliatio.

ſurum, qui pro ſe arma ſit ſumturus, reſpondit FRIDERICVS, elector: *alius inſaniat, vt bellum inferat ei, qui confidit, ſe Deum defenſorem habiturum.* Sed hæc obiter inſerere volui: nunc ad FRIDERICVM, marchionem, reuertor. Is igitur A. C. MCCCCLIV., teſte CROMERO, *lib. XXII.*, *nouam Marchiam*, quæ antiquitus *Caſſubiæ* pars fuit, detrectantem *Crucigerorum* imperium, in deditionem accepit, miſſaque legatione ad regem Poloniæ, vt cum bona eius venia id fieret, petiuit, auxilia contra *Crucigeros* pollicens. Sed certi nihil reſponſum eſt. Cum hac annotatione CROMERI conueniunt ſequentes literæ marchionis, quæ docent, eum dicto anno bellum mouiſſe, & *Francofurti* ad Viadrum, quæ vrbs nouæ Marchiæ vicina eſt, ſubditos ſuos conuocaſſe:

Marchiam nouam accepit.

FRIDERICH, *von GOttes Gnaden, Marggraue zu Brandenborg &c. Vnſern Gruß zuuor, lieben Getreuen, als wir euch vorgeſchrieben haben in Bereitſchafft zu ſitzen: alſo begehren wir von euch fleiſsiglich, daß ihr uns zehen gewapend wol geuertiget reiſiges Zuges am nechſten Donnerſtag nach Lætare hin gen Franckfurt ſchicket, daß die fürder mit uns reitten, und daß y nicht verhaltet, noch damit ſumet, als wir uch wol zugetruwen. Das wolln wir allezeit gnädiglich gegen euch erkennen, wann uns gantz groß Macht daran gelegen iſt. Dat. Cöln am Freytag nach Oculi, A. LIV. Vnſern lieben Getreuen Bürgermeiſtern und Rathmannen unſer alten und neuen Stadt Brandenborg.*

A. MCCCCL., in die diuiſionis apoſtolorum, ſub FRIDERICO III., Rom. imp., Poloni & Boruſſi vrbem *Francofurtum* aggreſſi ſunt, ſed, amiſſis tribus millibus, repulſi ſunt. CREVSINGIVS. A. C. MCCCCLI. IOACHIMVS, dux Stettinenſis, peſte moriens, filium impuberem, OTTONEM, reliquit: conſtituerat ei tutorem FRIDERICVM, marchionem Brandenburgenſem, is pupillum in aula ſua *Berolinenſi* honeſte educandum, & facultates eius, vti conueniebat, adminiſtrandas curauit.

uit. Et testatur diploma FRIDERICI inscriptum A. C. MCCCCLVI., OTTONEM, ducem Stettinensem, in ipsius aula inter consiliarios fuisse.

GEORGIVS FABRICIVS *in annalibus Misniae, sub A. C. MCCCCXLIV.*, IOHANNES CVNO, *dominicanus*, *Lipsiae theologiae doctor*, & SEBASTIANVS CALBIVS, *Franciscanus, Misnae improbant concursum ad templum Welsnacense. Disputarunt XII. Septemb. Burgii, oppido antistitis Magdeburgii, praefuit* HENRICVS TACO, *quidam loci canonicus & theologus*, & MATTHIAS DORINGIVS, *minister ordinis minorum. Causa diiudicanda datur duabus academiis Lipsiensi & Erfurdianae, hi suaserunt, non vrgendam pertinaciter sententiam, quod paucorum testimonio ea constaret, &, vt Erfurdiana addidit, superstitioni non dissimilis res videtur. Inualuit autem tantopore haec disputatio, vt anno, post hunc congressum, quarto, vulgus Berlini tumultuaret, monachorum instinctu, contra* IOHANNEM, *marchionem*, & FRIDERICI, *marchionis, contra antistitem Magdeb., monachorum audaciam comprobantem.*

A. MCCCCLV. CATHARINA von GOttes Gnaden &c. Marggräfin zur Brandenburgk, wegen des Hochgebohrnen Fürsten, ihres lieben Bruders von Sachsen, bescheidet gegen Cölln zwene treffliche des Raths aus beyden Stedten Brandenb. Sex. post nat. Mariae, Noto in diplomate seu confirmatione FRIDERICI, marchionis, sub A. MCCCCLVI., die solis, post Michaelis, fit mentio inter alios testes, IOHANNIS *de* TORGAW, *domini in Czossen*, fuit igitur dominatus, quae nunc est praefectura *Zossen*.

Polonis suspectus videtur.

A. C. MCCCCLVI. FRIDERICVS, marchio, conditiones pacis proposuit regi Poloniae & Crucigeris: sed frustra laborauit: discedens e castris Crucigerorum, quingentos cataphractos equites ibi reliquit, quam ob rem postea male audiuit apud Polonum. Et, cum hac de causa legatos ad regem *Corcinum*, A. MCCCCLXI., misisset, vt se suspectum, quod cum Crucigeris sentiret, purgarent, operamque suam ad componen-

ponendas res pollicerentur, exprobratæ sunt iniuriæ, & in ingratum regia beneuolentia commemoraa. CROMERVS *lib. XXIV.*, cui annotationi sequens rescriptum placet subiungere:

FRIEDERICH, von GOts Gnaden, Marggraue to Brandenborg. Vnsern Grut touorn, liuen getruwen, wir begehrn von iuw flitiglich, dett gy iuw schocken und fertigen mit aller Sacke und Gerethe tur Herfart heren. Als wann wie iuw rechter schriwen, und Befehl duhn, dat gy to Pferden, to Vote, to Wagen, niet Harnisch und Büßen ferrich undt bereytt syn, uns wor wy iuw den hen eyschen, volgen undt kämen mogen, und mett alle den iuwen in goden Bereitschafft sitten, dat iy forder mett uns, wor uns dat Not is, tihen und reisen mögen, als gy sterckest undt fertigst konen; dat is unse gantze Meinung, undt willen uns ock gantz dartho verlaten. Geben to Coln an der Spree, am Mittewöche in den Osterhilgen Tagen. anno LVI. *Vnsern liewen Getruwen Borgermeistern und Rathmänne und Vierwercken unser olden und nuwen Stadt Brandburg.*

Belli Stargardiensis causa, cum Brandenburgensibus deliberat.

A.C. MCCCCLVIII., circa festum Laurentii, FRIDERICVS, marchio, e consilio fratris FRIDERICI & *episcopi Hauelbergensis* CVNRADI ad belli, Stargardiæ principibus inferendi, deliberationes, in oppidum *Rathenow*, senatum Brandenburgensem accedere iussit, vt docet sequens rescriptum:

FRIEDERICH, von GOttes Gnaden Marggraff zu Brandenb., Churfürst &c. Vnsern Grus zuuor, liebe Getrewe, unser lieber Bruder, Marggraff FRIEDERICH, und der Bischoff von Hauelberg, haben uns angerufen, umb mancherley Plackkerey und Vberlast willen, die ihn wiederfahren, aus den Lande zu Stargard und Wend-Land, so kein Aufhören hatt, ihm Hülfe und Beystand zu thun, daß wir ihnen denn nicht versagen mögen, desgleichen uns sonderlich von den Stargardern in Niederlande geschiehet, daß uns unser Lande Bestes willen lenger nicht zu leyden stehet. Alsſein wir der genante unser

Bruder und der Bischoff von Hauelberg, eines Heerzoges einig worden, zu thun ins Land zu Stargard, solches zu wehren und zu steuren, und haben darauf einen Herrn Tag gemacht gen Ratenow, am Freytag nechst vor Laurentii, dazu unser Bruder persönlich mit seinen Prælaten, Herren, Mannen undt Stetten, kommen wird, dem wir denn auch also thun wollen, und andere unsere Prælaten, Herren, Mannen, und Statte auch dar beschieden. Begehren solches von euch mit allen Fleiß. Cölln an der Spree am Sontag nach Mar. Magd. A. MCCCCLVIII. Vnsern lieben Getreuen Burgermeistern und Rathmannen, unser Stedte Olden un Nyen Brandenburgk.

A. C. MCCCCLIX. causæ *Custrini* etiam diiudicatæ sunt. Eodem anno, feria III. post Palmarum, FRIDERICVS, marchio, S. P. Q. veteris ciuitatis Brandenburgi persoluit quadringentos florenos Rhenanos, quos tempore belli, inter Prutenos & Polonos gesti, marchioni suppeditauerant. A. C. circiter MCCCCLXII. GEORGIVS PODEBRACIVS coegit marchionem cedere *Lusatia inferiori*, quam obtinuerat a LADISLAO, rege. Marchio solum *Cotbusium* cum paucis aliis oppidis, *Sommerfeld* & *Peiz*, sibi retinuit. CRANZIVS *l. XII. c. III. Metrop.* FRIDERICVS, *marchio Brandenburg., interposuit se medium inter duces Brunsuicenses & ciuitates Saxon., & vocatis partibus in Quedlinburg, finem bello fecit, damnis damna sunt conpensata.*

Lusatia inferiori cedere cogitur.

A. C. MCCCCLXIV. OTTO III., dux Stetinensis, vltimus in hac linea, sine mascula prole decessit. Itaque FRIDERICVS, marchio, neglectis WRADISLAO X. & ERICO II., ducibus Pomeraniæ, quod non essent in hac linea OTTONIS, feudum ducatus Stettinensis, sicut ante centum fere annos, inter LVDOVICVM, marchionem Brand., & BARNIMVM III., *ducem Stettinensium*, huius OTTONIS atauum, conuenerat, ab imperatore FRIDERICO accepit. WRATISLAVS & ERICVS id impugnant, hinc variæ deliberationes, multiplicia consilia principum agitata, & diuersæ voluntates subditorum fuerunt, quæ tandem in manifesta bella eruperunt. Nam A. C. MCCCCLXIIX.

Pomeraniam feudum accipit

MCCCCLXIIX. FRIDERICVS cum exercitu ducatum *Stettinensem* ingressus, principia læta & felicia habuit, captæ arces, *Quatuor rotæ*, *Garz* & *Loeckniz* commendantur WERNERO de SCHVLENBVRG. Marchio copias ad *Stetinum* ducit, consilia ALBERTI GLINDEN, consiliarii Stetinensis, irrita fiunt. Vnus e *baronibus* in PODLEST, præstans scientia rei militaris, expugnationem vrbis dissuadet, copiæ reducuntur, *Greiffenhagen* obsidione cingitur. Alio loco socius belli HENRICVS, *Dux Megapolensis*, affinis FRIDERICI ex sorore DOROTHEA, *Treptow* expugnat & capit. Duces Pomeraniæ pugnam reformidant, denique *Sundenses* inducias vtrinque expetunt. A. C. MCCCCLXIX. marchio expeditionem rursus instituit. *Vkermundam* obsidet, sed frustra, viriliter eam defendentibus, quibus a ducibus commendata erat. Mira narrantur a CRANZIO *l. XIII. cap. II. Vandal.* de monacho, bombardarum magistro, quod ex arce magno damno obsidentes affecerit. Duces, prœlium detrectantes, diuisis agminibus, ERICVS *Nouam Marchiam*, VRATISLAVS *Vckermarchiam* vastant. Tandem rex Poloniæ inducias *Petricouiæ* constituit. Ecastris ad *Vckermundam* in pago *Stoltenburg*, has literas misit senatui vtriusque arcis Brenni:

Pomeraniam inuadit

induciæ factæ

FRIEDRICH, von Gottes Gnaden, Marggraff to Brandeburg, Chorfürst, tho Stettin Pommern &c. Hertzoge. Vnsern Gruß tuuor, liebe Getrewe, wy verkundigen iuw, dat es uns noch in allen unsern Saken, der Allmachtige sey dafür gelobet, wohl zustehet, und hoffen unsere Gerechtigkeit, an unsere Lande Stettin und Pommern, mit guter Vollmacht kürzlich zu erlangen, so wir doch sonder Geldt nicht enden konnen; Als begehren wir mit allen Fleiß von euch, so wir auch vormahls geschrieben, das ihr mit den kleinern Stedten, zu ewer Gesprech gehorende, uns wollet urrichten hundert Schock Groschen Brandenb. Wehrung, und solche uns auf kunftige Martini leihen, wir wollen Sie euch zu Danck wiedergeben, oder ewern Willen

len haben, laſſet uns vor dißmahl in unſern Nöthen ia nicht unterliegen. Wir ſein deſſen ſehr nothdurfftig und wiſſen das anderswo ſolche nicht aufzubringen. Daran thut ihr uns einen ſonderlichen Wolgefallen, dafür wir euch dancken, und wollen ſolches in Gnaden zu erkennen nicht vergeſſen. Im Felde bey dem Dorffe Stoltenburg am Frytage nach Iacobi MCCCCLXIX.

Schedula. *Auch laſſen wir euch wiſſen, das wir eine ſtarke Wagenburg haben, von unſern Reiſigen Zeuge, und guten gewapneten Mannern, als wir unſer lebtage iemahls gehabt haben. Wir wollen der Sachen bald ein Ende ſchaffen, ob GOtt will. Schicket uns ie ehr ie lieber das Geldt, mit ewer eigenen Bottſchafft, hieher wir verlaſſen uns gäntzlich darauf &c.*

Priusquam vero pergam in hiſtoria FRIDERICI, ſubiiciam genealogiam ducum Pomeraniæ, vt plus lucis accedat marchionum hiſtoriis, in quibus ducum mentio fit:

SWAN-

SWANTIBORVS, ſtirps familiæ, obiit A. MCVII.

SLAVINA, nupta *Critoni*, Ruginano	IDA, filia Canuti, reg. Dan., A. MCXXX.	WARTISLAVS I., interfectus, A. MCXXXVI.	HELENA, Saxonica, A. MCXXVIII.	RATIBORVS, A. MCLXXI.	BVGISLAVS, A. MCL.	WANTIPOLCVS, A. MCXX. ἄπαις.

BVGISLAVS I. A. MCLXXXVIII. Hi duo fratres a *Friderico Barbaroſſa* duces creati ſunt, A. C. MCLXXX.	CASIMIRVS I. in Demin A. MCLXXXII.	WARTISLAVS, A. MCLXXXVI.	SWANTIPOLCVS	STVBESLAVS A. MCLXXXVII.

WARTISLAVS III., A. MCCLXIV., ἄπαις	BVGISLAVS II., A. MCCXXII.	CASIMIRVS II., A. MCCXVII.	WARTISLAVS II.	SWANTIBOR. A. MCCXLIV.	ADOLPHVS	BARTHOLOMÆVS, A. MCCXXIV., ἄπαις	SAMBORIVS, A. MCCVII.	MESTOWINVS I., A. M CCXXVI.

BVGISLAVS III., A. MCCXXIV.	BARNIMVS I., A. MCCLXXVIII.	CASIMIRVS III., vltimus dux Deminenſium, A. MCCLXXIV.	STVBESLAVS, ἄπαις	SWANTIBO. I., A. MCCLXVI.

HEDWIGIS, coniux *Iohannis I.*, M. Brand.	OTTO I., Stetinenſis A. MCCCXCV.	BARNIMVS II., interfectus a Wiganta *Muckernitzio*, A. MCCXCV.	BVGISLAVS IV., A. MCCCIX.	WARTISLAVS, A. MCCLXXV.	MESTOWINVS, A. MCCXCV.

BARNIMVS III., magnus, A. MCCCLXVIII.	WARTISLAVS IV., A. MCCCXXVI.

CASIMIRVS IV., ἄπαις A. MCCCLXXIII.	SWANTIBOR II., A. MCCCCXIII.	BVGISLAVS VII., A. MCCCXL.	BARNIMVS IV., A. MCCCLXV.	WARTISLAVS V., A. MCCCXC., *Pater Noſter* monachorum dictus.	BVGISLAVS V., A. MCCCLXXIV.
	α		β		γ

OTTO

α β γ

OTTO II., A. MCCCCXXVII. — CASIMIRVS VI., A. MCCCCXXXIV. — BVGISLAVS VI., A. MCCCXCIII. — WARTISLAVS VI., A. MCCCXCIV. — CASIMIRVS V., A. MCCCLXXVII. — BARNIMVS V., A. MCCCCI. — BVGISLAVS VIII., A. MCCCCVII. — WARTISLAVS VII., A. MCCCXCII.

IOACHIMVS I., A. MCCCCLXI. — BARNIMVS VI., A. MCCCCV. — WARTISLAVS VIII., A. MCCCCXV. — BVGISLAVS IX., A. MCCCCXLVIII. — ERICVS I., A. MCCCCLIX.

OTTO III., A. MCCCCLXIV. ἄπαις — BARNIMVS VII., A. MCCCCXLIX. — WARTISLAVS IX., A. MCCCCLVII. — SWANTIBOR III. A. MCCCCXLVI. — BARNIMVS VIII., A. MCCCCLI. — SOPHIA, coniux *Erici II.*, A. MCCCCXCVII.

WARTISLAVS X., A. MCCCCLXXVIII. — ERICVS II., A. MCCCCLXXIV. — AGNES, coniux *Friderici*, pinguis, M. Brandenburg.

I. coniux MARGARETHA, filia *Friderici II.*, march. Brand., A. MCCCCLXXXIX. — BVGISLAVS X., *Magnus*, A. MDXXIII. — II. coni. ANNA, filia *Casimiri III.*, R. Poloniae A. MDIII. — SOPHIA, nupta *Magno*, duci Megapolitano — CATHARINA, nupta *Henrico* seniori Brunsuic.

CASIMIRVS VII. — GEORGIVS I., A. MDXXXIV. — ÆMILIA, filia *Philippi*, Palatini. — BARNIMVS IX., A. MDLXVIII. — SOPHIA, nupta *Friderico I.*, Reg. Daniae.

PHILIPPVS I., A. MDLX. — MARIA, filia *Iohannis*, elect. duc. Saxoniae.

IOHANNES FRIDERICVS, coniux *Erdmundis*, filia *Ioh. Georgii*, march. Brand. — BVGISLAVS II., vxor *Clara Maria*, filia *Francisci*, duc. Luneburgensis — ERNESTVS LVDOVICVS, vxor *Hedwigis*, filia *Iulii*, ducis Brunsuicensis — BARNIMVS X., vxor *Anna Maria*, filia *Ioh. Georgii*, march. Brand. — CASIMIRVS VIII. — GEORGIVS II. — ERICVS III. — PHILIPPVS II.

PHILIPPVS III. — FRANCISCVS I.

Nunc

Nunc ad FRIDERICVM reuertor. Coniugem is habuit CATHARINAM, filiam FRIDERICI, *bellicosi*, electoris, & ducis Saxoniæ, ex ea genuit IOHANNEM & ERASMVM, qui in pueritia ante patrem diem suum obierunt. Alterutri filiam CASIMIRI, regis Poloniæ, despondit, per oratores suos, quos propter bellum Pomeranicum, *Petricouiam*, A. M CCCCLXIX., mense Octobri, miserat, petiit: nec abnuit CASIMIRVS, sed rem in aliud tempus distulit.

Friderici coniux, liberi

Eodem anno episcopatus Lubusiensis ad Marchiam rediit, sub episcopo Lubusiensi FRIDERICO, qui fuit *legatus marchionis* ad CASIMIRVM, Polonum, & cancellarius vtriusque fratris FRIDERICI & ALBERTI, marchionum.

Episcopatus Lubusiensis fit iuris Marchici.

E filiabus DOROTHEA IOHANNI, duci inferioris Saxoniæ in *Lewenbourg* nupsit, A. C. M CCCCLXIV., in bachanalibus. Hic IOHANNES permouit socerum, vt sequenti anno se *Lubecam* conferret, & viderat literas oppignorationis oppidi *Mœlne*, quas a maioribus Saxoniæ ducibus, senatus *Lubecensis* tenebat: ostensæ sunt literæ marchioni, agnouit æs magnum, quot erat illa ditio oppignorata, & contulit fructum sorti, nec vlla parte reperit genero suo profuturum, etiamsi promtam numerare posset pecuniam. MARGARETHA vero post mortem patris ab ALBERTO ACHILLE collocata est BOGISLAO X., duci Pomeraniæ, apud quem vixit ad A. C. MCCCCLXXXIX. Hoc matrimonium vehementer dissuasit VRATISLAVS X., patruus BOGISLAI, nec fuit felix, quia fuit sterile; itaque, cum solus superesset e mascula stirpe ducum Pomeraniæ, BOGISLAVS coniugem suspectam habuit, quapropter ea mœrore contabuit. FRIDERICVS igitur post Pomeranica bella e Marchia in *Franconiam* discessit, ibique, A. C. M CCCCLXX., X. Febr., principatus sui A. XXIX., mense IV., die XIX. diem suum obiit. Eo electore, Romano imperio præfuit FRIDERICVS III., *Austriacus*. In matrimonio habuit CATHARINAM, filiam FRIDERICI, *bellicosi*, ducis Saxoniæ

filiarum coniugia, mors electoris,

xoniæ electoris, *vid. eius rescriptum sub A. MCCCCLV.*, cuius supra memini.

Grossorum marchicorum veterum inscriptiones vel huius, vel patris, nomen continent, & habentur vsitate pro antiquissimis & genuinis, & sunt in triplici differentia, in quibusdam tales, in aliis eiusmodi, vt sequitur:

FREDERICVS, D. G. Imp. Elector.
Moneta No. March. Brandenbur.
FREDERICVS, D. G. March.
Grossus nouus Brandenbur. *
FREDERICVS, D. G. March.
Grossus Nouus Hauelberch. *

Postremos appellat vulgus *stellæ Grossos*, propter insignis stellæ formam, qua ab aliis grossis discernuntur, & in vsu rariores sunt.

Fines inter Saxones & Brandenburgicos descripti.

A. MCCCCLII., sex. post Misericord. Dom. fines descripti & constituti sunt, inter Marchiam Brandenb. & Saxoniam, sub FRIDERICO, marchione Brandenburgico, item FRIDERICO, duce Saxoniæ, arbitris GEORGIO & ADOLPHO, principibus Anhaltinis.

Marchio Pasewalcum incassum obsidet.

Ex annalibus Pomeraniæ constat, FRIDERICVM, marchionem, A. C. MCCCCXLV., vt ducibus Wolgastensibus *Paswalkum* & *Torgelow* eriperet, *Paswalcum* arctissima obsidione cinxisse. Imposuerunt autem duces validum præsidium, &, quo sua præsentia reliquos animarent, in vrbem se contulerunt duo BARNIMI, principes. Induxisse fertur marchio duorum ciuium animos, amplissimis promissionibus, vt noctu proprias domus inflammarent; orto incendio, etsi marchio acriter vrbem oppugnans, portas perfregit, in vrbem irrupit, oppidanos, magna strage affectos, in extremas angustias redegit, ad extremum tamen damni minime expers retrocedere coactus est. Incendiarii cum omni familia in reliquias ignium coniecti & exusti sunt. Oppidani milites marchio-

marchionis abeuntes, ad *Prenzlauiam* vsque insectati & hostium agros depopulati sunt. Itaque *Prenzlauienses* obuiam illis profecti, manus cum illis conseruerunt, victi vero, ac propriis laqueis, quibus hostem superatum ligare decreuerant, conuersa martis alea, captiui *Paswalkum* abducti sunt.

A. MCCCCXLVIII. FRIDERICVS, marchio, & duces *Wolgastenses* fœdera percusserunt, marchio filiam suam VRATISLAVO X. desponsatam connubio destinauit, promissum est, vt *Paswalcum* & *Torgelow* Pomeraniæ principes perpetuo obtinerent. *foedus inter Pomeranos & marchionem.*

ALBERTVS I.,

MARCHIO BRANDENBVRGENSIS,

S. R. I. ELECTOR.

ALBERTVS, marchio, natus A. C. MCCCCXIV., in oppido *Tangermünde* ad *Albim*, die XIX. Nouembr., hora VII. matutina, in profesto S. Catharinæ, hoc est, die XV. post ingressum HVSSII in *Constantiam*, successit fratri, FRIDERICO II., ætatis suæ anno sexagesimo septimo, & possedit totam Marchiam Brandenburgensem cum *Franconia* & parte *Voitlandiæ*. Quamdiu autem ægrotauit in Franconia FRIDERICVS II., tamdiu præfuit Marchiæ IOHANNES, ALBERTI filius, & post ipsius mortem vsque ad ingressum patris, sicut testantur CRANZIVS *l. XIII. cap. VI. Vandal.* & literæ IOHANNIS, scriptæ ad senatum veteris arcis Brenni, dominica Iudica A. MCCCCLXXI., in quibus hæc verba leguntur: *So unse liwe Herr und Vater, Margraue* ALBRECHT, *binnen Landes kommet, werd he sich met inw deshaluen woll vertragen.* ALBERTVS autem, circa festum D. Michaelis dicti anni LXXI. Marchiam Brand. ingressus & velut heres verus susceptus est: Et, quamquam pruden- *natiuitas* *initia imperii* *Iohannes præfectus Marchiæ*

 tia

tia & fortitudine FRIDERICI, patris, publica quies in Marchia Brandenburgensi feliciter & laudabiliter instaurata &, a filio FRIDERICO stabilita fuerat; tamen, vt in bellis fieri solet, leges siluerunt, & cœpit Marchia post bella Pomeranica ad ingenium non nihil redire, itaque ALBERTVS, alter filius, initio gubernationis cito remedia adhibuit, & interdictis publicis cauit, ne vis publica & priuata a quoquam inferretur, & illata legitimo modo propulsaretur: sicut docet sequens rescriptum, quod propter multas causas ad verbum subiiciam.

Albertus prohibet latrocinia.

Wy ALBRECHT, von Godes Gnaden Marggraue to Brandeborg, des hilligen Römischen Rickes Ertz Cämmerer und Churfürst, to Stettin, Pommern, der Caßuben und Wenden Hertoge, Burggrawe to Nürnberg, und Fürste to Rügen etc. laten alle und iglicke Prelaten, Grauen, Herrn, Ritterschafft, Man, Stedte, und ander unse Vnderdanen des louelicken Corforstenthums der Marck to Brandenburg, weten. Nadem Wy dorch die Schickung des Almächtigen Godes, in dat Gemelte unse Corforstenthum deßer Lande alse in unse vederlike Erue kommen sin, finden und mercken Wy gemeinen Nuet, ok Lauden undt Lüden nides schedliker oder unbequemers, den dat merklike Geruchte der Röfery haluen, die ie to tiden weder und fort vf den Straten geufet, und vorgenommen werden, dat doch nicht wol mogelich were to schin, wu man den getruen Wederstandt dhun, und einhelliglich darweder handeln wolde, des wy uns den also ein Regyrer dessen unser Lande to bestellende, plichtig to sin erkennen, up dat sulke Geruchte gestillet werden, und vermeden blieben, watt man allenthaluen verliese, dat man dat in die Marke to Brandenburg suke, und wat anders whor dorchkomme, dat werd zu die Marck geschiedt, alß den ettlicke anstoter uthgewen, und von dem Kopman geklaget werdt, dat wy nicht gerne hören, sunder id leuer in die Wege richten wolden, dat sulke Naschribinge von dem Lande affgewendett werden, u. dat louelicke Gerüchte by unsern Oeldern to befredinge de Lande und Straten geüfet, dorch uns upwassen machte, dat den

gode

gode beheglich, und uns, als dem Landesforſten, läuelich, ock denn gemeinen Landen und ern Inwhonern erlich und nuttlich ſyn mag, datt alles nachgeſehen, ſo hebben wy dorch rypen Rate, und ock uth unſer ſelueſt Guttbeduncken beuathet, und forgenhommen, dem mit der Hülpe Godes Wederſtand to donde, und ſchaffen gethan werden, und befelen darumme iuw allen und igliken obgenanndten unſern Vnterthanen, ernſtliken gebidende bey den Plichten, darmett gy uns verwand ſyn, dat gy des nu forder gude und flitige Vpſihungk hebben, und beſtellen willen, wu in unſern Landen up den Straten und ſus thogrepe geſchehn, dat gy von Stund an up ſin, und wo wit ed iß, in unſern Landen na ylen, ock die Lüde in ſulker Tyd, wu id Not ſeyn worde, bi den Plichten ermanen willett, dem ock alſo tho donde, und die Haſe und Beſchediger tho beholdende, ſie in Gerichte tho füren, mitt en tho handeln und handelen tho laten, ſo vele ſick gehöret und der beſchediger. Haſe tho verbüten. Eft öuer die Beſchediger mit der Haſe oder ſüſt entranden und herwech quehmen, ſick tho erkundigen und tho erforſchen, worhen ſie komen, entholden oder forgeſchauen werden, und von Stund an, wan id tho enden ſteit, mit dem erſten dar tho donde, wo id auerſt tho ſwar were, uns ſulcks ohn Verthien weten tho laten, ſo vvillen vvy na rade dartho don, darmit ſulks na geſtalt der Sake bekeret, odder geſtraffet vverde, und ivv alß die unſern darinnen ungeſchülden holden, ock uns von iuvv, alß iuvve Gnedige Herr und Rüggeholder nicht ſchaiden, desglicken ſchal man ock an den Orden unſer Lande thon, vvu vorſteit, mit guder Gevvarſam und Achtinge, ſo man beſte kan, upſate tho bevvaren, die up ſulke mit Lieke yle, geſchyn mochten. Ock ſo bevahlem vvy iuvv, vvu man ſihett, Einröſſer Trabende, oder ander, die man nicht kent, dat die angenommen vverden, bett an uns ſick tho erkundigen, ers weſens, offt ſick ock iemands under den eigen vorbunde, in den Höltern, Krügen oder Höfen lege, edder hilde, edder ungevvhönlicker Straten rehde, edder die Föhre an den Watern beſege, vveder die ſchall von Stund an ein Landtgeſchrey gemacket vverden, ſie tho euerfallen, anthonemen und tho beholden, vvu vor ſteitt, derſeluen die alſo, und vvu vor angeregen

geregen

geregen iſt, vverden begrepen, ſchal ock alſs den keiner ledig geſecht, edder geladen vverden, one gnugſahme Verſorgnieſſe, Lande und Lüde, und aller der, die darunder gevvand edder verdacht ſind, und vvorden der eder dieſeluen mit eren Lyfen gerichtet, ſo vvilleu vvy uns mit dem vvedder dele, edder keiner der unſern mit den, die ſick des eder derſeluen annehmen, nicht richten laten, dan mit allen Vervvanten gnugſamen Verſorgniſſe. Sünderlich ſo ſchal man und vvy vvillen ock ernſtlick von iuvv allen den unſern hebben, vvat von anden Enden geſtalen edder geröfett, und in unſer Land gebracht vvorde, das den Dedern vveder Rat, Hülpp noch Bylegunge geſchy, ock dieſeluen oder ander Röſer nicht gehuſet, geheeget, geſpiſet, gehelet eddert fortgeſchauen, ſunder mit ſambt der Haſe angenahmen und beholden werden, den welcker edder welcke dat deden, den oder dieſeluen wollen wy holden als die Beſchedigere und Deder, up dat ſick ock ein iuwelike Schadens tho entholden wete, ſo willen wy, dat ſulcke geröfte nymantt köpe, dan welcker dat dede und die herna kommen, der dieſelue Haſe wäre, wyllen wy ernſtliken, dat man en daters wedder geue, wer dat ock wittliken oder gruhmlick alſo edder up ander Wege handeln, den vermeinen wy alſs der Landes-Forſt darumb nicht unangelanget tho laten, darna hebe ſick ein igliker tho richten. Efft ock ymant euer Recht edder rechtlich Erbedynge, dar tho wyder unſern mechtig weren, ſemptlich edder ſunderlich unſe Lande u. unſe Vnderdanen vorbeſtunde, in wat Standes edder Weſens die weren, tho beſchedigen underſtünden, dat ſchall man tho wanden vernehmen, und einem iglicken dat ſyne Vprecht bybeholden helpen mit ſampt den Beſchedigern, efft man mag, und ſulckes alles, wu vorſteitt alſo tho holdende, is unſe ernſtlike Mynunge, by Vormydinge unſer Vngnade, dat willen wy gnädiglick und günſtiglich erkennen und beſchulden, des ock als iuwe gnädige Herr gegen iuw mit Gnaden nicht vergeten, ock ſulckes den Landen tho gude, in unſere Kinder planten, und uns des tho iuw allen, iuwen guden Gerüch tho gude, als Lieffhebbere der Gerechtigkeit to Vpentholdinge und befredige der Lande, und alle Straten des Oſels, iuwen Plichten na, uns verwant,

want, wu vorsteit und angetogen ist, holden, und unser ock aller der unsern haluen gentzlick verlaten. Dat. Cölln an der Spree, an Donnerdage na natiuitatis Mariæ, A. LXXII.

Forma iuramenti fidelitatis, præstiti FRIDERICO I., marchioni Brandenb.

W*y hulden und schweren Herrn FRIEDERICH, und synen Eruen, Marggrauen to Brandenborg, eine rechte Erffhuldinge, als unsern rechten Erffherrn, na Vthwysinge seiner Breue, getruwe und gewehre und horsam tho synde, eren Framen tho weren, eren Schaden tho wenden, one Geuherde, als uns GOtt helpe und die Hyligen.*

Forma iuramenti fidelitatis, præstiti vtrique FRIDERICO, filiis FRIDERICI I.

W*y huldigen und schweren Herrn FREDRIGEN, dem oldesten, und Herrn FREDERIGEN, dem iungesten, Gebrüdern, beiden Marggrauen tho Brandenburg, und erer twier rechtenn Erwen, ene recht Erff-Huldigunge, als unsern rechten natürlicken Erff-Herrn, nach Vthwysinge der gulden Bullen, getruwe, gewehr und gehorsam tho synde, eren Framen zu weren, und eren Schaden tho wenden, one alles Geuherde, als uns GOtt helpe und die Hyligen. Actum in die Briccii,* A. MCCCCXL.

Alberti laudes

Fuit ALBERTVS princeps belli & pacis tempore præstantissimus, qui non solum ob possessionem totius patrimonii, seu ditionum Brandenburgensium, conspicuus, & vicinis omnibus formidabilis, obque res maximas, præclare & feliciter gestas, nomine *Achillis Germanici* præ reliquis principibus συγχρόνοις maximus esset, sed etiam pacis artibus celeberrimus existeret, & intelligeret, pari disciplina bella & studia literarum, velut ornamenta pacis, temperanda esse.

Bella ab eo gesta contra Bohemos

Ad bella enim quod attinet, tanta eius fuit auctoritas & celebritas, vt deliberatum sit de commitenda ei summa belli Turcici præ cæteris. SIGISMVNDO imperante, ALBERTVS, ætatis suæ anno decimo septimo, patri adfuit in expeditone

contra *Bohemos*. Imperator ALBERTVS, *Austriacus*, petentibus *Wratislauiensibus*, eum ducem belli dedit, agentem ætatis annum vicesimum quartum, in hoc munere *Polonos* aliquot, levibus & tumultuariis prœliis fatigatos, coegit regni limitibus excedere.

Polonos

Successor ALBERTI, FRIDERICVS III., Romanus imperator, eius consilio & opera, cum magna admiratione magnanimitatis & felicitatis, quibus pollebat, adeo vsus est, vt sua au-ctoritate ALBERTVS per cæsarem imperare vulgo crederetur.

Belli intestini LVDOVICI, patris & filii, *Bauarorum*, in quo ALBERTVS, marchio, partes LVDOVICI GIBBOSI, filii, affinis sui, defendit, & LVDOVICVM BARBATVM, patrem, captiuum abduxit, & in *Onolsbach* custodiæ tradidit, meminerunt IOH. AVENTINVS *lib. VIII.* & SYLVIVS. Memorabile autem est LVDOVICI captiui responsum, quod dedit ALBERTO, petenti ab ipso multa, & minitanti, nisi præstaret, se illum in manus duri & inimicissimi principis traditurum esse, tum respondit LVDOVICVS: *quæ poteris ex me libero impetrare, eodem modo ex captiuo petito: si quid amplius voles, corpus meum in tua potestate, animum mihi, tibi non obnoxium inuenies.*

Ludouicum Bauarum.

In bello pro *Nassaensi* contra *Isenburgium* ab ÆNEA SYLVIO, papa Romano, seu PIO II., multa damna ALBERTVS intulit LVDOVICO, duci Bauariæ, cognomento *diuiti*, & vicissim ab eo multa passus est, cum tamen vterque apud HENRICVM, ducem in *Landshut*, educatus erat, (nam mater ALBERTI ELISABETHA soror fuit HENRICI patris LVDOVICI, sicut superius in genealogia Bauarorum adscripsi,) vno in loco dormiuerant, manus conseruerant, & in lucta alter alteri vestem sæpissime consciderat, ita, vt nobilis quidam vir, WILHELMVS *de* RECHBERG, aliquando ad eos dixerit: *Ihr Herrn, ihr traget einen Korb voll Vnglück, wenn ihr ihn einmahl werdet außschütten*, hoc omen euentum suum sortitum est in hoc bello.

Isenburgium

In

In bellis *Norinbergensibus*, cum aliquando omnes superioris Germaniæ ciuitates iuuare Noricos aduersus ALBERTVM statuissent, & compararetur numerosus exercitus, interroganti cuipiam, cur tanto apparatu adornaretur bellum aduersus vnum principem, & eum quidem non ditissimum, respondit vnus ex primoribus ciuitatum: *desipis, in Alberti astutia & fortitudine omnium Germaniæ principum vires opesque continentur.* Nec vanum fuit hoc illius augurium: nam septem & decem principes in suas partes traxit, ciuitatesque, multis attritas incommodis, pacem petere coegit. Eodem modo, cum quinque principes bellum aduersus ipsum parare nuntiaretur, respondisse ipsum canit SABINVS:

Norinbergenses

Quin referam tanto plus laudis ab hostibus, inquit,
Illorum quanto copia maior erit.

Encomium ALBERTI præclarum verbis SYLVII adscribam: *quanta est ALBERTI, marchionis Brandenburgensis, gloria, siue fortitudinem hominis siue prouidentiam exigis? Is ab ipsa pueritia in armis educatus, pluribus interfuit bellis, quam alii fortasse legerint; militauit in Polonia, Silesia, Prussia, Bohemia, Austria, Vngaria & Saxonia: in Germania nullus fere est angulus, quem non calcauit armatus: duxit exercitus copiosos: prostrauit ferocissimos hostes: cum Norinbergensibus nouem bella gessit, in octo victor, in nono victus, in quo proditione deceptus, quamuis pene captus videretur, fortuitum tamen periculum subita superauit industria: in congressibus pugnam prior iniit, victor vltimus excessit de proelio; ad singulare certamen sæpius inuitatus, nunquam non strauit hostem, in ludo, quo solo tecti clypeo acutis sese lanceis impetunt, septies & decies cucurrit semper victor, in oppugnationibus vrbium sæpe primus murum ascendit, quibus in rebus, non iniuria Teutonicus appellatur Achilles. Nec profecto quenquam nouimus, quem non sibi præferat, at, ne dicamus æquet. Neque in hoc homine tantum militares artes & imperatoriæ virtutes, singulari quodam modo relucent, sed nobilitas generis,*

Sylvii de eo elogium.

neris,

neris, proceritas corporis, venustas faciei, facundia linguæ & virium robur, admirabilem eum efficiunt.

Bellum, quod contra IOHANNEM, *Saganensem*, per filium IOHANNEM gessit, quatuor integris foliis describit IOACHIMVS CVRÆVS *in secunda parte annalium*; ego in IOHANNE eius mentionem faciam.

Bellum contra Pomeranos

Nunc accedo ad *bellum Pomeranicum*. ALBERTVS, marchio, antequam Marchiam adiret, ab imperatore FRIDERICO feudum ducatus *Stetinensis* accepit: BOGISLAO interim subditi iuramentum fidelitatis præstiterunt. Itaque ALBERTVS statim e Marchia cum exercitu in Pomeraniam se recepit, & *Piriz*, oppidum, obsidione cinxit, & BOGISLAVM in eo inclusit. Obsessi ducem per auia ducentes liberarunt: obsidionem marchio soluit. BOGISLAVS, collectis copiis, eum insequitur: in noua Marchia *Bernsteinium* capit: inde noui belli materia: sed duces *Megapolenses* MAGNVS & BALTHASAR inducias impetrarunt, dictus dies *Primislauiæ*, conditiones pacis propositæ: *captiui dimittantur, capta seruentur*, BOGISLAVS MARGARETHAM *filiam* FRIDERICI II., *vxorem ducat: idem & subditi literis publicis cauento, vt, deficientibus ducibus, marchiones in feudo succedant; has conditiones marchio & dux stipulata manu vtrinque confirmanto.* Conuenit sic inter vtrumque, quantumuis reclamante VRATISLAO X., anno MCCCCLXXIV. Anno autem MCCCCLXXVII., dominica Misericordias Domini, mandante VRATISLAO, nobilis Pomeranus BARTHOLOMÆVS BRVSENHAVER, insigni stratagemate, deceptis & occisis custodibus in arce *Garz*, obruit WERNERVM *de* SCHVLENBVRG cum suis conuiuis, vino somnoque sepultos omnes capit, ducem VRATISLAVM & ciues *Stetinenses* & *Stargardenses*, sicut inter ipsos conuenerat, intromisit, & oppidum cum arce occupauit, hinc ad *Quatuor rotas* mouit & cepit. Itaque ALBERTVS in Pomeraniam reuersus cum arcem *Garz* recuperare non posset, occupauit *Læckniz*, *Bahnen*, *Sazig*

zig & *Bernsteinium*. A. denique C. MCCCCLXXIX., in die visitationis Mariae, inter *marchionem* & BOGISLAVM, post obitum VRATISLAI X., lites compositae sunt, & pax tandem confirmata. Marchio retinuit arces *Laeckniz*, *Quatuor rotas*, & *Bernsteinium*, subditi ducatus Stetinensis & Pomeraniae marchioni pacta hereditaria de successione confirmarunt. BOGISLAVS retinuit *Garz* & *Sazig*.

Anno MCCCCLXXVII., in die Simonis & Iudae marchio IOHANNES interfuit solenni pompae, qua introductus est ERNESTVS dux Saxoniae XL. antistes Magdeburgensis.

Non solum autem bellator, sed etiam pacificator fuit ALBERTVS. Cum enim multa, vt dictum est, fortiter & feliciter gessisset, & offensionum causas, & compositionum remedia ex vsu didicisset, saluberrimo & ab ipsius nominis celebritatem numquam interituro consilio, auctor & suasor fuit pactorum, quae hereditaria vocantur, familiis *Saxonicae*, *Brandenburgicae* & *Hassiacae* peculiarium, non, quod principaliter, aut in vniuersum mutuae successionis ius respiciant, aut, deficientibus aliis, aliis successionem tribuant, nam id solum inter Saxoniae & Hassiae principes cautum est, vt pereuntibus alterutris, prouincia ad superstites deferatur: Brandenburgica vero familia, in hos casus nec recipit ius successionis, nec transmittit, prouidentia Romanorum imperatorum haud dubie ita statuente, ne in vnam eandemque familiam duorum electorum collata potentia superioribus formidabilis euaderet: sed, vt potius perpetua pax, in his late dominantibus & pari fere potentia imperantibus familiis, veluti propagata ad posteros vnanimi consensu seruaretur. Nam hos duos fines respexisse ALBERTVM in hac ordinatione, non est dubium. Primum, vt pax publica confirmaretur, non enim fuit sicuti nunc, interdicta publicae pacis perturbatio, maior concessa & subditis & imperantibus vindicandi aut per arma poscendi licentia, quae inquietis & turbas sitientibus varias praebuit occasiones, imo & tranquillitatis amantissimis

Albertus auctor pactorum hereditariorum, Saxo Brandenburgo-Hassicorum.

mis principibus non facile fuit, vel infimi nobilis petulantiam coercere, ſicut oſtendunt exempla prius e CRANZIO recitata, & ſuperius ALBERTI reſcriptum: alterum vt mutua beneuolentia in his familiis, quoad fidei & iurisiurandi religione fieri poſſet, ſarta tecta ſeruaretur, & abolitis bellorum iniuriis, veterum offenſionum memoria deleretur, & non incerta pacis ſecuritas feliciter ſanciretur. Annum huius ſanctionis annotant MCCCCLVII., renouata eſt *Naunburgi*, A. C. MDLV., menſe Maio, ſicut in IOACHIMO II. annotabimus.

Alberti fortitudo militaris.

Ætas ALBERTI fere bellatrix fuit, acerrimos enim & præſtantiſſimos in re bellica duces produxit, non vno in loco, aut regno, ſed plurimis ac diuerſis, toto orbe terrarum, quanquam in ipſis monarchis, videlicet FRIDERICO III., Romano imperatore, LVDOVICO II., rege Galliæ, & BAIAZETE, Turcico tyranno, plus calliditatis fuit ac verſutiæ, quam fortitudinis bellicæ. Germania tres habuit origine nobiliſſimos & induſtria militari ac bellica laude clariſſimos principes, ALBERTVM, Saxoniæ ducem, ALBERTVM, marchionem Brandenburgenſem, FRIDERICVM, *victorioſum*, comitem Palatinum *Vngaricam* gentem hoc ſeculo nobilitarunt res geſtæ duornm *Hunniadum*, IOHANNIS, patris, & MATTHIÆ, filii. In *Bohemia* non eſt contemnenda conſtantia & fortitudo GEORGI BOIEBRACII & filiorum eius. SCANDERBEGVM *Epiru* habuit. Hos ergo heroas omnes συγχρόνους ALBERTVS habuit quorum hiſtoriæ alibi legantur.

eius coniuges

Coniuges duas ALBERTVS habuit: priorem MARGARETHAM, vnicam filiam IACOBI, *Badenſis*, marchionis, e CATHARINA filia, CAROLI MARTELLI, ducis Lotharingiæ, nepte RVPERTI, cæſaris: poſteriorem ANNAM, filiam FRIDERICI PLACIDI, electoris ducis Saxoniæ, quam duxit A. C MCCCCLVIII., die duodecimo Nouembris, ex vtraque genui filios & filias, quorum nomina ſubſcribam:

liberi

ALBER

ALBERTVS, *Achilles Germaniæ* dictus —— MARGARETHA, Badensis, prima coniux.

VRSVLA, vxor *Henrici*, ducis Monstbergensis.	ELISABETHA, vxor *Eberhardi*, ducis Wurtenberg.	IOHANNES, a quo electores descendunt	FRIDERICVS, obiere	WOLFGANGVS, pueri	MARGARETHA, abbatissa in *Curia* Voitlandiæ.

ALBERTVS *Achilles.* —— ANNA, Saxonica, secunda coniux.

MAGDALENA,	ELISABETHA, virgines,	SIGISMVNDVS, obiit sine prole A. MCCCCXCV.	FRIDERICVS, a quo marchiones Onolsbacenses orti	ALBERTVS II., obiit puer A. MCCCC LXVI.	ALBERTVS III., obiit A. MCCCC LXX.	GEORGIVS, moritur Cadelsburgi A. MCCCC LXXVI.

ÆMILIA, nupta *Friderico*, Palatino	BARBARA, nupta *Henrico XI.*, Glogouiensi	SYBILLA, nupta *Wilhelmo*, Iuliacensi	ANASTASIA, nupta *Wilhelmo*, Hennebergico	DOROTHEA, abbatissa Sancti sepulchri Papebergæ	ANNA, mansit innupta.

mors

Mortuus est ALBERTVS A.C. MCCCCLXXXVI., vndecimo die Martii, Francofurti in comitiis, cum eligeretur MAXIMILIANVS I. in Romanum imperatorem, ætatis suæ anno septuagesimo secundo, cum præfuisset Marchiæ Brandenburgicæ, ab obitu fratris sui, annos quindecim, dies viginti nouem. Sepultus apud *Fontes salutares* Franconiæ. Imperatores vidit quatuor, SIGISMVMDVM, ALBERTVM, FRIDERICVM III. & MAXIMILIANVM I. Aureorum nummorum sub hoc marchione excusorum, qui vulgo Rhenani dicuntur, inscriptionem quidam talem habent: *Alb. March. Brandenb. Elto. moneta noua aur. Swobach.* In prima facie notandum, intra pedes imaginis, quæ sancti Iohannis baptistæ est, *Catuli* caput, vetustissimæ originis guelphicæ, cuius superius mentionem fecimus, vestigium expressum esse. Similem nummum aureum vidi sub nominibus marchionum FRIDERICI & SIGISMVNDI, filiorum ALBERTI, *Achillis germanici*, excusum tali inscriptione: Frid. & Sigism. marchion. Brand. moneta aurea Swobach.

moneta aurea Alberti

In huius ALBERTI liberis masculis, familiæ marchionum Brandenburgensium diuiduntur, ita, vt a IOHANNE, filio prioris matrimonii, electores Marchiæ Brand., a FRIDERICO vero, filio posterioris matrimonii, marchiones *Onolsbacenses* & duces *Prussiæ* propagati sint.

Forma iuramenti fidelitatis, præstiti ALBERTO, marchioni Brandenburgensi:

Wier huldigen, lauen und schweren und dahn dem Durchleuchten Hochgebohrnen Fürsten und Herrn, Herrn ALBRECHT, Marggrafen zur Brandenborch, Korforsten, unsern gnedigsten Herrn thovoruth und syner Gnaden nihenlichen Lyues Lebens Eruen, eine rechte

rechte Erfhuldinge, ſyner Gnaden und ſynen Eruen als Vnſern natürlichen Erf-Herrn, getrew, gewertig und gehorſam tho ſynde, ehren Framen tho woruen, und Schaden tho wenden, getreulich und ohne Gefehrde, als uns GOtt helpe, und alle Hylligen.

Priusquam vero hiſtorias marchionum electorum proſequar, familiam marchionum *Onolsbacenſium* breuibus inſeram. Linea marchionum Onolsbacenſium & ducum Pruſſiæ, quorum nomina, liberos, nepotes & pronepotes, ſequens quidem diagramma, natales vero & alia memorabilia huic annexa chronologia continet: *genealogia marchionum Onolsbacenſium.*

 FRIDE-

FRIDERICVS, march. Brand. in Franconia & Voitl. --- SOPHIA, filia regis Poloniæ CASIMIRI

GVMPERTVS

IOHANNES ALBERTVS

CASIMIRVS *a*

ALBERTVS *b*

GEORGIVS *c*

FRIDERICVS, obiit puer

IOHANNES

FRIDERICVS

FRIDERICVS

ALBERTVS

WILHELMVS

ELISABETH, nupta *Ernesto*, Badensi

SOPHIA, *Friderico*, duci Lignic. nupta

MARGARETHA

ANNA, nupta *Vladislao*, duci Teschnicensi

BARBARA, nupta *Georgio*, landgrauio Leuchtenberg.

CASIMIRVS *a* --- SVSANNA, filia *Alberti* ducis Bauariæ

CATHARINA, obiit virgo

ALBERTVS, ἄπαις, conflixit cum *Mauritio* Saxon.

CVNIGVNDA, nupta *Carolo M.* Badensi

MARIA, nupta *Friderico*, Palatino elect.

I. coniux DOROTHEA, filia *Friderici*, regis Daniæ, aliis eſt *Sophia* -- ALBERTVS, dux Pruſſiæ *b* -- II. coniux ANNA MARIA, filia ERICI, ſenioris D. Brunſuic.

ANNA SOPHIA, nupta *Alberto*, duci Megap.	CATHARINA nupta *Ioh.*	LVCIA DOROTHEA	ELISABETH	FRIDERICVS & ALBERTVS, obierunt in infantia.	ALBERTVS FRIDERICVS

I. coniux BEATRIX, ſoror *Matthiæ Coruini*, ἄπαις, -- GEORGIVS *c* II. coni. HEDWIG, filia *Caroli*, Munſterb. III. coni. ÆMILIA, filia ducis Saxoniæ.

SABINA, nupta *Ioh. Georg. M.* Brand. elect.	ANNA MARIA, nupta *Chriſtoph.* duci Wurtenb.	CATHARINA nupta	DOROTHEA, nupta *Henr.*, burggr. Miſn.	GEORGIVS FRIDERICVS	SOPHIA, nupta duci Lignicenſi

I. coniux ELISABETHA, filia *Iohannis* Cuſtrinenſis -- GEORGIVS FRIDERICVS in Onolsbach -- II. coniux SOPHIA, filia *Wilhelmi*, ducis Luneb.

de hoc nati

ALBERTVS FRIDERICVS, dux Pruſſiæ -- Coniux MARIA ELEONORA, filia *Wilhelmi*, ducis Iuliacenſis.

ANNA MARIA ALBERTVS.

Anno

A. Dn. MCCCCLX., II. Maii nafcitur Onolsbachi FRIDERICVS, filius ALBERTI *Achillis*, eo anno, quo Academia Bafileenfis inftituta eft a PIO II., pontifice Romano.

MCCCCXXXI., XXVII. Sept. nafcitur CASIMIRVS, filius FRIDERICI I., tribus menfibus & diebus duobus poft CHRISTIERNVM, regem Daniæ.

MCCCCLXXXIV., IV. Mart. nafcitur GEORGIVS, filius FRIDERICI, die duodecimo poft IOACHIMVM, patruelem.

MCCCCXC., XVII. Mart., hor. X. antemerid. nafcitur ALBERTVS, filius FRIDERICI, vno menfe & fex diebus ante patruelem cardinalem ALBERTVM.

MCCCCXCIII. nafcitur IOHANNES, filius FRIDERICI, gubernator *Valentiæ* in Hifpania.

MCCCCXCVII. nafcitur FRIDERICVS, FRIDERICI filius, canonicus Moguntinus, mox præpofitus Wurceburgicus.

MCCCCXCVIII. nafcitur WILHELMVS, FRIDERICI filius, epifcopus Rigenfis in Liuonia.

MCCCCXCIX. nafcitur IOHANNES ALBERTVS, FRIDERICI filius, coadiutor ALBERTI, cardinalis in Magdeburg, poft ipfius fucceffor.

MDXVIII., XXIV. Auguft. nuptias celebrat in comitiis *Auguftæ* CASIMIRVS cum SVSANNA, filia ALBERTI, *ducis Bauariæ*, præfentibus MAXIMILIANO, Rom. Imp. & aliis imperii principibus.

MDXXII., XXVIII. Maii nafcitur ALBERTVS, filius CASIMIRI, menfe vno poft LAZARVM

SVEN-

SVENDIVM: mense verò, hebdomatibus tribus, & quinque diebus, post D. LAMPERTVM DISTELMEYER LL. D. & illustrissimi principis IOACHIMI, electoris Brandenburgici, cancellarium.

MDXXIV. obiit IOHANNES, gubernator *Valentiæ in* Hispania.

MDXXV. ALBERTVS, relicto ordine, creatur die vicesimo secundo Nouembris primus dux Prussiæ a SIGISMVNDO, rege Poloniæ, & ducatum illum hereditarium accipit, eo anno, quo die secundo Septembris, hora prima post meridiem natus est IOHANNES GEORGIVS, princeps noster clementissimus.

MDXXVII., XXVII. Septembris, obiit Budæ dysenteria CASIMIRVS, anno ætatis quadragesimo sexto, eo die ipso, quo natus est, & anno natiuitatis MAXIMILIANI II., Rom. imper., PHILIPPI, regis Hispaniæ, & IOHANNIS ALBERTI, ducis Megapolensis.

MDXXXVI. moritur Onolsbachii FRIDERICVS, pater, anno ætatis septuagesimo sexto, principatus quinquagesimo, eo nempe anno, quo puella dæmoniaca *Francofurti* ad Viadrum vorauit numismata vndiquaque arrepta.

MDXLIII., XXVII. Decembr. obiit GEORGIVS, filius, anno ætatis quinquagesimo nono, eo anno, quo IOHANNES ECCIVS, Theologus.

MDXLVI. moritur Geneuæ FRIDERICVS, filius, cum militasset CAROLO V., contra Gallum.

MDXLIX.

MDXLIX., die V. April. GEORGIVS FRIDERICVS nascitur, filius GEORGII, duodecimo die ante obitum GEORGII, ducis Saxoniæ.

MDL., die XVII. Maii obiit IOHANNES ALBERTVS, archiepiſcopus Magdeburgenſis, ſepultus Halæ Saxonum.

MDLIII., XIX. April. naſcitur ALBERTVS FRIDERICVS, filius ALBERTI, ducis Pruſſiæ, eo anno, quo die nono Iulii ALBERTVS, patruelis, pugnauit cum MAVRITIO Saxone.

MDLVII., die VIII. Ian. moritur ALBERTVS, filius CASIMIRI, anno ætatis trigeſimo quinto.

MDLVIII., die XXVI. Decembr. nuptias celebrat GEORGIVS FRIDERICVS cum ELISABETHA, filia IOHANNIS, *Cuſtrinenſis*, eo anno, quo die viceſimo primo Septembris obiit CAROLVS V., Roman. imperator.

MDLXIII., moritur WILHELMVS, epiſcopus Rigenſis ætatis ſexageſimo tertio.

MDLXVIII., XX. Maii obiit ALBERTVS, dux Pruſſiæ hora ſexta matutina, anno ætatis viceſimo octauo, eodemque die, hora noctis decima, coniux eius ANNA MARIA, maritum ſecuta eſt.

MDLXXIII., XIV. Octobr. nuptias celebrat ALBERTVS FRIDERICVS, filius, cum MARIA ELEONORA, filia WILHELMI, ducis Iuliacenſis, eo anno, quo die nono Ianuarii ætatis ſuæ anno quadrageſimo nono Wittebergæ obiit ABDIAS PRÆTORIVS.

MDLXXVII., die III. Iulii, naſcitur filia ALBERTI FRIDERICI, ANNA, ex matre MARIA ELISABETHA.

MDLXXIX.

MDLXXIX., d. XXII. Ianuarii, iisdem parentibus nascitur MARIA.

MDLXXIX., die III. Maii nuptias Dresdæ celebrat GEORGIVS FRIDERICVS, cum SOPHIA, filia WILHELMI, ducis Luneburgensis.

IOHANNES I.,

MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, S. R. I. ELECTOR.

IOHANNES, filius ALBERTI, *Achillis Germanici*, e MARGARETHA, *Badensi*, natus A. MCCCCLV., biennio post captam a Turcis *Constantinopolin*. Patri mortuo successit in electorali dignitate, & cum fratre FRIDERICO, diuisis ditionibus paternis, primus Marchiam Brandenburgensem incoluit. Etsi enim pater & fratres sui, ex dispositione aui, vt prius dixi, ditiones partiti fuissent; redierant tamen ad ALBERTVM solum, reliquis fratribus sine mascula prole defunctis. Educatus IOHANNES apud FRIDERICVM, patruum, electorem, in bellis Pomeranicis, prima rudimenta militiæ exhibuit, postque huius obitum, vt parta tueretur, operam dedit, sicut docet sequens rescriptum eius, quod priusquam adscribam, non possum intermittere, quod de patre ALBERTO & filio IOHANNE in publicis prælectionibus euangeliorum dominicalium recitare solitus fuit PHILIPPVS MELANCHTHON, quin inseram: *Scripsit filius aliquando ad patrem, qui ei administrationem Marchiæ commendarat, se subditis impositurum superindicta, eo, quod sibi in illa gubernatione, non sufficerent reditus annui. Pater respondens, filium grauiter obiurgauit, & significauit, se res magnas egisse sine superindictis, itaque filium iussit a superindictis abstinere, & secundum Plauti dictum: mœnia pro suis opibus instruere.* Hæc ille: cui fidem facit aliud rescriptum eiusdem principis, A. MCCCCLXXI.

parentes

educatio

MCCCCLXXI., dominica Iudica *ad senatum veteris arcis Brenni* missum, e quo videre licet, ei neruos bellorum, id est, nummos, defuisse. A. igitur MCCCCLXXIV. sic perscripsit:

IOHANNES, von GOttes Gnaden Marggrafe zu Brandenburg, zu Stettin, Pommern &c. Hertzog, Burggraf zu Nürnbergk. Vnsern Grus zuuor, liebe Getreue, die Niederlendische Herrn sein in Gereitschafft, und haben ihr Aufgeboth gethan, daß die ihrige ihn mit Streitwagen, Buchsen u. ganzer Macht, folgen sollen, unser Land, Leute, Stette und Schloßer zu beschedigen mit Raub, Mord und Brand, alß wir deßen heimliche Kundschafft von etlichen unsern Stetten und auch sonst haben, so wist ihr, was Gartz mit andern gewonnem Landen, Stetten und Schlößern gekostet hat zu erkrigen und kost zu hohlen, daß dan uffhören oder kein Glaubeu in unsern Wiedertheil sein will, sonder täglich Verletzung und Beschedigung unserer Lande und Leute der Marck zugehörende, wartende müsten sein, und nachdem wir euch vormahls zugeschrieben haben, in Gereitschafft zu sitzen, auf unser fürder schreiben uff zu sein, und mit Macht uns zu folgen, kommen wir in eigener Person auf künfftigen Sontag gegen Gartz, wollen daselbst solchen Verderbens unserer Lande zu unterkommen bedacht sein, und zu Gartz eine Beuestigung bauen, dadurch wir Garz und andere Orter meinen zu behalten, und böser Leute Verrätherey und bösen Willen wiederzustehen und zu brechen: Begehren dorauff bey den Plichten, womit ihr uns verwand seidt, der wir euch hiemit erinnern, domit ihr ohn alles Verziehen zu uns vor und in Garz mit Macht auf das sterkeste, das ihr mit reisigen Zeuge, Harnisch, Pferde, zu Wagen und zu Fuß möget kommen, alle die Zimmerleute bey euch mit ihren Geræthe mitbringen und also geschickt, das zu ieden Wagen geschönete Schuppen, Hauwen, Exen und Spahden, Graben und andere Sachen zu machen, eine Notturfft nach euren Vermögen, und nottürfftigk biß auf vier Wochen mitbringet; Alß wir uns deßen gänzlich zu euch verlaßen, denn unser Herrschafft und dem Lande macht daran gelegen ist, in Gnaden zu erkennen. Datum Bernau in der Nacht am Freytag nach Inuent. Crucis im LXXIV. Iahr.

Sed

Sed ordinis gratia, qualem ſe IOHANNES poſt mortem patrui, præſertim in eo tempore, cum pater pro imperio Romano, aliis in locis dimicauit, in Marchiæ Brandenburgenſis adminiſtratione geſſerit, ſecundum ſeriem annorum annotabo.

A. MCCCCLXXIV. cum ERNESTO, duce Saxoniæ, electore contracto, exercitu ſex millium equitum ad *Vratislauiam* profectus eſt, & in conſeſſu trium potentiſſimorum regum, CASIMIRI, *Poloni*, LADISLAI, *Bohemi*, & MATTHIÆ, *Vngari*, orator cauſæ fuit, & quanquam multi adfuerunt, ingenii uſu & eloquentia excellentes; iudicatum tamen fuit, neminem in eo caſu tam ſplendide peroraturum fuiſſe; tanta enim cum grauitate & vehementia egit, vt præ admiratione adſtantes obſtupuerint, & præſtitit, vt pax fieret inter reges, & Germania huius belli terrore liberaretur.

eloquentia eius admirabilis

A. MCCCCLXXVII., IV. Iulii prope Francofurtum WEDEGO, *epiſcopus Hauelbergenſis*, interceptus eſt ab equitibus IOHANNIS, ducis Saganenſis, & ſequentis anni menſe Martio ſoluit λύτρον aureorum mille. IOHANNES igitur marchio, agens ætatis annum viceſimum ſecundum, a patre miſſus eſt cum mediocri exercitu contra dictum IOHANNEM, *Saganenſem*, & caſtra poſuit prope vrbem *Freyſtadium*, vt obſidionem arcis, quæ tenebatur a præſidio patris, propter filiam BARBARAM, viduam HENRICI, *Freyſtadenſis*, qui ante mortem die vigeſimo primo Februarii, A. C. MCCCCLXXVI. coniugi vniuerſam ſuam ditionem legauit, cum *Saganenſem* propter feritatem & iniuſtitiam odiſſet. IOHANNES, marchio, dictis induciis, poſt decimam ſeptimanam, ſoluta obſidione, domum rediit. Non tamen quieuit *Saganenſis*, ſed eiusdem anni die quinto Octobris, venit *Francofurtum*. Hanc vrbem præſidio tenuit IOHANNES, marchio, & erumpens prope pontem improſpere conflixit, Marchici in vrbem compulſi & trecenti quinquaginta capti ſunt. *Saganenſis* vaſtauit ſuburbia, abegit armenta

VVedego, epiſcopus Hauelbergenſis, captus

bellum Saganenſe

peco-

pecorum, & extorſit pecuniam a vicis & pagis, hinc inde: vrbs Francofurtenſis fidem ſuam pro captiuis interpoſuit, promiſit numeraturam ſeſe IOHANNI aureorum quatuordecim millia, aut captiuos ad feſtum Martini omnes *Sprottam* miſſuram. His rebus confectis, die decimo ſeptimo Octobris domum rediit, ſuosque ditatos ſpoliis dimiſit. Die viceſimo nono Octobr. denuo nobilitatem *Neoſtadium* euocauit. Die Martini, epiſcopi, ſecundum pacta Marchici ſe *Sprottæ* ſiſtebant, diſtribuit eos in carceres hinc inde per vrbes, quidam ſeipſos redemerunt. Menſe vero Martio ciuitas *Francofurtenſis* numerauit pro reliquis aureorum octo millia, eosque liberauit. Huc ſpectare videtur ſequens reſcriptum:

IOHANNES, von Gottes Gnaden &c. Vnſern Gruß zuuor, liebe Getreue, nachdem uns mancherley und ſchwere Leufte und Verwüſtungen unſern Landen unter Augen ſtoſſen, ſich auch unſere Feinde täglich ſtärcken und für der zuuerrüſten gedencken, dem wir auch nicht Wiederſtand thun können, ungehorſam der unſern halber, haben wir uns bewegen laſſen, mit unſern Räthen, ſo wir bey uns haben, eine trefliche Botſchafft, von Prælaten, Mannen und Stätten an den Hochgebohrnen Fürſten, unſern lieben Herrn Vater Herrn ALBRECHTEN Marggrafen zu Brandenb. Churfürſten abzufertigen und S. Ld. von der Herrſchafft und des Landes beſten wegen zu bitten, ſich in eigener Perſon herein in die Marck zu verfügen und drauf zu gedencken, damit die Lande nicht verwüſtet werde, begehren von euch deswegen, ihr wollet Valtin Görtzke zu andern unſern Räthen und Geſchickten auf Dingſtag nach omnium Sanctorum gegen Ziegeſer abfertigen, furder mit ihren zu unſern lieben Herrn Vater gegen Francken gemelter Vrſachen halber zu ziehen, wolten euch ſolches nicht verhalten, Franckfurt am Mittwoch nach Simonis Iudæ, A. MCCCCLXXVII. Inſcript. *Vnſern lieben getreuen, Burgemeiſter und Rathmannen unſerer Alten und Neuen Stadt Brandenburg.*

Sub

Sub initio veris sequentis anni MCCCCLXXIIX. actum fuit de concordia, inter *marchionem* & *Saganensem* ex mandato regis MATTHIÆ: sed frustra, marchio enim irritatus, iam armabat se contra hostem. Hæc IOACHIMVS CVRÆVS in *annalibus Silesiæ*. Irruptionum autem hostilium, quarum multas in Marchiam Brandenburgensem instituit Saganensis, præcipua est capitanei ipsius IOH. KVK, immissi in vrbem *Beliz*, nundinarum tempore, quo plena bonarum rerum per fraudem a militibus IOHANNIS vrbs ea occupata est. Brandenburgenses ciues, & vicini nobiles, vrbi *Beliz* auxiliares copias adducunt, hostem obsident, & marchionem de facto certiorem reddunt. Marchio, re cognita, obsedit vrbem, spatio trium septimanarum tandem, cum vnus ex consiliariis principis globo hostium traiectus interiisset, irritatus, die Iouis ante Pentecosten, iniecit ignem, quo ciuitas, supellex & equi militum omnes perierunt, ipsi milites nudi se marchioni tradiderunt numero centum & sexaginta. Memoria huius irruptionis veterum Germanorum more cantilena seu rhytmis comprehensa, cuius versus aliquot subiiciam:

Saganenses occupant vrbem Beliz quæ a marchione igne deletur.

Wil gy hören ein neues Geticht,
Dat tho Beliz is utgericht,
To Beliz an der owen,
Ian Kuk bedrouende manch mündelein roth
Manch Magdlein und manche Frauwen
Opt enen Dingstag, dat geschach
Dat man Ian Kuk inryden sah
Die Landes-Knechte ut den Wagen sprungen,
Die Dören lieten sie vermuhren,
Ik merkde ene Wile, die was nicht lang
Die Bodenschap gegen Brandeburg quam
Tho unsern wysen Herren

 Bey

Bey den wyſen Herren von Brandenburg
Dot gy uns hulpe mehren,
Id wart ene wyle die was nicht lang
Die Botſchap toe Berlin ok quam
Toe unſern gnadigen Herren,
Gnädige Herrn von Berlin,
Dot gy uns hulpe mehren,
Op enen Donnerstach dat geſchach
Dat man einen roden Hahn ut flegen ſach
To Beliz ouer de Muren
Iean Kuk woll tho den Fenſter ut ſach
Syn howet mut ward hem verſturet.

Captus latro Berolini carceri includitur, equo elapſus interficitur aut occiditur. Hoc reſpexit SABINVS, quando in reditum IOACHIMI II. e bello Turcico ſic canit:

Exhibet & reduci ſimiles tibi lætus honores,
Vt proaui natis exhibuere tui,
Sic patris exceptus pater eſt ab Achille IOHANNES,
Cum rediit populo victor ouante domum.
Arma Bohemiaci quo tempore fregerat hoſtis,
Et fera pugnacis robora Luſatiæ,
Sileſiæque ſuis adiecerat oppida terris,
Per quas irriguis Odera tendit aquis.

Sedatum tandem eſt bellum hoc A. C. MCCCCLXXXII., die ſexto & decimo Septembris *Camencii*, vbi fuerunt conſiliarii principum Saxoniæ fratrum, & marchionis Brandenburgenſis electoris, IOHANNIS, Saganenſis, & GEORGIVS STEINIVS, legatus regius. Transactum eſt hoc modo: IOHANNES reſignanit in manus regis oppida *Zulichium*, *Croſnam*, *Sommerfeld* & *Bobersbergam*: illa GEORGIVS nomine regis (ſic enim inueniſſe ſeſe in vetuſtis chartis CVRÆVS teſtatur,) pro dotalitio

pax facta

Bar-

Barbaræ, viduæ, quod fuit quinquaginta millia aureorum, tanquam hypothecam, tradidit marchioni; die deinde dominico, qui fuit decimus tertius Octobris, in omnibus ciuitatibus, cantu publico Deo gratiæ actæ sunt pro concordia.

Eodem anno MCCCCLXXXII., circa festum Margarethæ IOHANNES, marchio, mandauit WEDEGONI *de* GANS, *episcopo Hauelbergensi*, (is obiit A. MCCCCLXXXVII., in castro *Plattenborg*,) vt assumto WILHELMO *de* PAPENHEIM, quem veteris Marchiæ capitaneum ob eas res crearat, Prignissam ingrederetur, & curaret, ne fierent insidiæ & latrocinia in viis publicis. Illi asciuerunt in auxilium vrbicos veteris Marchiæ, & ducentes in Prignissam quindecim mansiones eorum, qui in culpa fuerunt, igne ac ferro exciderunt, quorum erant facinora notoria, eos gladio feriri iusserunt, & magnis conatibus instituerunt, ne quid tale in futurum ageretur. CRANZIVS *lib. XIII. cap. XXVI. Vandal.*

latrones Prignissa infestantur.

Fuit IOHANNI, marchioni, in hisce bellis a consiliis agnatus comes, EITEL-FRIDERICVS *in Zollern*, vt docet sequens ἀποχὴ, quam subscribam, cum propter hanc causam, tum, quod ex ea initia difficultatum & exactionum, in Marchia Brandenburgensi aliquo modo intelligi possint.

Wir IOHANNS, von GOttes Gnaden, Marggraff zu Brandenb. &c. bekennen offentlich mit diesen Brieffe, daß uns Burgemeister und Rathmannen unserer alten Stadt Brandenburg, heute dato 392. fl. Reinisch und 12. gl. so sie uns auf Martini zu Landbethe zugeben, betagt und schuldig worden seyn, gnuglich wolbezahlt, und die dem Wollgebohrnen unsern Vettern Rath und lieben Getreuen EITELFRITZEN Graffen zu Zollern von unsertwegen geben und uberandwortet haben, solcher 392. fl. und 12. gl. sagen wir die genannte Burgemeister &c. für unsern Herrn Vater uns und unsere Erben quitledig und looß, in und mit Krafft dieses Brieffes, zur Vrkundt mit un-

unsern zurrück aufgedrückten Insiegel versiegelt, und gegeben zu Cölln an der Spree am Freytage Georgii, A. C. MCCCCLXXXIV.

Post mortem patris a BOGISLAO, *Pomerano*, renouationem pactorum hereditariorum postulauit, quam cum ille recusaret, marchionem irritauit, ideoque inter atroces minas variæ deliberationes vtrinque, internuncio WERNERO *de* SCHVLENBOVRG, quem vterque coluit, institutæ sunt, quas tamen ita moderauit WERNERVS, ne in bellum publicum erumperent, etiamsi lites non componerentur. Tandem ita inter eos conuenit: marchio, sibi rentents *Quatuor votis*, *Pomerano* restituit *Klempenow* & *Torgelow*. Pomeranus pacta de futura successione marchioni renouauit, &, literis publicis obsignatis, confirmauit.

pax cum Pomerano facta

A. C. MCCCCLXXXVIII., HAVGWITIVS, *baro Morauus*, ductor copiarum ex nigra legione a rege MATTHIA missarum, transiit in Lusatiam inferiorem ad limites marchionis, aliæ copiæ ad fines ducum Saxoniæ in superiorem Lusatiam profectæ sunt, quæ hæserunt ibi in tertium vsque mensem & vastati sunt longe tractus. Causa hæc fuit: rex MATTHIAS iudicabat, principes hos alienos esse a se animo, & nunc auxilia missuros esse cæsari, ideo, vt retinerentur domi, terruit eos domestico bello. Princeps vero Saxoniæ & marchio, collectis copiis, sese munierunt, & multos ex illis prædonibus occiderunt, videbaturque res spectare ad graue bellum: sed IOHANNES, *Varadiensis*, missus a rege, sub medium mensis Maii, in oppido *Luca* sedauit bellum inter regem & principes vicinos. Hæc CVRÆVS.

Haugwitii in Marchiam irruptio

Eodem anno in *Stendalia* veteris Marchiæ, dum male parerent ciues senatui efferrenturque ad disturbandum publicum concilium, maiores cogebantur inuocare principem. Is egressus valida armatorum manu, tumultuantes repressit, & capita gladio puniuit, instituitque diu recusatam

Stendaliensis tumultus

tam

tam *Accisam:* ea est cereuisiæ vectigal, per omnes vrbes veteris Marchiæ, facili vsus progressu, per intestinam ciuium discordiam. Hæc CRANZIVS. *Chronicon Saxoniæ* ita habet: *ok war ene böse Zwitracht in den Steden der Oldemark, touorn to Stendal, da wolden de gülden den Rath oueruallen, so dat de Ouersten anrepen de Marggraf Hans toe Brandeborg tog in de Statt Stendel, und Deit der Plassmaker vel Koppen, und welle fangen, to Stendal, to Soldwedell, to Gardelegen, und sette ene grose Accise in die Stede den Marggrauen to geborende, van der Tonnen Biers acht Stendelsche Penningen.* Huius vectigalis diuisio duplex fuit: duo enim trientes duodecim nummorum cameræ principis, tertius vero ærariis ciuitatum adnumerati sunt, ita, vt solueretur hæc accisa septem continuos annos. Constituta & perscripta hæc sunt Coloniæ ad Sueuum, in die Stæ Apolloniæ, A. MCCCCLXXXVIII. Quomodo autem ex septennali perpetuum vectigal factum & nummi in grossos, grossi in florenos & aucti, & mutati sint, alibi annotatur, & ea persequi, ab instituto nostro alienum est. Atqui hæc ipsa tributa principum, propter quæ bonitas potus nostratis ita extenuatur, ut neque natura, neque corpus, perinde vt valetudini, & longæ vitæ conseruandæ sufficeret, sustentari possint, pœnis peccatorum nostrorum in publicis prælectionibus adnumerare solitus fuit PHILIPPVS MELANCHTHON, & conqueritur de exactione cereuisiæ PAVLVS LANGIVS, *Cygneus, in vita Friderici & Iohannis, fratrum*, ducum Saxoniæ, quos laudatissimos principes prædicat, sed exactionem hanc non laudat, namque & hos malum producere scribit, quod, dum quisquam ob taxam seu multam indictam in quæstum valet, indemnis euadere conatur, aut mensuram minuat, aut fraudulenter dolosum potum infundat & apponat.

accisa cereuisiæ.

A. C. MCCCCLXXXXI., papa INNOCENTIO VIII., Romano imperatore MAXIMILIANO I., sub hoc marchione cœptus concursus populi in Sternberg, quod oppidum situm est in ditione Megapolensi. Causam præbuit facinus sacerdo-

Sternbergensis concursus

tis & Iudæorum, in eo loco commissum in hostiam sacramenti. CRANZIVS *lib. XIV. cap. XVII. Vandal.* Sacerdos *Rostochii*, ignitis forcipibus tractus & igni mandatus est, viginti quinque vero Iudæi concremati sunt. Simile exemplum A. MDX., sub IOACHIMO I., accidit, de quo deinceps.

Iudæi combusti

Cum autem IOHANNES, marchio elector, postremis annis a multo abdomine proceri corporis, ad labores & exercitia non solum minus habilis esset, verum etiam ad propriam detestationem eo premeretur, vt incusaret sæpius ex ea parte naturæ infelicitatem, ad eamque subleuandam molem inusitatæ curationis rationem, qua sibi abdomen non sine præsentissimo vitæ periculo, subduceretur, aliquando instituisset: tamen cum natura mox suppleret arte ascitam gracilitatem, euaderetque obesior, hanc ipsam impotentis corporis grauedinem moderato animo patienter ferre cœpit, & magno solatio in locum inuisæ exercitii & rerum gerendarum facultatis habuit, quod propter singularem prudentis animi vim, in omnibus summis deliberationibus consilium, ab eo veluti non obscuro vate, peteretur. Hæc CHRISTOPHORVS MEIENBVRGIVS.

Iohanni obesitas est molesta

præcepta eius filio data

Priusquam moreretur, filio IOACHIMO hæc mandata dedisse fertur:

1. *Ante omnia Deum coleret*,
2. *Iustitiam & beneficentiam amaret*,
3. *Subditos contra vim potentum defenderet*,
4. *Ne nobilium licentiæ frena laxaret.*

consilium de academia Francofurti ordinanda.

Eidem perhibent auctorem fuisse, vt scholam *Francofordianam* constitueret, & aperiret, & testamento reditus quosdam ad hunc finem ordinasse. Hæc ANDREAS MVSCVLVS *in oratione funebri* IOACHIMI II.

mors

Obiit IOHANNES A. C. MCCCCLXXXIX., (eo anno, quo die vigesimo secundo Martii, natus est IOHANNES CARION, historicus & mathematicus, qui filio IOACHIMO I., & ne-

nepoti IOACHIMO II. familiaris fuit, ætatis fuæ anno quadragesimo quarto, cum præfuisset Marchiæ post obitum patris sui, annos tredecim, menses nouem, dies viginti. Imperatores nouit FRIDERICVM III. & MAXIMILIANVM I. Coniugem habuit MARGARETHAM, filiam WILHELMI III., ducis Saxoniæ, neptem ALBERTI, *Austriaci*, Romani imperatoris, quæ ei nupsit A. MCCCCLXXVI. Ex ea genuit filios & filias, quorum nomina sequens diagramma continet:

IOHANNES I., march. Brand. S. R. I. elector — MARGARETHA, Saxonica

ANNA, vxor *Friderici I.*, regis Daniæ	VRSVLA, vxor *Henrici*, ducis Megapol.	ELISABETHA, obiit infans	IOACHIMVS I., S. R. I. elector	ALBERTVS, Moguntinus elector	WOLFFGANGVS, obiit infans.

Inscriptio grossorum.
MONET. A. DN. MCCCCXCVI.
IOHS. D. G. marchio Brandenb. elect.

Forma iuramenti fidelitatis, præstiti IOHANNI M. B.

Wier huldigen, geloben, schweren, und thuen dem Irlauchten, Hochgebohrnen Förften und Herrn, Herrn IOHANNSEN, Marggrafen zur Brandenburg, des heiligen R. Reichs Ertz-Cammerern und Chuerfürsten, unsern gnedigstem Herrn und seinen mennlichen Leibes Lebens-Erben, zuenoraus und darzue auch, dem Irleuchten Hochgebohrnen Förften und Herrn, Herrn FRIEDRICHEN, Herrn SIGMVNDEN, Marggrafen zur Brandenburg, Gebrüderen und ihren mennlichen Leibes Lebens-Erben, eine rechte Erbhuldigunge, nach laut väterliches Vertrages und Kayserlicher Versammlunge und wie denn solches die Briefe darüber ausgangen, eigentlicher zu erkennen geben und innhalten, dem obgenanndten unseren gnedi-

gen Herren, und Marggrafen IOHANNSEN und seinen mennlichen Leibes Lebens-Erben zue voraus, und so er nimmer were, auch nicht mennliche Leibes Lebens-Erben, also unseren natürlichen Erbherren getrew, gewertigk und gehorsam zu seyn, ihren Frommen zue werben und schaden zue wenden, getrewlich und ungefehrlich, als uns GOtt helffe und die Heiligen &c.

IOACHIMVS I.,
MARCHIO BRANDENBVRGENSIS,
S. R. I. ELECTOR.

natiuitas

IOACHIMVS I. natus A. C. MCCCCLXXXIV., vicesimo primo Februarii, (*calendarium* EBERI) nouem minutis ante vndecimam noctis, viuente adhuc auo ALBERTO, hoc est, anno post Lutherum & die XII. ante Georgium M., patruelem suum. Successit patri IOHANNI, agens annum ætatis decimum quintum. A. enim C. MCCCCLXCIX., in octaua post corporis Christi, cum fratre ALBERTO confirmauit priuilegia veteris ciuitatis Brandenburg.

nobilium conspirationes disiicit

Initia gubernationis difficilia & periculosa fuerunt, propter latrocinia & conspirationes nobilium, sed animi magnitudinem statim declarauit, cum latrociniis ditionem purgauit summa cum virtute, qua in re, quod difficillimum est, & domesticas insidias consilio vicit, & sæpe magnas coniuratorum copias parua manu acie dimicans ipse oppressit. Quæ autem fuerit hæc turba, & præsertim nobilium, sunt adhuc, qui nomina eorum tenent, quorum maiores tam celebres & formidabiles fuerunt viatoribus, vt hi, mane iter ingressuri, contra istos prædones a Deo custodiam petiuerint &, pro superstitione istius seculi, muniuerint se signo sanctæ crucis, quoties sola mentio nominum eorum fieret. Sed præter hos publicos in ipsa aula principis fuerunt, qui, cum vesperi ad usitata munera præsentes fuissent, noctu surrexerunt, & latrociniis per-

in aula principis latrones

actis,

actis, mane ad sua munera obeunda reuersi fuerunt; quorum præcipuus, cum a mercatore, quem mercibus & nummis spoliarat, in præsentia principis accusaretur, capitis supplicio affectus est. Alius autem ex aulicis eo dementiæ prolapsus est, vt, posthabito fidelitatis iuramento, ad cubiculi ostium, minas ironicas & criminosas in principem iuuenem adscriberet, &, has executurus, cum manipulo suo in sylua Copenicensi vitæ marchionis, illas transituri, insidiaretur. Rusticus, conscius insidiarum, rem ministris, ministri marchioni reuelarunt; qui retrogressus auxit numerum equitum, & victor captiuum abduxit autorem conspirationis & caput ceruici præcisum, in memoriam sempiternam, in porta *Copnicensi*, quæ *Coloniæ ad Sueuum* est, in omnium oculis stylo ferreo imponi mandauit, socios in fuga arreptos, omnes gladio puniuit. Et ferunt, vno anno plus, quam septuaginta & nobiles & ministros propter insidias publicas & latrocinia pœna mortis affectos esse. Cum ergo hoc modo vindicaret malefacta suorum nobilium, ægre hoc iidem tulerunt, & conquesti sunt de hac principis sui sæuitia & animaduersionibus apud cognatum principem FRIDERICVM, qui IOACHIMVM ætate superabat, & petierunt, vt pro ipsorum sanguine intercederet. Is cum hac de re ad IOACHIMVM perscriberet, hoc tulit responsi: se pœnas sumere dignas & iustas a publicarum viarum insidiatoribus & raptoribus, non a nobilibus, quorum non esset, latrocinia propria facta reputare, eaque, re quasi bene gesta, sine fine & impune exercere, contra genus & decus veræ nobilitatis. Huc spectant, quæ de se ipso IOACHIMVS publico rescripto A. MDXXXIV. euulgari curauit: sic enim sonant verba:

Ob uns wohl in alle Wege gebühret, in unsern Landen bey unsern Vnterthanen, Friede zu erhalten und Gewalt vorzukommen, derowegen wir oftmahls verursachet, ein ernstlich Einsehen zu haben, die muthwillige Thäter und Freueler, mit Bestrikkung und ernster

Straffe zu unterhalten, seind wir doch allezeit des geneigten und genädigen Gemüths, gegen die Vnsrige und sonderlich, so des ehrlichen Herkommens und Adels so viel immer möglich zu verschonen &c.

SABINVS de eo sic canit:

Auctor es infesti, quod non timet arma latronis
Per tua, qui carpit regna, viator, iter,
Nam consueta diu prædis ac viuere rapto
Te graue supplicium vindice turba dedit.

Stendaliensis tumultus compressus. Sed & *Stendalienses* ciues contra canonicos insurgentes, misso filio IOACHIMO II., compescuit, sumpto supplicio ab auctoribus seditionis.

Pomeranica pacta renouata. A. C. MDI., die martis ante circumcisionem Domini, pacta Pomeranica, quorum iam sæpius mentio facta est, inter IOACHIMVM eiusque posteros marchiones electores ab vna, & BOGISLAVM, eiusque posteros duces Pomeraniæ & subditos eorum ab altera parte, renouata sunt, & germanice perscripta *Stetini* & *Paswalci*, confirmata deinde a CAROLO V., Rom. imp., Wormatiæ, A. MDXXI., die quarto Aprilis & typis excusa in manibus omnium versantur. Pomerano autem inuestituram ducatus a CAROLO V. petente, & marchione repugnante, animi eorum amariores inuicem facti sunt, & causa in cæsaris curiam deuoluta est, sed non transacta fuit, permansitque discordia, quoad vixit BOGISLAVS. Copiam libelli supplicatorii IOACHIMI I., marchionis, A. MDXXI. ad CAROLVM V. missi eiusmodi legi:

Allerdurchlauchtigster Großmächtigster Kayser Ew. Kayserl. Maiest. sein meine schuldige gehorsahme willige Dienst iederzeit zuuor, allergnädigster Herr,

Ich kan mich nicht gnungsam bedenken, womit ich und das ganz Haus Brandenburg, diese Vngnade umb Ew. Kayserl. Maiest. ver-

dienet

dienet, das Ew. Kayserl. Maiest. uns diesen öffentlichen Schimpff und Nachtheil erzeiget und gethan, mit der vermeinten Belehnung des Herzogs von Pommern, angesehen unser aller treu und mannigfaltigen erzeigten willigen Dienst, dazu kein Brief und Siegell ihrer Vorfahren und Eltern, desgleichen des Herzogen von Pommern und seiner Landschafft Verpflichtung und Verschreibung, die Ew. Kayserl. Maiest. alle selbst gesehen und gehöret haben, und daneben Ew. Kays. Mai. Selbst-Belehnung, Lehn-Brieffe, confirmation und andern gläubigen Schein und Versorgung unter Ew. Kayserl. Maiest. Hand und Siegel ausgegangen, ich geschweige der mannigfaltigen gnädigen persönlichen Versicherung, wie Ew. Kayserl. Maiest. solches alles unverborgen ist &c. Hette ich aber solches ümb dieselbe verdienet oder verursachet, als ich doch nicht hoffe, so were es mir getrewlich leydt. Es halte sich aber, wie es wolle, so bitte und ermahne ich Ew. Keyserl. Maiest. aufs vnterthänigste, und mit den höchsten Fleiß, Sie wollen diese Sache zu Herzen nehmen, und der Billichkeit nach, ein genadiges Einsehen haben, und die Verordnung thun, wie Ew. Kayserl. Maiest. durch meinen Vettern M. IOHANNSEN, auch meines Hn. und Bruders der andern meiner Vettern und meiner geschickten Räthe weiter ersuchet und gebethen, damit Aufruhr im Reich und das christliche Blutuergiessen möge verhütet werden, denn ichs samt meinen Gemüth ümb Ew. Kayserl. Maiest. ob GOtt will, nimmer anders verdienen werde. Bitte Ew. Kayserl. Maiest. wollen in alle Wege mein gnädigster Kayser und Herr sein und bleiben, die ich hiemit in aller glückseligen Wollfart dem Allmächtigen befehle. Cölln an der Spree, am Tage Mariæ Magdalenæ A. MDXXI. An Röm. Kayserl. Maiest. IOACHIM Churfürst zu Brandenb.

Francofurtensis academia instituta

A. MDVI., IOACHIMVS motus celebritate reflorescentium literarum in *academia Viennensi*, ficut ante ipsum FRIDERICVS *Saxo*, *sapiens* dictus, *Francofurti ad Viadrum* colonia deducta ex *Lipsiensi*, quæ ex *Pragensi*, nata erat, scholam instituit, consensu ALEXANDRI VI., R. P. & MAXIMILIANI I., Romanorum imperatoris. Ea introducta est die vicesimo septimo Aprilis

Aprilis, rectore primo, CONRADO VIMPINA, *Franco*, Theologiæ doctore, & decano primo M. IOHANNE LINDHOLZ, Marchiaco, ex oppido *Muncheberg* oriundo. Hoc facto IOACHIMVS testatus est, se intelligere & recte iudicare, veriora & maiora communis vitæ ornamenta esse literarum & artium propagationem, quæ continent vincula legum & disciplinarum.

A. MDV. in conuentu principum *Coloniæ* habito IOACHIMVS suam operam præstitit, vt conditiones pacis reciperent principes discordes, *Palatinus* & *Hessus*, C. HEDIO *in synopsi hist. Sabellici*.

lites inter Moguntinum & Saxones

A. MDX. MAXIMILIANVS, *cæsar*, IOACHIMO, *Brandenburgico*, & aliis principibus & ciuitatibus commisit causam archiepiscopi Moguntini, & FRIDERICI, ducis Saxoniæ, inter quos grauis fuerat orta discordia, eo, quod vterque se dominum Erfordiensem esse contendebat.

Iudæi supplicio adfecti

A. MDX., Iulii mensis die vndeuicesimo, Iudæi ad ignem condemnati sunt duo, altera die supplicio capitis affecti, vnus monasterio inclusus. Causa fuit contumelia corporis Dominici, quod Sacramentum eucharistiæ a quodam perfido christiano emptum martyrisassent, (sic HEDIO) &, quod septem infantes acubus interfecerant. PAVLI FROMMES, *Pomerani* & ciuis *Bernauiensis* corpus prius forcipibus candentibus dilaniatum, & postea in cineres redactum est, eo, quod hostiam consecratam cum ciborio, vt vocant, Iudæis vendidisset. Hæc SEB. FRANCK. Historiam libro tertio plene recitabo.

Ioachimus leges constituit.

A. MDXV. motus amore patrio & cura principe digna, constituit leges publicas ad vtilitatem ciuium suorum; &, quia initium harum legum insigne & laude dignum, continens nimirum officium boni principis, ideoque verba eius subiiciam:

Nachdem

N*Achdem wir IOCHIM von Gottes Gnaden &c. aus gnädiger Zuneigung und Wollmeinung uns in unsere Statte verfüget, uns ihres Regiments und Wesens zu erkundigen, und ferner gnädiglich zu helffen und zu rathen, damit unsere Statte und Einwohner, an ihrer Nahrung zu nehmen, sich bessern, Friede, Gericht, und Recht bey ihnen erhalten werde &c.* Sed de hac paterna principis affectione plura mox dicam.

A. MDXVII., die decimo quarto Ianuarii, missis literis ad pontificem LEONEM X., intercessit apud ipsum pro confirmanda tuendaque regulari obseruantia monasteriorum Brandenburgensis & Tangermundensis. *monasteria cupit conseruare*

A. MDXVIII., in vigilia Agnetis, Francofurti ad Oderam trecenti monachi conuenerunt, quibus praesentibus IOHANNES TEZELIVS, dominicanus, de indulgentiis disputauit contra LVTHERVM. *Tezelii disputatio*

A. MDXIX., die vicesimo septimo Martii, secundum breue apostolicum LEONIS X., P. R., perscriptum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die septimo Septembr. A. MDXVII., benedicti sunt in ecclesia religiosorum D. Dominici, e regione arcis Coloniensis IOACHIMVS, pater, & filii IOACHIMVS & IOHANNES, per reuerendissimum HIERONYMVM, *episcopum Brandenburgensem*, adstantibus *Lehninensi* & *Cinnensi*, *abbatibus* quorum prior sermonem latinum habuit. Eodem anno, die Iunii vicesimo octauo, interfuit lectioni CAROLI V., imperatoris.

A. M. DXXI., mensis Aprilis die vicesimo quarto, in comitiis *Wormatiensibus*, *Treuirensi* & *Augustano* episcopis & GEORGIO, duce Saxoniae, praesentibus, his verbis compellauit LVTHERVM: *num hoc vis, te non cessurum, nisi conuictum sacra Scriptura?* Huic repsondit LVTHERVS: *plane, aut euidentissimis rationibus.* In hoc statu mutatae religionis, IOACHIMVS multum tribuit catholicae ac Romanae ecclesiae eiusque ritibus, nec eos tollere passus est, adeo, vt paulo ante mortem male eum habuerint mutationes, quas in ecclesiis suis instituerant, cognati prin- *Ioachimi colloquium cum Luthero* *aegre fert mutationem religionis*

principes Anhaltini, quorum tutor erat: harum mutationum causas, peculiari scripto exposuit marchioni GEORGIVS, *Anhaltinus*, ad sui & fratrum excusationem.

pax inter ipsum & Pomeranos

A. MDXXIII. obiit BOGISLAVS X., dux Pomeraniæ. Post cuius obitum, accipio, ERICVM & HENRICVM, *iuniorem*, duces Brunsuicenses in arce *Grimniz* litem inter marchionem & filios BOGISLAI composuisse, his propositis conditionibus: *marchio nulla ratione inposterum impediat Pomeraniæ duces, petentes inuestituram a cæsare: nec turbet eos in sessione competenti eis in conuentibus imperii: liceat autem marchioni, quotiescunque dictus principatus vero & legitimo successori ab imperatore confertur, vexillum prehendere in signum atque argumentum simultaneæ inuestituræ, quo marchioni ac heredibus eius de successione prospiciatur. Ordines Pomeraniæ quotiescunque duces Pomeraniæ iuramentum fidelitatis præstaut, marchionum consiliariis præsentibus, polliceantur, si contingat, duces suos de vita discedere, filiis non relictis, nullum se præter electorem Brandenburgicum dominum accepturos: marchio contra fidem det, se de priuilegiis, indultis, iuribus, & consuetudinibus in Pomerania nullo tempore quicquam mutaturum &c.* Hanc conuentionem, a CAROLO V. confirmatam, & hactenus vltro citroque obseruatam, testantur annales Pomeraniæ.

leges de successionibus aliisque latæ

A. MDXXVII., die Mercurii post Francisci, IOACHIMVS, marchio, communi consensu omnium statuum sanciuit & promulgauit leges quasdam de successionibus, pactis dotalibus & testamentis, titulo *constitutionum Marchicarum*, ad quas respicere videtur SABINVS *in epitaphio Ioachimi, sic canens:*

Marchia cæsareis te legibus auspice gaudens
Sustulit e patrio barbara iura foro.

Furstenwaldum capitur.

A. MDXXVIII., mense Iulio, NICOLAVS e MINCKWIZIA gente, cum suis complicibus oppidum *Furstenwalde*, quod tum *episcopo Lubusiensi* subiectum fuit, vi irrumpens,

opes

opes canonicorum & ciuium diripuit & abſtulit, nec non ipſum marchionem per inſidias, oppugnauit, adeo, vt IOACHIMVS conſilia inierit de euertendo caſtro *Sonnenwalde*, quod obtinebat dictus NICOLAVS: ſed fuit res aliter compoſita. Emiſit quidem IOACHIMVS præfectum quendam cum aliquot equitibus, qui obſeruarent hoſtem & captiuum eum abducerent: ſed callide eos in monaſterio *Doberloch* circumuentos cepit, & in caſtro *Sonnenwalde* per integrum annum captiuos tenuit, quo etiam alimenta ipſis ſubminiſtrare IOACHIMVM oportuit.

Auguſtanis comitiis interfuit.

A. MDXXX. in *comitiis Auguſtanis*, in IOACHIMO emicuit virtus, marchionibus Brandenburgicis familiaris, diſerta videlicet prudentia, quam SABINVS & proſa & ligata oratione poſteritati commendauit: ſic enim ſcribit ad IOACHIMVM, marchionem: *ipſe vidi in celeberrimo & frequentiſſimo conuentu Auguſtæ παγγερμανικῷ, maximos ad te audiendum concurſus fieri, & quidem doctiſſimorum & diſertiſſimorum hominum, qui, cum iudicare de hoc genere poſſent, prædicabant omnes, vere in tuam orationem competere id, quod Homerus de Neſtore ſuo prædicat, fluxiſſe de lingua eius orationem melle dulciorem.* Idem ſic canit:

Te mirata frequens fuit vrbs Auguſta loquentem,
Rhetoris impoſuit cum tibi cæſar onus,
Neſtoris & linguæ dulcedine nomen adeptus,
Vt tuus Æacidæ nomen Achillis auus.

Stendalienſis tumultus

Eodem anno, poſt feſtum Galli, *Stendalienſes* ciues contra canonicos inſurgentes, miſſo filio IOACHIMO II., compeſcuit, & ſex ciues, ſeditionis auctores, capitis ſupplicio affecit.

A. MDXXXI. conſenſit ceteris electoribus, Saxone excepto, vt FERDINANDVS Romanus rex eſſet.

A. MDXXXII., poſt Bartholomæi, contra hoſtiles inſidias MINQVIZII IOACHIMVS in veteri Marchia copias collegit & ciues Brandenburgenſes ſeſe accedere iuſſit.

apophthegma electoris

E priuata IOACHIMI vita insigne apophthegma tanto principe & æterna memoria dignum est. Solitus fuit optimus princeps vniuersos suos subditos cum corpore humano conferre, nobilibus vicem capitis, ciuibus officium cordis, & rusticis munera pedum assignare, ac ciuibus medium & digniorem locum in corpore concedere, eo, quod id non perinde periclitetur, etiamsi vel caput doleat, vel pedes afficiantur, ac si cor deficiat. Intellexit IOACHIMVS ex consideratione potentiarum in homine, quanti intersit reipublicæ, quamque optimi valeant gubernatores, si ciuitates tanquam cor regionis bene se habent & vigent. Sicut enim cor in corpore humano est sedes animæ, fons vitæ, vnde deriuantur riuuli in caput & pedes, quibus vigent ac sustentantur: ita ciuitates bene valentes, hoc est, non oppressæ seruitutibus ac odiis, tam superiorum quam inferiorum, sunt officinæ omnium bonarum rerum in imperiis. Vt autem, corde læso & contabescente, necesse est collabi totam structuram humani corporis: sic ciuitatibus oppressis & eneruatis, corruant omnis honestatis semina & gubernationis bonæ vincula, necesse est. Sunt enim vrbes præcipui nerui regnorum. Hoc apophthegma IOACHIMI, vtinam considerarent hodie ii, quorum interest, ciuitates saluas esse.

coniux

Coniugem habuit IOACHIMVS ELISABETHAM, filiam IOHANNIS, *regis Daniæ*. Hæc A. C. MDXXVIII., mense Martio LVTHERI doctrinam amplexa, sacramento altaris iuxta institutionem Christi vsa, & a fratre CHRISTIERNO, *rege Daniæ*, & ministro nobile Marchico clam ad ducem Saxoniæ IOHANNEM deducta est in arcem *Lichtenbergensem*, e qua sæpius *Wittebergam* in ædes D. LVTHERI se contulit, multas conciones ex ore LVTHERI propria manu annotauit, interdum quadrantem anni apud LVTHERVM, in dicta vero arce vsque ad A. C. MDXLVI. commorata est. Postea curiam habuit *Spandouiæ*, obiit eodem A. MDLV., die decimo Iunii, ætatis vero anno septuagesimo se-

cundo

cundo. Dum vixit, agnouit ſeptuaginta illuſtres perſonas, quæ eam matrem & auiam appellauerunt, ſicut in oratione funebri hoc annotatum eſt. Nupſit autem IOACHIMO, viuente adhuc IOHANNE, *marchione*, vt ibidem legitur. Obiit IOACHIMVS I. A. MDXXXV. die vndecimo Iulii, quo anno Ieſuitarum ſocietas initium ſumſit, ætatis anno quinquageſimo primo, cum præfuiſſet Marchiæ annos triginta quinque, menſes ſex, dies vndecim. *mors.*

CHRISTIANVS I., ex comitibus Oldenburgicis, trium regnorum borealium Daniæ, Sueciæ, Norwegiæ rex primus

IOHANNES, rex Daniæ ſecundus — FRIDERICVS, rex quartus

Children of IOHANNES: IOACHIMVS I., M. Brand. — ELISABETHA — CHRISTIANVS II., rex tertius

Child of FRIDERICVS: CHRISTIANVS III., rex

Children of IOACHIMVS I. and ELISABETHA:

MARGARETHA, vxor *Georgii*, Pomerani, poſt nupta *Iohanni*, Anhaltino, patri *Ioachimi Erneſti*, nata A. MDXI.

ELISABETHA, vxor *Erici*, Brunſuic., poſt nupta *Popponi*, comiti Hennebergico, nata A. MDX.

IOACHIMVS II., march. Br. S. R. I. el. natus A. MDV.

IOHANNES, M. Br. in Cuſtrin, natus A. MDXIII.

ANNA, nupta *Alberto*, Megapolitano, nata A. MDVII.

Children of CHRISTIANVS III.:

DOROTHEA, nupta duci Luneburgico.

ANNA, nupta *Auguſto*, Saxon. elect.

ALBERTVS,

MARCHIO BRANDENBVRGENSIS S. R. I. ELECTOR MOGVNTINVS CARDINALIS.

A. MDXXXVII. ad IOACHIMVM II. ſcribens, tali vſus eſt ſubſcriptione: *ALBRECHT, von GOttes Gnaden Röm. Kirchen Cardinal, Legat, Ertz-Biſchoff zu Magdeburgk und Mayntz, Primas, Ertz-Cantzler und Churfürſt, Adminiſtrator zu Halberſtadt, Marggraf zu Brandenburg.*

Habuit IOACHIMVS I. fratrem ALBERTVM, *ſanctarum Magdeburgenſis eccleſiæ & Moguntinenſis ſedis archiepiſcopum, primatem & S. R. I. in Germania archicancellarium, principem, electorem & adminiſtratorem Halberſtadenſem &c.* diuitiis, auctoritate, dotibus & virtutibus illuſtriſſimum & ſplendidiſſimum, natum A. MCCCCXC., die viceſimo octauo Iunii, hora ſecunda pomeridiana, menſe & ſex diebus poſt patruelem ALBERTVM, *ducem Boruſſiæ.* Quomodo, & quam ob rem hic ALBERTVS a LEONE X., pontifice Romano, quocum & IOACHIMVS, frater, neceſſitudinem ſummam habuit, A. MDXVIII., Auguſtæ in præſentia MAXIMILIANI I., per CAIETANVM creatus ſit cardinalis, deſcribit SLEIDANVS *lib. I. ſuorum commentariorum.*

natiuitas,

fit cardinalis

Huius ALBERTI & LVDOVICI, *Palatini*, inſignia extant encomia præſtantiſſimorum virorum, quæ adſcribam: digna enim ſunt, quod memoriæ tradantur. De vtroque ſcribit I. CAMERARIVS, *in vita Phil. Melanchthonis: pacificando & ſeduli & fortunati fuerunt, & velut aggeres, ne bellorum veluti amnes Germaniam inundarent, obſtiterunt, quicquid hic aut ille vociferaretur.* Marchionem ita alloquitur SABINVS: *cum alii nonnulli incitent Carolum, optimum principem, aduerſus patriam, non obſcu-*

elogia

obscure cognouimus, te auctoritatem tuam omnem ad pacem tranquillitatemque Germaniæ conferre. Extant etiam huius principis alia elogia, quæ posteritatis memoriæ commendauit SABINVS: vterque enim frater, & IOACHIMVS & ALBERTVS, munificentia sua mirifice ipsum complexus est, & IOACHIMVS ipsum publico literarum testimonio, exteris nationibus commendatum ablegauit huiusmodi sub tenore:

Sabino, Albertus & Ioachimus mirifice fauent.

D. G. IOACHIMVS I., *elector & S. R. I. archicamerarius, marchio Brand. dux Pom. ac Stet. burg. Norimb. &c.*

Cum GEORGIVS SABINVS, subditus ac seruitor noster, causa studiorum in Italiam profecturus esset, duximus eum publico literarum testimonio vniuersis & singulis commendandum esse, propterea, quod arbitramur, ipsum bonis atque honestis viris multo cariorem fore, si mores ac studia eius nobis probari, cognouerint. Etsi autem non dubitamus, quin in natione omnium humanissima, Italica, singulari fide defendantur studiosi bonarum artium, sicut & publicæ leges pontificum & imperatorum præcipiunt; tamen petimus ab omnibus, ad quos hæ nostræ literæ peruenient, vt propter nostram commendationem, maiore etiam beneuolentia & studio hunc nostrum subditum, complecti, tueri, ac defendere velint, qua in re cum officium facient dignum humanitate gentis, tum vero nobis etiam gratum facient, nosque inuitabunt, vt libentius nostræ ditionis homines ad Italica studia mittamus, quæ quidem plurimi facimus, maximeque damus operam, vt nostræ gentes recta doctrina modo in patriam importata excolantur. Datum in arce nostra Colon. ad Spream, calend. Augusti, A. MDXXXIII.

Italis a Ioachimo commendato.

Sed redeat oratio, vnde digressa est. De LVDOVICO testatur SLEIDANVS: *cum non deessent in Wormatiensibus comitiis, qui vestigia Constantiensis concilii secuti, Luthero fidem minime seruandam esse, dicerent, cum alios, tum Ludouicum, Palatinum electorem, vehementer huic sententiæ restitisse, ferunt, quod ad Germanici nominis labem atque dedecus sempiternum ea res pertineret.* Sortibus

titus est hic LVDOVICVS cognomen *pacifici*, & obiit A. MDXLIV., die decimo quinto Martii, anno ætatis sexagesimo sexto, quem proximo anno, die vicesimo quarto Septembris, secutus est ALBERTVS, marchio, anno ætatis quinquagesimo quinto, tumulatus *Moguntiæ* in basilica S. Martini post aram maximam. Post vtrumque sequenti anno MDXLVI., die duodeuicesimo Februarii, anno ætatis sexagesimo tertio, Islebiæ in patria sua decessit LVTHERVS. His tribus heroibus e medio sublatis, erupuerunt tandem in publicam cladem & perniciem bellorum, multorum animis odia, simultatesque inclusæ, quæ, veluti murmura antecedentia sæuas tempestates his viuentibus exaudita fuerunt. Sed de his aliorum commentarii consulendi sunt.

mors Alberti

mors Lutheri.

Vterque frater, & IOACHIMVS & ALBERTVS, elegit CAROLVM V., R. I., A. MDXIX. die vicesimo octauo Iunii, & vidit MAXIMILIANVM I., FERDINANDVM Rom. regem.

Grossorum marchicorum inscriptiones, nomen vtriusque continent, sicut & diplomatum confirmationes:

IOACH. & ALBERT. *March. Br. moneta anno Dni. MCCCCXCIX.*
IOACH. & ALB. *M. B. monet. noua Francoford. A. MDVIII.*
IOACH. II. ALB. *M. B. mon. no. Berlin. A. MDIX.*
IOACHIM. *Ele. Marc. Branden. mone. no. Stendelensis, A. MDXV.*

Forma iuramenti fidelitatis, præstiti A. MCCCCXCIX.

Wyr huldigen, glouen, schweren und dhuen dem Durchluchtigen Hochgebohrnen Fürsten und Herrn, Herrn IOACHIM, des Heil. Röm. Reichs Ertz-Cammeren und Churfürsten, und Herrn ALBRECHTEN, Gebrüdern, Marggrafen tho Brandenborch, tho Stettin, Pommern, der Casuben und Wenden Hertzogen, Burggrafen tho Nürnberg, und Fürsten tho Rügen, unsern gnedigsten und gnedigen

gen Herrn, und eren menlicken Liues-Lebens-Eruen, eine rechte Eru-Huldunge, na Lud veterlichs Verdrachs, Käyserl. und Königl. Versamblungk und Churfürstliche Bestetigung, den baven genannten Herrn IOACHIM als Churfürsten, und Herrn ALBRECHTEN Gebrüdern, Marggrafen tho Brandenborch &c. unsern gnedigsten und gnedigen Herren, und eren menlicken Liues Lebens-Erben tho voruth: und so die nicht mehr weren, ock nicht menlicke Liues-Lebens-Erben hinter syck verlieten, den bauen genannten unsern gnedigen Herrn Marggrafen FRIEDRICHEN, und synen menlicken Liwes-Lebens-Erben, als unsern natürlichen Erf-Herren, getrew und gehorsamb tho synde, ohren guten Frommen tho weruen, und Schaden tho wenden, getreulich und ohne gefehrlich, als uns GOtt helffe und syne Hiligen.

IOACHIMVS II.,
MARCHIO BRANDENBVRGENSIS,
S. R. I. ELECTOR.

IOACHIMO I. nati sunt IOACHIMVS II. & IOHANNES, filii, quorum res & familiæ & loco dignissimæ pro cultu nominis diuini & dignitate Romani imperii domi militiæque gestæ, cum ab aliis fideliter & copiose descriptæ sint, non opus est hic actum agere: itaque curriculum vitæ vtriusque chronologica synopsi adnotabimus.

A. C. MDV., die tertio Ianuarii, hora ferme dimidia post primam pomeridianam, hoc est, anno proximo ante solennem introductionem academiæ Francofurtensis, matre ELISABETHA, regina Daniæ, prognatus est IOACHIMVS II., cuius infantis vagientis adhuc indolem, & generosam frontis pulchritudinem sapientissimus pater aspiciens, velut vates, magnanimitatem filii certo omine prædixit. Egressus infantiæ annos, traditus fuit disciplinæ D. FVNCCII, iuris consulti: sed præter hunc patruus ALBERTVS adolescentis indole ita fuit oble-

Ioachimi II. natiuitas

educatio

oblectatus, vt quotidie non solum in latini sermonis cognitione, verum etiam in sacris dictis proponendis eum erudierit, quam primam assuefactionem patrui sibi ad vlteriores progressus caussam præbuisse, sæpe prædicasse fertur IOACHIMVS.

abit Viennam. Vix adolescens cum patre profectus est in aulam MAXIMILIANI imperatoris, qui obiit A. MDXIX., die duodecimo Ianuar. Is IOACHIMO *Infantem Hispaniæ*, neptem ex PHILIPPO, filio, despondit: sed hac sponsa, immatura morte ante consummationem coniugii amissa, *coniux* contraxit IOACHIMVS nuptias cum MAGDALENA, filia GEORGII, ducis Saxoniæ, ex qua A. MDXXV. genuit IOHANNEM GEORGIVM.

A. MDXXXII., patre adhuc viuente, primis militiæ rudimentis in Hungaria positis, (de quibus exstat ipsius epistola ad *militat contra Turcos* patrem in vigilia S. Matthæi eodem anno perscripta) a CAROLO V., Romano imperatore, equestri cingulo donatus est ætatis anno vicesimo quinto.

mors coniugis A. MDXXXIII., elapso die Decembris vicesimo octauo, obiit MAGDALENA, coniux, in partu cum PAVLO I., filiolo. Hoc anno germanica biblia primum typis excudi cœperunt, sub nomine D. M. LVTHERI. Hoc itaque *nuptiæ secundæ* matrimonio duriori fato diremto, nuptias secundas celebrauit *Cracouiæ* cum HEDWIGE, filia SIGISMVNDI, *regis Poloniæ*, A. MDXXXV., die primo Octobris, id est, mensibus duobus, septimanis & diebus totidem post obitum parentis, qui, priusquam decessit, nuptias accelerandas cauit.

puella dæmoniaca nummos deuorat A. MDXXXVI. *Francofurti ad Oderam* puella quædam dæmoniaca & furore correpta, numismata vndiquaque ex vestibus aut mensis arrepta, deuorauit, cum multo dentium strepitu, & nummuli illi ex manibus eius subito extorti, veri reperti & postea ab aliquibus asseruati sunt. Interdum & acus similiter arripuit & deuorauit. Liberata tamen hoc adfectu, ad se rediit, & postea impudicitiæ studens ab alio compressa est.

Patre

Patre defuncto, cum initio gubernationis suæ passim vbique fierent rituum mutationes in Germania, ipse peculiari libro, quem præfatione sua ornauit, formulam quandam reformationis conscribi curauit, & a LVTHERO, MELANCHTHONE, & aliis theologis approbatam, ministris verbi in sua prouincia commendauit, & A. C. MDXLVII. Augustæ Vindelicorum confirmationem eiusdem a CAROLO V. impetrauit, ne decretis libri augustani interim implicaretur. Anno quinto post gubernationis habenas, sibi commissas, academiam Francofordianam numero professorum auxit, iisque liberalia & honorifica stipendia ordinauit, inque ea filios suos IOHANNEM GEORGIVM & FRIDERICVM, cum IOHANNE ALBERTO, duce Megapolitano erudiri voluit. Edictum, publicis typis excusum, tale fuit:

formula reformationis ab eo conscripta

Francofurtanam academiam studet amplificare.

IOACHIMVS II., *D. G. marchio Brand. S. R. I. archicamerarius & princeps elector, Stettinensium, Pomeraniæ, Casubiorum, Vandalorum & Silesiæ in Crosna dux, burggrauius Norimbergensis, ac Rugiæ princeps, vniuersis & singulis subditis nostris salutem!*

Cum academia nostra, quam piæ memoriæ, illustrissimus princeps, Romani imperii elector, IOACHIMVS I., dominus & parens noster, Francofordiæ ad Oderam condidit, his temporibus labefactata esset, semper animo agitauimus, ex eo die, cum tractare gubernacula reipublicæ cœpimus, vt illam instauraremus. Nam omnium, quas in hac administratione curas gerimus, ea non postrema est, vt scholæ, in quibus futuræ reipublicæ seminaria fouenda & educanda sunt, constituantur. Quare ad propagationem religionis christianæ omniumque bonarum artium conseruationem, academiam instaurauimus, &, vt stipendia, quæ lectoribus decernerentur, essent ampliora, communi totius patriæ consilio, certos reditus ecclesiasticos in hunc vsum conuertimus. Nam & lectores conduximus, omni genere doctrinæ præcellentes, qui honestis & liberalibus stipendiis

visi sunt digni. Quoniam autem complura sacerdotia in ditione nostra sunt collata iis, qui se bonis literis dediderunt, non ex dignitate solum academiæ nostræ, verum etiam ex vtilitate ipsorum esse, duximus, si omnes Francofordiam vocarentur, vt illic potius operam darent literis, quam alibi. Compertum enim habemus, plerosque his beneficiis abuti, cum in exteris academiis versantur. Mandamus igitur omnibus iis, quibus discendarum literarum causa magistratus sacerdotia contulerunt, vt primo quoque tempore, conferant se Francofordiam, ibique studiis incumbant. Erit enim senatus academiæ in hoc attentus, ne quis illis eeleemosynis, vel ad otium, vel ad perpotationes abutatur. Qui vero huic mandato non satisfecerit, ille sacerdotio suo debet priuari. Quod vt fiat, edicimus, ne cuipiam in toto principatu nostro persoluantur ullæ aut pensiones aut decimæ, nisi habuerit publicum testimonium a senatu academiæ Francofordanæ, quo quidem testimonio probet, se illic nauare operam literis, ac sedulo adesse. Iam, si quis alicui contra hoc edictum quicquam contribuerit, vel numerauerit, cogetur ipsas decimas ac pensiones denuo persoluere iis, quibus nos sacerdotia contulerimus. Hac de re voluimus omnes esse præmonitos. Postremo edicimus, ne aliunde parochi, concionatores, ludimagistri, aut scribæ accersantur, nisi magistratus prius scripserit Francofordiam, ad primarios academiæ, quos vocant, superintendentes, atque plane cognouerit, neminem illic esse, qui eiusmodi ministeriis vti aut possit aut velit. Nam in omnibus municipiis, oppidis & ciuitatibus nostris, quandocunque conditiones vacabunt, præ ceteris haberi rationem volumus eorum, qui in academia nostra versantur. Magno & singulari consilio hoc edictum proposuimus, itaque auctoritas eius merito apud vos omnes valebit, quam quidem si non contemseritis, & vestra in nos obedientia constabit, & academiæ dignitas per vos amplificabitur, datum die decimo calendarum Februarii, A. MDXLI., Coloniæ ad Spream.

militat iterum contrt Turcos.

A. MDXLII. de communi consilio & voluntate cæsaris, summæ rerum iterum præficitur IOACHIMVS, contra vim

SOLY-

SOLYMANNI, Turcici imperatoris: quod faſtigium militaris gubernationis, fortiter quidem ſuſcepit, ſed, quod nec copiæ, nec ſtipendiorum ſumtus vel plene, vel iuſto tempore non mitterentur, hoc pium propoſitum retardatum fuit, ſicut copioſe teſtatur GEORGIVS *in epiſtolari apologia ad* IOHANNEM SLEIDANVM. Meminit expeditionis huius MELANCHTHON in *epiſtola*, quam ſcripſit ad I. CAMERARIVM in die aſcenſionis Chriſti A. MDXLII., his verbis: *marchio ad Lutherum & ad me, de ſua expeditione pie & ὁσίως ſcripſit, precandum eſt, vt adſit ei dux noſter filius Dei.*

A. MDXLVI. & XLVII. a bello germanico abſtinuit: interpellatus, fœdera recuſauit: hortator pacis fuit: pro ſalute captorum ducum apud iratum cæſarem interceſſit: ſuæque Marchiæ felix beatumque aureæ pacis ſeculum, eo & omni tempore, prouidentia & ſtudio ſuo curauit & ſeruauit.

A. MDLII., die duodetrigeſimo menſis Maii, hoc eſt, anno centeſimo ſexageſimo octauo ab inchoata impoſtura *cruoris miraculoſi in Wilsnaco*, antiqua Wilſorum *ſeu Wilckorum ſede* IOACHIMVS ELLEFELD, patria *Prizwalcenſis*, paſtor eccleſiæ Wilsnacenſis, comitantibus ipſum IOH. WEBER, paſtore in *Rudſtett*, LVCA LINDENBERG, paſtore in *Solentin*, & THOMA BREMER, *cuſtode* ſuo, pio zelo templum ingreſſus, idolum incluſum aperuit, & in eo nil niſi cineres reperit, repertos candentibus prunis commiſit, hoſtiam conſecratam, quæ ſeparatim ſupra idolum occluſa fuit, recluſam in theca, dicto cuſtodi reſeruandam tradidit. Hanc ob cauſam iram principis & odia canonicorum Hauelbergenſium in ſe concitauit, & in arce *Plattenburg* per ſemeſtre captiuus detentus fuit, deinde dimiſſus, relicta Marchia, *Schnackenburgii* in ditione Luneburgenſi vitam finiit. Cauſas rei ſic geſtæ ipſe reddidit: 1.) *vniuerſale mandatum Dei: fugite idola:* 2.) *iudicium M. Henrici Tocken, canonici Magdeburgenſis, quod ille ante annos centum & triginta de hoc idolo & impoſtura ſacrificulorum in Wilsnack pie*

Wilsnacenſe idolum deſtructum.

& erudite conscripsit: 3) consilia M. Ioh. Agricolæ, superintendentis totius Marchiæ & aliorum pastorum: 4.) curam animarum sui ipsius & ouium suarum in ecclesia sibi commissa.

pacta hereditaria renouata

A morte MAVRITII, ducis Saxoniæ, suasor fuit IOACHIMVS, vt A. MDLV., mense Martio, *Neoburgi* singulari celebritate pacta hereditaria, quæ familiis Saxonicæ, Brandenburgicæ & Hassiacæ peculiaria sunt, renouarentur, & ex maiorum instituto iurisiurandi religione sancirentur. Elapsi erant vsque ad hanc renouationem a prima sanctione ALBERTI ACHILLIS, anni centum & duo. Vid. *epistolæ* CAMERARII p. 285.

in feudum regiones a cæsare accipit

Sequenti anno *Francofurti ad Mœnum* a FERDINANDO, tanquam a nouo cæsare, cui imperii habenas frater cesserat, IOACHIMVS petiit insignia, quibus ex more beneficiarii iuris conferuntur possessiones prouinciarum Brandeburgensium.

calamitates domesticæ

Præter publicas calamitates & difficultates, priuatæ & domesticæ acerbos IOACHIMO dolores pepererunt, quos tamen fortiter & patienter tulit. Sponsam Hispanicam vix adolescens amisit. Prior coniux Saxonica A. MDXXXIII. elapso, in partu obiit. Posteriorem Polonicam diuturno morbo grauiter iactatam, multos annos habuit. Filium FRIDERICVM A. MDLII., ætatis vicesimo secundo & archiepiscopatus Magdeburgici anno primo nondum completo, mors immatura abripuit. Mater ELISABETHA A. MDLV., die decimo Iunii, anno septuagesimo secundo ætatis, decessit. FRANCISCVS OTTO, gener, dux Luneburgensis, tertio mense post nuptias, vicesimo nono Aprilis, A. MDLIX., vita functus est. SOPHIA, filia, coniux WILHELMI ROSENBERGII, *Bohemi*, A. MDLXIV. obiit. SIGISMVNDVS, filius, qui fratri in archiepiscopatu successerat, A. MDLXVI., die decimo tertio Septembris, anno ætatis vicesimo octauo, archiepiscopatus duodecimo, diem suum obiit. In his casibus affirmatur, sese ipsum consolari solitum fuisse dicto Iobi: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita*

factum

factum est, sit nomen Domini benedictum: & subiunxisse: *scio, me illos non amisisse, sed præmisisse, ipsi nunquam ad me reuertentur, sed ego migrabo ad illos II. Reg. cap. XII.*

A. MDLXII., posthabitis ætatis & valetudinis tentationibus, ad conuentum, quem FERDINANDVS, R. I., Germaniæ electoribus ad cal. Nouembris, *Francofordiam ad Mœnum* per Moguntinum indixerat, profectus est IOACHIMVS. In itinere HENRICVM, *Brunsuicensem* & PHILIPPVM, *Hassiæ* principes, conuenit. Francofordiam ingressurum honoris causa extra vrbem obuiam profecti humaniter exceperunt FERDINANDVS cum filio MAXIMILIANO, *Moguntinensis*, *Treuirensis*, *Palatinus* & *Saxo*, electores, & *Bauarus*, *Iuliacensis*, *Wirtebergensis*, *Megapolitanus*, & duo *Hassiæ* fratres, principes, quam honoris exhibitionem humanitati clementiæque cæsaris & beneuolentiæ reliquorum principum reuerentiori vultu tribuit.

ad comitia proficiscitur elector

Cum A. MDLXIV., die vicesimo quinto Iulii, Viennæ Austriæ decessisset FERDINANDVS, cæsar, verissimis lachrimis eum luxit, adeo, vt aliquot mensibus nunquam de eo sermones intermitteret. Ipse autem FERDINANDVS, antequam moreretur, censuit & voluit, vt filii ipsius auctoritate & consilio non secus atque verissimi parentis vterentur, de qua vltima cæsaris voluntate filius MAXIMILIANVS propria manu literis, ad IOACHIMVM datis, testatus est, sicuti A. MDLVI., postridie circumcisionis Domini, statibus principatus sui significari iussit IOACHIMVS, deliberans de profectione ad prima comitia MAXIMILIANI.

Ferdinandus moriens eum filiis commendat

A. MDLXIX., cum SIGISMVNDVS AVGVSTVS, rex Poloniæ, familiæ marchionum Brandenburgensium ius successionis in ducatu Prussiæ contulisset & confirmasset, IOACHIMVS, senex iam, duodetrigesimo Augusti, festum laudis seu gratiarum actionis Coloniæ ad Spream insigni pompa celebrauit, & in templo cathedrali ex consiliariis, GEORGIVM *baronem*

successio in ducatu Prussiæ.

PVTLIZ,

PVTLIZ, nobiles quosdam & doctores *equites auratos creauit*, seu potius dignitate equestris ordinis exornauit.

mors electoris

A. demum C. MDLXXI., die tertio Ianuarii, cum aliquando tardius rediisset a venatione, & post coenam in ardenti meditatione passionis Iesu Christi & sancti baptismatis cubitum iuisset, nec diu admodum cubasset, sed subita vel cordis resolutione, vel neruorum obstructione exorta, verbis vehementiam doloris declaraturus, exclamasset, vno velut momento inter quartam & quintam horam matutinam in arce *Copnicensi* diem extremum clausit pacificator ille Germaniae, qui a ciuili bello & vindictae seueritate, quae aut cruore, aut euersione fortunae, suprema constaret, alienissimus fuit. Dum vixit, concionibus, lectionibus & auscultationibus sacris multum tribuit. In ceremoniis & ritibus ecclesiasticis, quibus ab ineunte aetate assuefactus fuerat, curiosus admodum fuit: sed omnia decenter in ecclesia fieri, & cantica, opera doctissimorum virorum repurgata, in templis retineri voluit, de quibus & omnibus aliis alii luculentius scripsere. Sepultus est *Coloniae ad Spream*, cum vixisset annos sexaginta quinque, menses vndecim, dies viginti quatuor, horas quindecim, & praefuisset Marchiae, a morte patris, annos triginta quinque. In hoc suo curriculo vidit quatuor summos monarchas, MAXIMILIANVM I., CAROLVM V., FERDINANDVM & MAXIMILIANVM II., quorum primi eum amore & honore, postremi etiam obseruantia prosecuti sunt. Electoratus vicies sexies electione & successione mutatos meminit. Nemo procerum in imperii Romani dignitate omnium legum, consuetudinum statutorum, rituum, ordinum & negotiorum imperii cognitionem & experientiam maiorem habuit. Omnes enim eos, & vicinorum regnorum monarchas & proceres, quos discedens viuos post se reliquit, aetate longe superauit. Altera coniux HEDWIGIS, Polonica, in arce Rupinensi, anno aetatis sexagesimo, A. MDLXXIII., die septimo Februarii, obiit. Ex vtraque coniuge genuit filios & filias, sicut sequentia diagrammata annumerant.

rituum antiquorum fuit studiosus

IO-

IOACHIMVS II., M. Br. ---- MAGDALENA, coniux, filia GEORGII, ducis Saxoniae

GEORGIVS,	ALBERTVS,	FRIDERICVS, archiepisc. Magdeb. & Halberstad.	IOH. GEORGIVS, M. Br.	ELISABETHA, obiit virgo	BARBARA, coniux *Georgii*, ducis Lignicensis	PAVLVS, obiit cum matre in partu
obierunt in cunis						

STEPHANVS, comes Scepusiensis, & palatinus Transsyluaniensium

ISABELLA, filia *Sigismundi*, Poloni, ex altero matrimonio --- IOHANNES, rex Vngariae --- BARBARA, eius filia, regina Poloniae ---- SIGISMVNDVS, rex Poloniae ---- BONA SFORTIA, Mediolanensis

STEPHANVS, comes Scepusiensis & in Transsylvania	IOACHIMVS II., M. Br. ---- HEDWIGIS, coniux *Ioachimi* II.	ISABELLA, coniux *Iohannis*, regis Bohemiae

ELISABETHA MAGDALENA, nupta *Francisco Ottoni*, Luneburgensi.	SIGISMVNDVS, archiepisc. Magdeburg., natus A. MDXXXVIII., d. II. Octobr.	HEDWIGIS, nupta *Iulio*, duci Brunsuicensi	SOPHIA, nupta *Wilhelmo Rosenbergio*, Bohemo.

IOHANNES,

MARCHIO BRANDENBVRGENSIS,

DICTVS CVSTRINENSIS.

natiuitas

Patre IOACHIMO I. & ELISABETHA, regina Daniæ, matre, natus est IOHANNES, frater IOACHIMI II., A. MDXIII., die tertio Augusti, minuta trigesima horæ tertiæ post meridiem, in arce *Tangermundensi*. Patre mortuo, nouam Marchiam, sibi assignatam, in suam fidem recepit. Initio gubernationis curam reformatæ religionis suscepit, adeo, vt comitatus sex fidissimis sociis, sicut de eo scribitur, ad D. MARTINVN LVTHERVM clam se *Wittebergam* contulerit, & cum eo de reformatione ecclesiarum in sua ditione consilium inierit.

imperium Nouæ Marchiæ accipit

recipitur in foedus Smalcaldicum.

A. MDXXXIIX. per Saxoniæ principem petiit, vt in fœdus Smalcaldicum admitteretur: huic a sociis iniunctum fuit, vt domum reuersus, eum, certis conditionibus, communi eorum nomine, reciperet. Acta sunt hæc *Brunsuici*, ad exitum Martii dicti anni.

Caroli V. castra sequitur

A. MDXLVII. in bello germanico, fratre suadente, auspicia CAROLI V., cæsaris, secutus est, cuius rei causa cum publicis & priuatis literis a Protestantibus accusaretur, publico scripto edito, crimen violatæ fidei vere diluit ac depulit. Normam diuinam consiliorum in eo bello inscriptam vexillo habuit: *date Deo, quæ Dei sunt, quæ sunt cæsaris, cæsari:* sicut abunde testatnr SABINVS *in epistola ad Sleidanum*.

Anno sequenti in *conuentu Augustano* cæsarem omnibus imperii ordinibus formidabilem, præsente rege FERDINANDO,

DO, accedens, admonuit eum pacti & promissi, quo ante bellum sibi de causa religionis cauerat, & libro, cui nomen *Interim* inditum fuit, eo, quod in illo definiretur quid Interim, dum decreta Synodi prodirent, fieri obseruarique oporteret, ab iis, qui in doctrina ecclesiæ & ritibus vsitatis aliquid innouassent, constanter contradixit & Augustanam confessionem mordicus retinendo, in suis ecclesiis nihil immutauit, quoad vixit. Hæc constantia ipsius & fidei sinceritas his verbis posteritati commendatur:

Augustanam sequitur confessionem.

IOHANNES, Marggraff zu Brandenburg &c. ein Sohn Marggraff IOCHIMS dieses Nahmens des ersten Marggraffen zu Brandenburg hatt durch Gottes Versehung im Iahr nach Christi Geburth MDXXXVI. angefangen die reine Lehre des heiligen Euangelii und Wort Gottes, Inhalts der Augspurgischen Confession, nach Prophetischer und Apostolischer Schrifft allhier zu Custrin, und folglich durchs ganze Fürstenthumb der Neumarck und in andern seinen Landen und Herrschafften öffentlich lehren zu lassen, und ob solcher Bekandnus selbst aus Gnaden des Allmächtigen bestendig geblieben und alßo durch dessen Hülffe die seinige dabey erhalten. A. MDLV.

Solus spes mea Christus.

Præter hoc encomium aliud illustre exstat in epistols SABINI, cuius prius memini.

Ante obitum cœpit laborare fistula, seu vulnere, quod natura ad proiectionem humorum in crure aperuit, ad cuius consolidationem cum vsum thermarum eum instituisse IOACHIMVS audierat, quatriduo, antequam moreretur, ad eum misit, & denuntiari mandauit, quod futura septimana eum inuisere vellet, simul eam medendi rationem vehementer dissuasit. IOHANNES fratri pro ea sollicitudine gratias egit, & vicissim suasit, ne eo tempore se cœli inclementiæ & viæ com-

 mitteret,

mitteret, promittens, se circa festum Epiphaniorum ipsum accedere velle. Hic nuntius priusquam reuerteretur, decessit IOACHIMVS, eo die & hora, sicut prius annotaui. Hunc ergo decimo die post, die decimo tertio Ianuarii, hora quinta matutina, & minuta trigesima, secutus est IOHANNES, cum vixisset annos quinquaginta septem, menses quinque, dies nouem, horas sex, & gubernasset Neo-marchiam, a morte patris, annos triginta quinque, menses sex, dies tres, horas quinque, minutas triginta. Ingenii vires, Brandenburgicis peculiares, in vtroque fratre excellentes fuerunt, a quibus coniunctio fraterni sanguinis deprehendi potuit. IOACHIMVS ad profusam liberalitatem, IOHANNES ad parciorem frugalitatem procliuior visus, adeo, vt, si natura hac in re pari temperamento circumspectionem IOACHIMO & remissiorem curam IOHANNI largita fuisset, profecto hos fratres absque dubio ad quandam perfectionem perduxisset. CHR. MEIENBVRGIVS.

mors eius

ingenium vtriusque marchionis

Habuit in matrimonio CATHARINAM, filiam HENRICI, iunioris, ducis Brunsuicensis, quæ obiit post eum A. C. MDLXXIV., die decimo sexto Maii, Crosnæ, ætatis suæ anno quinquagesimo octauo. His parentibus prognatæ sunt ELISABETHA, quæ A. C. MDLVIII., die vicesimo sexto Decembris, Custrini collocata est GEORGIO FRIDERICO, marchioni Brandenburgico, & obiit A. MDLXXVIII., die octauo Martii, in pago prope Warsouiam Poloniæ, & CATHARINA, nupta IOACHIMO FRIDERICO, A. C. MDLXX., die octauo Ianuarii, Custrini, de cuius liberis infra in historia IOACHIMI FRIDERICI.

coniux

IOHAN-

IOHANNES GEORGIVS,

MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, S. R. I. ELECTOR.

IOHANNES GEORGIVS, patre IOACHIMO II., & matre MAGDALENA, Saxonica, natus est A. MDXXV., die vndecimo mensis Octob., hora prima post meridiem. Princeps adolescens operam dedit literis in academia Francofordiensi. Condiscipulos habuit fratrem FRIDERICVM, & IOHANNEM ALBERTVM, *ducem Megapolitanum*, studia eius & mores M. NICOLAVS MEISNER, & post eum, BARTHOL. RADEMANNVS, I. V. D., gubernarunt. *natiuitas* *educatio*

A. MDXLV., Dominica esto mihi, ætatis suæ anno vicesimo, primum nuptias celebrauit cum SOPHIA, filia FRIDERICI, ducis Lignicensis, Coloniæ ad Sueuum, & ex ea genuit IOACHIMVM FRIDERICVM. Mater obiit anno sequenti, die primo & vicesimo Ianuarii, ex partu filii: sicut eodem anno & die ex partu filiæ obiit ANNA, regina Hungariæ, coniux FERDINANDI, Rom. regis, & soror LVDOVICI, regis Vngariæ. Post mortem coniugis in bello Germanico a patre præfectus est auxiliaribus copiis, quas ille imperatori CAROLO V. misit, atque, propter fortiter nauatam operam equestri dignitate a cæsare auctus, ad patrem rediit. *coniugium* *factus eques auratus*

A. MDXLVII. secundum nuptias celebrauit cum SABINA, filia GEORGII II., marchionis Brandenb., in *Onolsbachio* Franconiæ, & ex ea genuit tres filios & octo filias, vt inferius illorum nomina adscripsimus. *coniugium secundum*

A. MDLXXI., defunctis patre IOACHIMO & patruo IOHANNE, totam Marchiam ſolus occupauit. Eodem anno, viceſimo quinto die Maii, Brandenburgum ingreſſus eſt, & poſtero die iuramentum fidelitatis præſtiterunt ſenatus populusque Brandenburgenſis vtriusque arcis, hac forma;

Ich helldige, gelobe, ſchwehre, und thue dem Durchleuchtigſten Hochgebohrnen Fürſten und Herren, Herren IOHANSEN GEORGEN, Marggraffen zu Brandenburg, des heyl. Römiſchen Reichs Ertz-Cämmerer und Churfürſteu in Preuſſen, zu Stettin, Pommern, der Caſſuben, Wenden, in Schleſien zu Croſſen Hertzogen, Burggraffen zu Nürnberg, und Fürſten zu Rügen, meinen gnädigſten Herren, und S. Churfürſtl. Durchl. männlichen Leibes-Lehns-Erben, als meinen natürlichen Erb-und Lehn-Herren, und wo die nicht mehr wären, oder Ihr Churfürſtl. Gnaden die hinter ſich nicht verlieſſen, dem Durchleuchtigen Hochgebohrnen Fürſten und Herrn, Herrn GEORGEN FRIEDRICHEN, Marggraffen zu Brandenburg, in Preuſſen, zu Stetin, Pommern, der Caſſuben, Wenden, und in Schleſien zu Jägersdorff Hertzogen, Burggraffen zu Nürnberg und Fürſten zu Riegen, und ſeiner Fürſtl. Gnaden männlichen Leibes-Lehns-Erben, und wenn die auch nicht mehr wären, dem auch Durchleuchtigen Hochgebohrnen Fürſten und Herrn, Herrn ALBRECHTEN FRIEDERICHEN, Marggrafen zu Brandenburg, und Hertzogen in Preuſſen, und ſeiner Fürſtl. Gnaden männl. Leibes-Lehns-Erben, meinen gnädigen Herrn, eine rechte Erbhuldigunge, nach Landt-väterliches Vertrages, Kayſerlicher und Königlicher Verſammlung und Churfürſtlicher Beſtetigunge, dem Hochgenanndten Herren IOHANNS GEORGEN als Churfürſten und Sr. Churfürſtl. Gnaden männlichen Leibes-Lehns-Erben, zuuoraus, und wem die nicht wehren, oder Sr. Churfürſtl. Gnaden die hinter ſich nicht verließen, dem Hochermeldten Hn. GEORGEN FRIEDERICHEN, als Sr. Churfürſtl. Gnaden nebeſten Vetter,

Vetter, und Sr. Fürstl. Gnaden männlichen Leibes-Lehns-Erben, und wenn die auch nicht mehr wären, dem auch Hochgenanndten Herrn ALBRECHTEN FRIEDERICHEN, Marggraffen zu Brandenb., und Hertzogen in Preussen, und Sr. Churfürstl. Gnaden männlichen Leibes-Lehns-Erben, von Vnterthenigkeit wegen, getreu, gewertig und gehorsahm zu sein, Sr. Churfl. Gnaden, Frommen und Bestes zu werben, Schaden und Nachtheil zu wenden, und alles das zu thun, als getreuen frommen Vnterthanen ihren Erbherrn und Landes-Fürsten zu thun schuldig und pflichtig seyn, alles getreulich und ungefehrlich, als mir GOtt helffe und sein heiliges Wort.

Initio gubernationis reditus annuos & possessiones, quas aui & patris liberalitate schola Francofordiana tenuit, non tantum voluit ipsi saluas & integras esse, sed etiam maiores illis addidit, & ab eis onera & seruitutes remouit. Imprimis autem, vt centum adolescentes in communi mensa commode alerentur, constituit, & de sumtibus ei prospexit, vt quilibet vltra quatuor argenteos misnicos singulis septimanis non numeraret. Ita academiam, quam, monitore proauo IOHANNE, auus IOACHIMVS fundauit & construxit, pater IOACHIMVS ornauit & auxit, hic noster princeps amplificauit & conseruauit.

reditus scholæ Francofordianæ auget.

A. MDLXXV., secundo die Nouembris, altero scilicet post coronationem RVDOLPHI II., Rom. regis, cui interfuit princeps elector, diem suum obiit illustrissima femina princeps SABINA, *Coloniæ* ad Sueuum, anno ætatis quadragesimo septimo.

mors coniugis

Annus MDLXXVII. insignis est propter illustria coniugia. Nam die sexto Octobris, tertium nuptias celebrauit illustrissimus noster princeps IOH. GEORGIVS, cum ELISABETHA, filia IOACHIMI ERNESTI, *principis Anhaltini:* deinde IOACHIMVS FRIDERICVS, *dux Pomeraniæ*, duxit ERTMVDIN, filiam IOHANNIS GEORGII.

coniugium tertium

Præ-

nuptiæ illustres

Præterea IOACHIMO, *duci Lignicensi*, nupta fuit ANNA MARIA, filia dicti IOACHIMI ERNESTI, soror ELISABETHÆ. Denique ERNESTVS LVDOVICVS, *dux Pomeraniæ*, matrimonio sibi copulauit SOPHIAM HEDWIGIN, filiam IVLII, *ducis Brunsuicensis*. Hæc coniugia, vt secunda, ita fœcunda sint, faxit Deus auctor & fons omnis boni & casti fœderis. Hic clementer etiam largiatur optimo & clementissimo meo principi vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, senatum fidelem & populum probum. Pro amplificanda vero & exornanda illustrissima excelsitate clementissimi principis mei, & liberorum celsitudinis ipsius ad significandam subiectissimam addictissimi animi voluntatem, sequentia diagrammata a me subiici oportuit:

Linea

Linea Paterna

ALBERTVS, *Achilles Germ.*, M. Brand. & elect. — MARGARETHA, filia *Iacobi*, Badensis — WILHELMVS, dux Saxoniæ — ANNA, regina Hungar. — CHRISTIERNVS, de Oldenburg — DOROTHEA, M. B. filia *Iohannis* — ERNESTVS, dux Saxoniæ — ELISABETHA, ducissa Bauariæ

IOHANNES, marchio B. & elect. — MARGARETHA, ducissa Saxoniæ — IOHANNES, rex Daniæ — CHRISTINA, ducissa Saxoniæ

IOACHIMVS I., marchio B. & elect. — ELISABETHA, regina Daniæ

IOACHIMVS II., marchio Brandenb. & elector

Linea Materna

FRIDERICVS, dux Saxoniæ — MARGARETHA, Austriaca — GEORGIVS BOIEBRATIVS, rex Bohemiæ — IOHANNA, aliis *Elisabetha* — VLADISLAVS IAGELLO, rex Poloniæ — HEDWIGIS, regina Poloniæ — ALBERTVS, *Austriacus*, Ro. imp. — ELISABETHA, regina Hungariæ

ALBERTVS, dux Saxoniæ — SDENA, filia *Boiebracii*, regina — CASIMIRVS, rex Poloniæ — ELISABETHA, Austriaca

GEORGIVS, dux Saxoniæ — BARBARA, regina Poloniæ

MAGDALENA, ducissa Saxoniæ, vxor *Ioachimi II.*

IOHANNES GEORGIVS.

Liberi primi matrimonii

IOHANNES GEORGIVS, M.B. & elector — SOPHIA, filia *Friderici*, ducis Lignicensis

CATHARINA, filia *Iohannis*, Custrinensis — IOACHIMVS FRIDERICVS, M.B. postulatus administrator Magdeburgensis, dominus meus clementissimus

- IOHANNES SIGISMVNDVS, natus Halæ, A. MDLXXII., VIII. Nouemb., hora VII. vespertina, baptisatus d. XVI. Nouemb.
- ANNA CATHARINA, nata Halæ, A. MDLXXV., XXVI. Iunii, XII. hora noctis, baptisata vltimo Iunii.
- IOHANNES GEORGIVS, natus Wolmerstadii, A. MDLXXVII., XII. Dec. IX. vespertina, baptisatus XII. Ian. A. MDLXXVIII.
- AVGVSTVS, natus Halæ, A. MDLXXX., VII. Febr., XII. hora, baptisatus X. Martii

Liberi secundi matrimonii.

IOHANNES GEORGIVS, M. Brand. & elector — SABINA, filia GEORGII, M.B.

- GEORGIVS ALBERTVS, obiit II. anno ætatis.
- IOHANNES & ALBERTVS, gemelli, obiierunt
- MAGDALENA SABINA obiit
- HEDWIGIS obiit
- MAGDALENA obiit
- MARGARETHA obiit
- MARIA obiit
- ERDMVND, coniux *Iohannis Friderici*, ducis Pomeraniæ
- ANNA MARIA, coniux *Barnimi*, X. ducis Pomeraniæ
- SOPHIA, coniux, *Christiani*, ducis Saxoniæ

Liberi tertii matrimonii.

IOHANNES GEORGIVS, M. Brandenb. elector — ELISABETHA, filia *Ioachimi Ernesti*, principis Anhaltini.

- CHRISTIANVS, natus A. MDLXXXI., XXX. Ianuar
- ELISABETHA
- MAGDALENA, nata, A. MDLXXXII., d. VII. Ianuar
- IOACHIMVS ERNESTVS, natus MDLXXXIII., d. X. Iunii
- AGNES, A. MDLXXXIV., d. XVI. Iulii.
- FRIDERICVS, A. MDLXXXVIII., d. XXII. Martii
- ELISABETHA SOPHIA, A. MDLXXXIX., d. III. Iulii
- GEORGIVS ALBERTVS, A. MDXCI., d. XIX. Nouembr.
- SIGISMVNDVS IOHANNES A. MDXCII., d. XIX. Nouembr.

IOACHI-

IOACHIMVS FRIDERICVS,

MARCHIO BRANDENBVRGENSIS, POSTVLATVS ADMINISTRATOR MAGDEBVRGENSIS.

Patre IOHANNE GEORGIO & matre SOPHIA, *Lignicensi*, *natiuitas* Coloniæ ad Sueuum, A. MDXLVI., die Ianuarii secundo, hora quinta vespertina; hoc est, vicesimo secundo die ante obitum LVTHERI, natus est IOACHIMVS FRIDERICVS, princeps optimus & vere Mæcenas optimarum disciplinarum & artium liberalium. Adolescentis principis studia rexit M. *educatio* THOMAS HVBNERVS, *Berlinensis*, vir eruditione & doctrina præstantissimus. Viuente patruo SIGISMVNDO, *episcopatus*, *Hauelbergensem & Lebusiensem*, possedit. Eo, A. MDLXVI., die decimo quarto Octobr., defuncto, postulatus est ad administrationem *archiepiscopatus Magdeburgensis*, in qua reformatione templi cathedralis ad S. Mauritium, existente primo præcone, *reformante* SIGFRIDO SACCO, theologiæ doctore & præceptore meo *sacra incipit* colendo, nihil prius habuit.

A. MDLXX., die octauo Ianuarii, Custrini nuptias celebrauit cum CATHARINA, filia IOHANNIS, marchionis dicti *Custrinensis*, & ex ea genuit filios & filiam, sicut nomina mox adscribam.

A. MDLXXIX., die vicesimo sexto Octobris, hoc est, anno sexagesimo sexto post introductionem ALBERTI, marchionis, Moguntini Cardinalis, præcedente confirmatione RVDOLPHI II., Rom. imp. pactorum, de quibus conuenit inter AVGVSTVM, ducem Saxoniæ, electorem & ipsum, IOACHIMVS FRIDERICVS Magdeburgum ingressus est, & subiectissima pompa decenter exceptus, postero die senatum populumque Magdeburgensem in suam fidem recepit. Eius illustrissimam

 ex-

excelſitatem, excitatam ad ſpem publicæ ſalutis ac dignitatis, vt feliciter adoleſcere & ſaluam atque incolumem longiſſimum illuſtriſſimæ vitæ ſpatium conficere velit, in protegendo & conſeruando ſanctam eccleſiam, & ciuilem hominum ſocietatem tuendo, & illuſtriſſimæ domus ſuæ antiquam gloriam non ſolum retinendo, ſed altius etiam extollendo, orari æternum Deum conuenit.

CONTINVATIO.

confoederatio cum Saxone & Haſſo renouata.

Vt fœdus hereditarium, inter *Saxones*, *Brandenburgicos*, *Haſſosque*, A. MCCCCLVII., conciliatum, redintegraretur, indicebatur conuentus ſolennis, A. MDLXXXVII., *Numburgi* habendus, cui cum patre IOACHIMVS FRIDERICVS intererat, confirmaturus concordiam olim conſtitutam, & in poſterum intemerata ratione ſeruandam.

filios mittit Argentoratum

In tam diligenti autem rei procuratione publicæ occupatus, haud abiiciebat curam filiorum erudiendorum. Anno enim conſecuto, IOHANNEM SIGISMVNDVM & IOHANNEM GEORGIVM ad academiam mittebat *Argentoratenſem*, imbuendos illis artibus, quibus principibus orti ſolent impertiri.

regi Poloniæ imperium gratulatur

Cum SIGISMVNDVS III. *rex Poloniæ* eſſet, A. MDLXXXIX., electus, per oratorem regiam iſti dignitatem eſt gratulatus, contrectatoque vexillo, ſpes Pruſſiæ obtinendæ aliquando illi relicta.

Henrico Nauarro fert ſubſidia

De regno capeſſendo HENRICO IV., *Nauarro*, cum *Guiſiis* ſuſcipiendæ erant concertationes: reprimendis autem hoſtium viribus ille ſolus haud par erat. *Daniæ* igitur *regem* CHRISTIANVM IV., Germaniæque principes rogabat auxilia, quæ ipſi etiam in conuentu principum *Luneburgi*, A. MDLXXXVI., & *Torgæ*, A. MDLXXXXI., habito, cui IOACHIMVS FRIDERICVS aderat, liberaliter ſunt ſuppeditata, quanquam copias miſſas in *Galliam*, quarum parti IOHANNES de BVCH,

BVCH, Nostri nomine, præerat, fortunæ indulgentia minime comitaretur.

Valetudinis infirmitate quadam, ex colliso brachio profecta, vexatus, fractas vires vsu *thermarum Carolinarum* volebat, A. MDLXXXXIII., reparare IOACHIMVS FRIDERICVS. De improuiso autem ad eum perferebatur nuntius, IOHANNEM GEORGIVM, *episcopum Argentoratensem* esse creatum. Sed mira huius rei conuersio breui post euenit, CAROLO LOTHARINGO, contrariis suffragiis electo, vnde postea grauissimæ sunt ortæ concertationes: atque, licet IOHANNES GEORGIVS, vt integram conseruaret electionem, operam adhiberet omnem, *Spiræque* res tractaretur, sinistris tamen aliorum studiis spe dignitatis retinendæ est deiectus. Ducatum ille *Iægerndorfiensem* A. MDCVI., beneficio patris, obtinuit, quem GEORGIVS FRIDERICVS, marchio, in IOACHIMVM FRIDERICVM eiusque posteros, A. MDLXXXXV., contulerat, si quando ipse sine herede masculo ex hac vita migraret, quo mortuo, A. MDCIII., est illum adeptus.

Iohannes Georgius, filius, episcopus Argentoratensis eligitur, cui opponitur Carolus, Lotharingus.

accipit ducatum Iægerndorfiensem

A. MDXCVI., in vitæ graue incidit periculum, mirabili Numinis benignitate propulsatum. Cum enim a CHRISTIANO IV., Daniæ rege, esset inuitatus, vt coronationi eius solenni adesset, *Hafniam* versus demigrauit, comitibus vxore liberisque IOHANNE SIGISMVNDO & ANNA CATHARINA. In nauali autem itinere sæua opprimebatur tempestate, qua tandem liberatus, *Hafniam* adueniens, incredibili a rege gaudio est exceptus, suaque præsentia festiuitatem publicam reddidit solenniorem. Rex, ANNÆ CATHARINÆ amore captus, sibi eam despondere conabatur. Missis ergo ad IOACHIMVM FRIDERICVM legatis *Wolmerstedium*, eius sibi voluntatem conciliat, atque *Haddersleblii*, quod *Holsatiæ* est oppidum, pia parentum gratulatione ipsi sponsa adducta traditur.

Hafniam petit

filia nubit regi Daniæ.

Quibus compositis, ipsi domum repetenti de infirmitate patris nuntiatur, breui quoque post e viuis digressi. Rerum ergo

imperium obtinet

ergo potito, a ciuibus piæ fidelitatis, A. MDLXXXXIIX., ipsi est iusiurandum præstitum, atque, cum ab administrando archiepiscopatu discessisset CHRISTIANVS WILHELMVS, filius, vices eius expleuit.

tractatus Gerauiensis confirmatur

In primis autem præcipuisque imperii factis est censendum, quod cum marchione GEORGIO, FRIDERICO *tractatum Gerauiensem*, qui a *Voigtlandiæ* vrbe *Gera* dicitur, per legatos, A. MDLXXXXIIX., ibi informatum, *Magdeburgi* secuto anno, præsens cum marchione confirmauit ratamque habuit. Pro pactione familiæ sanctioneque pragmatica erat ille habendus, ius primogenituræ inducebatur: qui elector futurus erat, Marchiam omnem, feudumque Borussicum possidere debebat, reliquasque regiones, quas sibi aliquando hereditatis iure poterant vindicare. Franconiæ autem duo tantum marchiones imperare debebant, reliquis, si qui forent, certa pecuniæ summa subministrata: curabatur quoque de sustentandis elocandisque principum filiis filiabusque.

comitia Marchica habentur.

Comitia prouincialia Elector, A. MDCII., celebrabat, conuocatis totius Marchiæ ordinibus, in quibus de salute regionis conseruanda augendaque grauissimæ suscipiebantur deliberationes.

Prussiæ suscipit administrationem

ALBERTVS FRIDERICVS, *dux Prussiæ*, quod, paululum mente infirmatus videbatur, rei gerendæ publicæ haud satis erat accommodatus, vnde SIGISMVNDVM, *Poloniæ regem*, per oratorem IOACHIMVM HVBNERVM, Elector, A. MDCIII., rogabat vt, quod pacta flagitarent publica, principatum sibi administrandum concederet. Rex, biennio post, reliquit petitis locum, eoque duce salutato, veniam concessit, vt ciues in fidem suam religione præstita, acciperet. Cum autem, A. MDCVI., de iure futuræ successionis scrupuli quidam ei mouerentur, comitiis *Varsauiensibus* iussit legatos suos interesse, iura principis sui defensuros, in reditu autem a prædonibus male habitos, quibus rex haud concessit impunitatem.

A. MDCVI

A. MDCVI., sacra secularia *academiæ Francofurtanæ* celebrabantur, quibus ipse Elector adfuit: & A. MDCVII., in *valle Ioachimica* ludum illustrem condidit sumtibus egregiis in salutem Marchicæ iuuentutis.

iubilæum academ. Francof. celebrat, scholam in Ioachimica valle condit,

Quod ingrauescebat occupationum publicarum multitudo, A. MDCIV., constituit *secretius consilium*, cui adscribebantur HIERONYMVS, comes SCHLICKIVS, IOHANNES de LOEBEN, cancellarius, CHRISTOPH de WALDENFELS, HIERON. de DIESKOW, CHRISTOPH. BENCKENDORFIVS, procancellarius, D. FRIDER. PRVCKMANNVS, SIM. VLR. PISTORIS, IOACHIMVS. HVBNERVS: quod collegium, animaduersa illius vtilitate, ad nostram vsque memoriam est continuatum.

secretius consilium instituit,

Templum cathedrale, A. MDCVIII., honori SS. Trinitatis consecrauit, vbi nonnullas, quæ inueterauerant, ceremonias inde iusserat exulare.

ædem cathedralem ritibus nonnullis purgat,

Eodem anno appropinquabat vitæ illius finis. Cum enim ex tractu *Storcouiensi* domum repeteret, in curru, haud procul ab vrbe *Cœpenicensi*, morbo, qui ei fuerat familiaris oppressus, orificii nempe ventriculi compressione ex flatibus de improuiso mortem cum vita commutauit, die duodeuicesimo Iulii, postquam archiepiscopatui Magdeburgensi vnum & triginta annos, electoratui decem atque dimidium præfuerat, vixeratque cum laude duos & sexaginta annos, septem menses atque tres hebdomades.

moritur

Duas habuit coniuges:

I. CATHARINAM, IOHANNIS, *marchionis Custrinensis*, filiam, nat. d. X. Aug., A. MDXLI., nuptam ei, A. MDLXX., die VIII. Ian., mortuam *Coloniæ* A. MDCII., die XXX. Septembris. Hac sunt nati

coniuges

1. IOHANNES SIGISMVNDVS, successor,

2. ANNA CATHARINA, nata, A. MDLXXV., die XXVI. Iunii nupta CHRISTIANO IV., Dano, A. MDLXXXXVII., die XXVII. Nouembris, mortua, A. MDCXII., die XXIX. Martii.

3. IOHANNES GEORGIVS, naſcitur, A. MDLXXVII., die XVI. Decembris, Argentoratenſis epiſcopus, A. MDXCII., eligebatur, nactus autem æmulum CAROLVM, *Lotharingum*, de iure ſuo debebat diſcedere, poſteaquam ei centum & triginta millia florenorum fuerant perſoluti, atque conſtitutum, vt ſingulis annis ex reditibus epiſcopalibus ei nouem millia florenorum redirent: A. MDCXVI., equitum ordinis S. Iohannis magiſter eſt electus. Ortis autem turbis, Bohemias ſequebatur partes FRIDERICI, *Palatini*, qua de re accidit, vt FERDINANDVM II. ſibi redderet infenſum. Proſcriptus ergo *ducatu Iægerndorfienſi*, quem a patre, A. MDCVI., acceperat, A. MDCXXIII., exutus *Leutſchium*, quæ vrbs eſt *Tranſſyluaniæ*, ſe recepit, ibique, die ſecundo Martii, A. MDCXXIV., obiit. Coniux erat EVA, CHRISTIANA, FRIDERICI *Wurtenbergenſis* filia, nupta, A. MDCX., mort. MDCLVII., quæ peperit 1) ERNESTVM, A. MDCXVII., quem Marchiæ elector abſens præfecerat, obiit, A. MDCXLII., die XXIV. Septembris, 2) duos filios filiasque, quos iuuenes mors rapuit.

4. AVGVSTVS, nat., A. MDLXXX., d. XVII. Febr. canonicus Argentoratenſis, mort., A. MDCI., die XXIII. Aprilis.

5. ALBERTVS FRIDERICVS, n., A. MDLXXXII., die XVIII. Aprilis, mort., A. MDC., d. III. Decembris.

6. IOACHIMVS, } gemelli, nati, A. MDLXXXIII., die XIII. Aprilis, { mort., A. MDC., d. X. Iun.
7. ERNESTVS, } { m., A. MDCXIII., d. XIX. Septemb., qui magiſter ordinis S. Ioh. & ſatrapa Cliuenſis fuerat.

8. BAR-

8. BARBARA SOPHIA, nata A. MDLXXXIV., die XVI. Nouembr., nupta IOHANNI FRIDERICO, *Wurtenbergico*, A. MDCIX., d. V. Nouembris, mort. A. MDCXXXVI.

9. CHRISTIANVS WILHELMVS, natus A. MDLXXXVII., d. XXVIII. Augusti, atque post patrem administrator factus est Magdeburgensis. Quod cum *Danis* contra Cæsarem faciebat, proscriptus est, A. MDCXXVI., atque *Magdeburgo*, A. MDCXXXI. expugnata, in potestatem Cæsaris peruenit, *Neostadium* Austriæ ductus. Anno MDCXXXII., sacra Pontificia amplexus, mutatæ religionis caussas dare voluit in *Speculo veritatis Brandenburgico eiusque defensione*, confutatis vtrisque a CASP. ERN. BROCHMANNO, MELCH. NICOLAI. & IOH. PAVLO FELWINGERO, theologis Lutheranis. Quo facto, libertati est redditus, atque in pace Pragensi, A. MDCXXXV., imperator ei ab AVGVSTO, administratore Magdeburgico, duodecim mille imperiales annuos est pactus: quorum loco in pace Osnabrugensi præfecturam *Zinnam* & *Loburgum* ratione dominii vtilis accepit. Obiit A. MDCLXV., die I. Ianuarii. Coniuges ei fuerunt 1. DOROTHEA, HENRICI IVLII, *Brunsuicensis* filia, nat., d. VIII. Iun., A. MDXCVI., nupta, A. MDCLXIX., quæ peperit, A. MDCLXVI., d. XXII., Ian., SOPHIAM ELISABETHAM, elocatam, A. MDCXXXVIII., FRIDERICO WILHELMO, *duci Saxoniæ*, mortuam, A. MDCL., d. VI. Mart. Obiit, A. MDCXLIX. 2. BARBARA EVSEBIA, IAROSLAI, comitis de MARTINIZ filia, nupta, A. MDCL., mortua, A. MDCLVI. 3. MAXIMILIANA, *comes Salmensis*, vidua comitis MAXIMILIANI de *Waldstein*, II. ELEONORA, ALBERTI FRIDERICI, *ducis Prussiæ* filia, nat., A. MDLXXXIII., d. XI. Aug., nupta, A. MDCIII., mort., A. MDLVII., d. XXXI. Mart., quæ peperit MARIAM ELEONORAM, A. MDCVII., d. XXII. Mart., nuptam PHILIPPO LVDOVICO, *comiti Palatino Simmerensi*, A. MDCXXXI., d. IV. Dec., &, d. VIII. Febr., A. MDCLXXV., extinctam.

 Tabula

Tabula genealogica.

Liberi vtriusque matrimonii.

I. IOACHIMVS FRIDERICVS ---- CATHARINA

IOH. SIGISMVNDVS — ANNA CATHARINA — IOH. GEORGIVS ---- EVA CHRISTINA — AVGVSTVS, — ALBERTVS FRIDERICVS — IOACHIMVS,

ERNESTVS.

ERNESTVS — BARBARA SOPHIA — CHRISTIANVS WILHELMVS ---- DOROTHEA, Brunsuic.

SOPHIA ELISABETHA

II. IOACHIMVS FRIDERICVS ---- ELEONORA.

MARIA ELEONORA.

IOHAN-

IOHANNES SIGISMVNDVS,

MARCHIO BRANDENBVRGENSIS,

S. R. I. ELECTOR.

Nascitur, A. MDLXXII., die octauo Nouembris, cum in *Cassiopeæ* asterismo noua cœpisset stella apparere. Eius, more principum, educandi curam solerter suscepit pater, studiorumque colendorum gratia, cum fratre IOHANNE GEORGIO, vt supra dictum est, *Argentoratum* misit. *natiuitas & educatio*

A. MDXCI., ad coniugium adiecit animum, lecta thori socia ANNA, ALBERTI FRIDERICI, *ducis Prussiæ*, filia, quæ A. MDXCIV., demum ei in matrimonium data, nuptiis *Regiomonti* solenniter celebratis. *coniugium*

Cum pater coronationi regis Daniæ CHRISTIANI IV. interesset, comes erat ipsi adiunctus: auo autem cum morbo luctante, non ita multo post domum redire est coactus, ægroto auo adfuturus. Eo mortuo, a patre ei *præfectura Zechlinienſis* traditur, vt ex illius reditibus vitam principe dignam, degeret. *Hafniam petit* *Zechlinum obtinet.*

Quoniam vero soceri in Prussia incrementa capiebat valetudo, sua domusque commoda obseruaturus, iterum A. MDXCIX., eo contendit: atque, licet, A. MDCII., comitia prouincialia eum in Marchiam retraherent, auctore tamen GEORGIO FRIDERICO, *marchione Brandenburgico*, in cuius tutela tum erat Prussia, hanc repetiit, habitoque in oppido *Heilgenbeil* ordinum conuentu, commodis regionis prospexit, simul curans, ne de iure suo in Prussiam fieret diminutio. *abit in Prussiam* *vbi comitia habet.*

Fatis functo GEORGIO FRIDERICO, de successione in terris Franconiæ amice transegit, A. MDCIII., cum patruis CHRISTIANO & IOACHIMO ERNESTO, fratribus, quam rem postea parens ex pacto familiæ antiquo, constituto ab ALBERTO, electore, ratam habuit. *transactio Franconica*

 Turba

Prussiam repetit

Turbae quaedam, A. MDCVIII., in Prussis ortae flagitabant eius praesentiam: ad quos ergo cum demigraret, de morte parentis in itinere ad eius aures perfertur nuncius. Is tamen haud morabatur eius profectionem, sed ipse continuabat iter; cura Marchiae ADAMO GANS, L. B. de PVTLIZ, commissa. Commode, vt poterat, res suas ibi constituit, cumque SIGISMVNDVM III., Poloniae regem, rogaret, vt sibi seruaret integrum ius suum in Prussiam, petenti non solum obsecundauit, sed & literis publicis *Cracouiae*, A. MDCIX., datis, tutelam ALBERTI FRIDERICI & administrationem ducatus omnis tradidit. Quibus factis, reuertit in Marchiam, ciuesque iurisiurandi sibi obstrinxit religione.

obtinet administrationem Prussiae.

Iohannes VVilhelmus, Cliuensis, moritur

A. MDCIX., nullo relicto masculo herede, decesserat IOHANNES WILHELMVS, *dux Cliuensis.* Erant ei autem quatuor sorores, 1) MARIA ELEONORA, nupta ALBERTO FRIDERICO, *duci Prussiae*, &, A. MDCIIX, defuncta, 2) ANNA, coniux PHILIPPI LVDOVICI, *comitis Palatini Neoburgici*, 3) MAGDALENA nupta IOHANNI, *comiti Palatino Bipontino*, 4) SIBYLLA, vxor CAROLI, *marchionis Burgauiensis.* Ex priore supererat ANNA, nupta IOHANNI SIGISMVNDO nostro, qui non solum iure repraesentationis sibi vindicabat Cliuenses terras annexasque, sed etiam nitebatur iure primogeniturae vsitato in his terris, masculis defunctis, maiori etiam filiae successionem tribuente & pactis matrimonialibus A. MDLXXII., constitutis, quibus, si quando IOHANNES WILHELMVS, prole mascula carens, decederet, MARIAE ELEONORAE eiusque posteris confirmata erat successio. *Palatinus* autem, mortua prima sorore, suae vxori, quae secunda erat soror, eiusque filio WOLFGANGO WILHELMO deberi successionem censebat. CHRISTIANVS II., *Saxoniae elector*, praeter alios ad se pertinere hereditatem arbitrabatur, nixus literis, quibus FRIDERICVS III. ALBERTO, *Animoso*, A. MCCCCLXXXIII., eas, si quando ad imperium reciderent, fuerat pollicitus, quibus alias

eius terras sibi vindicat Ioh. Sigismundus.

Palatinus & Saxo.

alias suæ cuasæ adiungebant rationes. Verum IOHANNES SIGISMVNDVS atque PHILIPPVS LVDOVICVS armis terras Iuliacenses sibi subiecere, arbitroque MAVRITIO, *landgrauio Hassiæ*, A. MDCVI., *Tremoniæ* coniunxere fœdus his legibus, se, neutrius iure violato, terras occupatas coniunctis viribus manuque armata ab impetu aliorum fortiter defensuros, suasque res amice composituros. Quo facto, noster fratrem ERNESTVM eo misit, vt suo auctoritate his terris præesset. LEOPOLDVS, *archidux Austriæ*, quidem eas cupiebat occupare, sed noster atque *Palatinus* muniebantur opibus *Gallorum* atque *Batauorum*. Conuentus *Iutrebogæ*, A. MDCXI., habebatur, quibus Elector cum aliis principibus intererat: at dissensiones hic conciliari minime poterant, neutro de iure suo abituro, quamuis sequentibus etiam annis hoc negotium tractaretur *Coloniæ*, *Xanthæ*, aliisque locis, quo suos legatos mittebat. Ne tamen iuri suo in has terras inferretur detrimentum, ERNESTO, fratre, mortuo, filium GEORGIVM WILHELMVM iis præesse iussit.

Noster atque Palatinus eas occupant

Cœperat, A. MDCX., *vnio Euangeliorum* constituta, Augustanam religionis pacem sartam tectamque conseruatura, cui cum reliquis noster subscripserat. Pontificii sibi quoque prospecturi, *sanctam* ei *ligam* opposuerant. Conuenerant ergo *Halæ Sueuorum* Protestantium principes, in quibus etiam extitit IOHANNES SIGISMVNDVS cum fratre IOHANNE GEORGIO. Ducem vnionis huius constituebant CHRISTIANVM *Anhaltinum*, &, ne in suspicionem turbarum incurrerent, non ad imperatorem solum capita vnionis detulerunt, sed & typis expressa vniuerso proposuere orbi.

Euangelicorum vnioni subscribit.

A. MDCXI., literis *regis Poloniæ* inuitabatur magnatumque, vt Prussiam, suo heredumque nomine, a rege in feudum acciperet, nec ipse tutor illi amplius præesset. Itineri igitur accingitur, *Varsouiamque* ingressus, a rege senatuque splendide est exceptus: neque sibi heredibusque masculis tantum, sed & fratribus

Prussiam in feudum accipit.

bus eorumque filiis Prussia est beneficii loco collata. Duriores tamen quaedam conditiones fuerunt adiunctae: vt confirmationem in ducatu non per legatos, sed praesens ipse, genibus flexis, peteret, volebant Poloni: promittere praeterea debebat, se super ordinariam pecuniae summam, in subsidium expendi solitam, annuatim triginta mille florenos persoluturum, accepturum catholicum calendarium, liberumque vsum sacrorum in his terris daturum Catholicae religioni addictis.

legatos mittit Francofurtum & Ratisbonam.

Mortuo RVDOLPHO II., imperatore, *Francofurti ad Moenum* conuentus principum, A. MDCXII., eligendi imperatoris noui causa indicebatur. Legabat eo noster ADAMVM GANS, L.B. de PVTLIZ, ABRAHAMVM, L.B. de DOHNA, FRIDER. PRVCKMANNVM, SIM. VLR. PISTORIS, & CHRISTIANVM de BELLIN: sequenti anno vero *comitiis Ratisbonensibus* aderant DOHNAVIVS, PRVCKMANNVS, BELLINIVS, & IOH. ERNESTVS de SCHLIEBEN.

mutat sacra

A. MDCXIV., placuit ipsi sacra *Lutherana*, quae adhuc secutus fuerat, cum *reformatae* religionis praeceptis commutare, cuius exercitium induxit in templum SS. Trinitati dicatum, quod est *Coloniae* ad *Spream*: &, ne sine ratione id fecisse videretur, suae fidei confessionem dein publice edidit.

confirmat pacta hereditaria.

Eodem anno, pacta hereditaria cum *Saxone* & *Hasso Numburgi* confirmabantur.

Prussiam petit.

Ob praesentia pericula *Heilbrunnae*, A. MDCXVII., (qui annus ex vocibus *Iohann SIgMVnD*, *ChVrfVrst*, redit.) principum vnitorum conuentus habebatur, cui intererat: &, A. MDCXVIII., mittebat Rosenburgum legatos ad principes, eadem de causa congregatos, & cum rerum Prussicarum ratio praesentiam Electoris requirerent, eo se contulit, aegro licet esset corpore. Curarum autem multitudine, quae animum afficiebant, est effectum, vt, A. MDCXVIII., paroxismo apople-

apoplectico, qui in paralyſin degenerauit, opprimeretur: cum quo morbo ipſi luctandum fuit ad mortem vsque, quæ euenit *Berolini*, A. MDCXIX., d. XXIII. Decembris, in ædibus ANTONII FREITAGII, qui ab eius cubiculis erat, poſteaquam paullo ante obitum certis legibus GEORGIO WILHELMO, filio, primum genito, imperium commiſerat. Præfuit electoratui vndecim annos, quinque menſes & quinque dies, vixit ſeptem & quadraginta annos, vnum menſem & quindecim dies.

Coniux erat ANNA, ALBERTI FRIDERICI, *ducis Pruſſiæ*, filia, nat. A. MDLXXVI., d. III. Iulii, nupta A. MDXCIV., d. XXX. Octobris, mort. A. MDCXXV., d. XXX. Maii. Illa IOHANNI SIGISMVNDO nati ſunt

1. GEORGIVS WILHELMVS, ſucceſſor

2. ANNA SOPHIA, nat. A. MDXCVIII., d. XVII. Martii, nupt. FRIDERICO VLRICO, *duci Brunſuicenſi*, d. IV. Sept., A. MDCXIV., mort. A. MDCL.

3. MARIA ELEONORA, nat. A. MDXCIX., d. XI. Nouemb., nupt. GVSTAVO ADOLPHO, *regi Suecorum*, d. XXV. Nou., A. MDCXX., mort. d. XVIII. Mart. A. MDCLV.

4. CATHARINA, nat. A. MDCII., d. XXVIII. Maii, nupt. 1.) BETHLEMO GABOR, *principi Tranſſyluaniæ*, A. MDCXXVI. 2) FRANCISCO CAROLO, *duci Lauenburgico*, A. MDCXXXIX., mort. d. XXVII. Aug., A. MDCXLIX.

5. IOACHIMVS SIGISMVNDVS, nat. d. XXV. Iulii, A. MDCIII., creatur magiſter equitum ordinis S. Iohannis, A. MDCXXIV., mort. A. MDCXXV., d. XXIII. Februarii.

6. AGNESA, nata A. MDCVI., d. XXXI. Auguſti, moritur A. MDCVII., d. XII. Martii.

7. IOHANNES FRIDERICVS, nat. A. MDCVII., d. XVII. Auguſti, moritur A. MDCVIII., d. I. Martii.

8. ALBERTVS CHRISTIANVS, nat. A. MDCIX., d. VII. Martii, moritur d. XII. Martii, eiusdem anni.

Genealogia IOHANNIS SIGISMVNDI atque vxoris.

FRIDERICVS I.,
Elect. Brand.

FRIDERICVS II	ALBERTVS ACHILLES, Elect. Brand.
IOHANNES, Cicero	
IOACHIMVS I.	FRIDERICVS, marchio Anspac. & Baruth.
IOACHIMVS II.	
IOHANNES GEORGIVS	ALBERTVS, dux Prussiæ
IOACHIMVS FRIDERICVS	ALBERTVS FRIDERICVS, dux Prussiæ
IOHANNES SIGISMVNDVS	ANNA.

GEORG. WILHELMVS — ANNA SOPHIA — MARIA ELEONORA — CATHARINA — IOACH. SIGISMVNDVS — AGNESA — IOHANNES FRIDERICVS — ALBERTVS CHRISTIANVS

GEORGIVS WILHELMVS,

MARCHIO BRAND.,

S. R. I. ELECTOR.

Natus est A. MDXCV., die tertio Nouembris, *Coloniæ ad Spream*, parentesque nihil intermiserunt, quod ad filium pacis bellique artibus imbuendum, pertineret; quas vt commode arriperet, A. MDCXI., *Francofurtum in academiam* eum mittebant.

natiuitas & educatio

A. MDCXII. electioni imperatoris MATTHIÆ, quæ *Francofurti ad Mœnum* fiebat, interfuit, splendideque ipse non tantum est exceptus, sed & imperatorem electum conuiuio apparato tractauit, discedentemque, *Pragam* vsque, est comitatus.

interest electioni Matthiæ

ERNESTO, Cliuensium terrarum gubernatore mortuo, qua ratione GEORGIVS WILHELMVS ei sit suffectus, superius iam est commemoratum. Non caruit molestiis istud munus, LEOPOLDO, *archiduce Austriæ*, auctoritate imperatoris eas occupaturo, pariter atque *Neoburgico*. Commode tamen Noster prouidit, ne quod detrimentum rationes parentis caperent.

Cliuensibus terris præest

Patre tandem, A. MDCXIX., defuncto, imperium ille capessebat, eiusque non tantum ab imperatore, A. MDCXXII., petiit confirmationem, sed &, vt a rege Poloniæ Prussiam acciperet firmatam, sollicite A. MDCXXI. *Warsouiæ* contendit obtinuitque.

terrarum obtinet confirmationem

Incidit autem imperium illius in tempora sollicitudinis perturbationisque plenissima, quæ ingenti malorum mole obruerunt GEORGII WILHELMI regiones. Regnum Bohemiæ oblatum accipere sustinuerat FRIDERICVS V., *Palatinus*, serio licet illum ab hoc consilio deterreret inter alios principes Nostri pater IOHANNES SIGISMVNDVS. Prœlio vero infeliciter, A. MDCXX., habito ad *Pragam*, omni imperii illius

turbæ bellicæ

Fridericus Palatinus regno Bohemiæ excutior

 recu-

recuperandi ſpe deturbatus, *Berolinum* ad affinem, atque inde ad *Batauos* ſe recepit. *Catholicorum* vero *Liga* res ſuas proſpere gerente, Noſtroque electori ob deiectum FRIDERICVM infeſto, facile ante poterat videre, quæ ſibi aliquando ab illa ſint expectanda. Ab hoſte ergo ſe muniturus, A. MDCXXI., *Segebergæ* cum *rege Angliæ* collocutus, A. MDCXXII., cum *Batauis* fœdus percuſſit, conuentibus publicis *Prenslauiæ* adfuit, ſecutoque anno, publicis decretis ſupplicationibus edixit, ne quis terris ſuis excederet fuga, ſed iſtis defendendis accingeretur. De publicis negotiis etiam, A. MDCXXIV., cum IOHANNE GEORGIO I., electore Saxoniæ, inſtituit colloquium *Iutrebogæ*. Quoniam vero MAXIMILIANVM, *ducem Bauariæ*, in quem, FRIDERICO proſcripto, electoratus Palatinus erat collatus, electorem ſalutare recuſauerat, atque in comitiis intercesserat *Ratisbonenſibus*, quo minus id fieret, ductus neceſſitudine, qua copulatus erat FRIDERICO, offenſio imperatoris ligæque catholicæ in eum augebatur. Quo factum eſt, vt aduentus exercitus cæſarei Marchiæ appropinquaret, occuparetque illam: quem vero, breui interpoſito, ERNESTVS, *comes Mansfeldenſis*, expulit, non ita multo poſt rurſus electus. *Berolinum* ipſum tum expugnabatur a cæſareis, Marchiaque tributorum ingentem debebat ſummam expendere: quæ res tandem electorem adegit, vt in *conuentu Mulhuſino* MAXIMILIANVM appellaret *Palatinum electorem*.

Maximilianum, electorem, non vult ſalutare.

Marchiam cæſarei inuadunt.

In tanta vero temporum confuſione diſcedendum erat GEORGIO WILHELMO ex Marchia, multis modis iam afflicta, hoſtiumque exercitu adhuc oppreſſa. Belli enim incendium exarſerat in Pruſſia inter SIGISMVNDVM, *Poloniæ*, & GVSTAVVM ADOLPHVM, *Sueciæ*, *reges*, hoc magno nauium numero, A. MDCXXVI., ad *Pillauiam* appulſo, impetumque faciente in Pruſſiam Polonicam, cuius magnam partem ſubegit. Rebus igitur in Marchia rite conſtitutis, Pruſſiam petiit A. MDCXXVII. elector, regionum ſuarum ſaluti conſulturus in hoc bello, cuius vero flamma

Pruſſiam petit.

non

non ante, quam A. MDCXXXV., facta pace, extincta est. Electore quidem arbitro, A. MDCXXIX., induciæ erant compositæ: at illæ breui post dissoluebantur.

edictum restitutionis promulgatur

A. MDCXXIX., imperator, catholicæ ligæ addictorum consilio instinctus, publico sanxit edicto, vt omnes episcopatus, cœnobia, atque bona ecclesiastica, quæ post *tractatum Passauiensem* suo imperio adiecerant principes Protestantium, restituerentur vsui pristino. Rediissent hac ratione episcopatus Marchiæ plurimaque monasteria in Pontificiorum potestatem. Ordinibus ergo Marchiæ eodem anno elector præcepit, vt bonorum ecclesiasticorum diligenti habita inquisitione se de ea re facerent certiorem.

Gustauus Adolphus in Germaniam venit.

Prussiam, quo elector ante triennium abierat, vt desereret, cogebat eum GVSTAVI ADOLPHI, *Sueci*, aduentus in Germaniam. Iam A. MDCXXIV., eum noster acuerat, vt ferret opem Germaniæ adflictæ: sed, cum abitum pararet in Germaniam, consilia eius flectere conabatur elector, ne maior clades Germaniæ futuro bello, quod metuebat, inferretur. Verum rex in Pomerania A. MDCXXX. exponebat copias, libertatis Germanicæ strenuus futurus vltor. Ambigebat elector, cuius susciperet tuendas partes. Ab altera parte sollicitabat animum eius pietas in imperatorem, exercitus hostium, qui Marchiam fere omnem occupauerat, huiusque certo imminens ruina: ab altera stimulabat eum libertas oppressa, FRIDERICI, *Palatini*, IOHANNIS GEORGII, *Iægerndorffiensis* aliorumque proscriptio, & necessitudo cum rege Sueciæ. *Annebergæ* ergo cum *Saxone* priuatum habuit colloquium, atque, A. MDCXXXI., *Lipsiensi*, adfuit *conuentui* Euangelicorum. Permoueri autem a *Sueco* nondum poterat, vt ipsius partes sequeretur publice, sed medius esse præoptabat.

Suecis non vult accedere

Suecis Marchiam intrantibus,

Rex autem Suecorum, vbi plurimam Pomeraniæ partem subegerat, intrabat Pomeraniam, cæsareisque pulsis, *Francofurtum*, *Landsbergam*, aliasque expugnabat oppida. Neque his ac-

quiescens copias *Berolino* admouit, vt *Custrinum* & *Spandauia* sibi, securitatis gratia, cum tributo menstruo traderentur, postulans. Deliberationibus igitur per triduum habitis, irritisque suis atque coniugis precibus, vt Marchiæ Suecus parceret, arces dictæ ei tradebantur, triginta mille thaleris singulis mensibus illi quoque numerandis. Offenderat hoc maxime imperatorem: cui, vt afferret rei excusationem, laborabat, necessitatis durum prætexens telum. Mitigari autem non poterat, sed per ducem GOEZIVM in tractum *Cotbusianum* faciebat ingressionem, suæ crudelitatis licentiæque milite plurima vestigia relinquente.

tradit vrbes quasdam

quod offendit cæsarem

Quo facto, *Suecus* in veterem Marchiam ad *Werbenam* militem deduxit opera sua munitam. TILLIVS trans *Albim Suecos* repulsurus, dictam Marchiam summopere adflictam intrat, qua vero inopia commeatus pressus, cogebatur, breui interiecto, excedere. *Lipsiam* ergo expugnat, quæ res incitat *Saxonem*, vt Suecum sibi amicum adiungat, quem deinde GEORGIVS WILHELMVS est secutus. Prœlio ad *Lipsiam* prospere habito, IOHANNES GEORGIVS de ARNHEIM, dux Saxonicus, *Silesiam Bohemiamque* inuadebat, cui expeditioni intererant Brandenburgici milites, sed haud ita prospero successu res istæ agebantur.

Veterem Marchiam Sueci & Tilius intrant

Suecis iungitur

Inter hæc fatis A. MDCXXXII. concedit *rex Poloniæ* SIGISMVNDVS, comitiaque *Warsauiæ* habenda indicuntur. Elector, ADAMO, *comite de* SCHWARZENBERG, regioni præposito, in Prussiam contendit, & exinde oratorem ad comitia legauit, qui rerum suarum haberet rationem, sessione tamen votoque caruit: quamuis coronationi deinde interesset.

Elector petit Prussiam

Ad *Luzenam*, A. MDCXXXI., d. VI. Nouembris, mortem oppetierat in acie GVSTAVVS ADOLPHVS, qua Saxonis Nostrique res in discrimen quoddam coniici videbantur. Redux ergo factus ex Prussia, minis propositis Pontificiorum, indicit, vt, quantum fieri posset, armarentur: cum

Gustauus Adolphus obit

OCH-

OCHSENSTIRNIO quoque de rebus publicis tractandis *Berlini*, A. MDCXXXIII., est collocutus. Victricia inter hæc arma circumferebant cæsarei, eodem anno expugnant *Francfurtum* aliasque vrbes, breui post vero rursus amissas: quo tempore etiam *Spandauiam* recipit elector, Suecis post *Nordlingense* prœlium agentibus res suas mitius.

Marchiam cæsarei intrant.

Spandauia recipitur

Cum A. MDCXXXV. *Pragensis pax* conciliaretur, anceps denuo cogitatio electorem inuadebat. Pomeraniam promittebat cæsar, si ei subscriberet. Metuebat vero victores Suecos, præcipua Marchiæ oppida adhuc tenentes. Accepit tandem leges pacis: quo facto, Saxones & cæsarei Suecos pulsos Marchia persecuti sunt in Pomeraniæ fines vsque, nec exigua tamen clades est illata Marchiæ militaribus hisce turbis.

Pragensi paci subscribit

A. MDCXXXVI., cum Sueci ad *Witstochium*, fugatis cæsareis, recederent superiores, magnis rursus turbis exposita est Marchia, vastitate illi miserum in modum illata, a duce WRANGELIO, cum quo de pace quidem tractabatur: sed nimis asperas ferebat leges. Sequenti anno cæsarei BANNIERVM in Pomeraniam prosequebantur, non sine Marchiæ damno: &, cum Sueci vires, A. MDCXXXVIII., colligerent, repetebant Marchiam armis. Coniectu est facile, quam miserabilis tum Marchiæ fuerit facies. Agri vastabantur misere, fame multi interibant, adeoque terra vastabatur, vt per aliquot milliaria humani non apparerent cultus vestigia, nec, viuo electore, finis adueniebat miseriarum. Quarum ille pertæsus, Marchia abibat, in Prussiam concedens, *Schwarzenbergio* tradito Marchiæ imperio.

Ex Suecorum cæsareorumque irruptione

Marchiæ summa vastitas infertur.

Dux Pomeranorum vltimus BOGISLAVS XIV., A. MDCXXXVII., in viuis esse desierat. Ad electorem nostrum ergo ex antiquis pactis deuenire debuisset Pomerania, cuius possessio ipsi a FERDINANDO III., imperatore, iam confirmata fuerat. Verum cum Sueci armis iam essent superiores sumtusque bello impensos sibi reddi vellent, recusabant excedere Pomera-

Bogislao mortuo

rania occupata, nec ante, quam pace Westphalica hoc omne negotium componi poterat.

Quod ad negotium *Iuliacense* attinet, tuebantur *Cæsarei* & *Hispani Neoburgici* partes; *Bataui* vero GEORGII WILHELMI. Illi occupabant multas vrbes ducatus *Cliuensis*, comitatus *Marcanum* & *Rauensteinensem* cum vrbe *Iuliaco*. A. ergo MDCXXIX., pacta *Dusseldorpii* sunt inita inter Nostrum, cuius legatus erat SCHWARZENBERGIVS, & *Palatinum*, per consequentes viginti & quinque annos duratura, nisi interim de tota re conueniretur. Cum vero de diuidendis prouinciis nouæ orirentur difficultates, arbitris *Batauis*, sequenti anno ita est transactum, vt elector his annis ducatum *Cliuensem* & comitatum *Marcanum*, *Palatinus Iuliacensem* & *Bergensem* ducatus cum dominatu *Rauensteinensi* & *Breskesant* possiderent, *Rauenspergensis* autem comitatus communis esset. Præsidia quoque, paucis exceptis, sunt deducta.

Dusseldorpiensia pacta

mors

Regiomonti, quo elector abierat, appropinquabat tandem vitæ exitus, curarum, quibus mens in tantis turbis constricta fuerat, haud dubie accelerata multitudine. Obiit d. XXI. Nouembris, A. MDCXXXX., damno in pede accepto, postquam vixerat quinque & quadraginta annos, duodeuiginti dies, imperioque viginti annos præfuerat, decem menses & vndetriginta dies.

coniux

Coniugem habuit ELISABETHAM CHARLOTTAM, FRIDERICI IV., *Palatini*, filiam, natam A. MDXCVII., nuptam A. MDCXVI., d. XIV. Iulii, mortuam A. MDCLX., d. XVI. Aprilis. Peperit illa GEORGIO WILHELMO

liberi.

1. LOVISAM CHARLOTTAM, nat. d. III. Septembris, A. MDCXVII., nupt. IACOBO, *duci Curlandiæ*, d. VII. Octobris, A. MDCXLV. mort. d. XXIX. Augusti, A. MDCLXXVI.
2. FRIDERICVM WILHELMVM, successorem.
3. HEDWIGEN SOPHIAM, nat. d. IV. Iulii, A. MDCXXIII., nupt. WILHELMO VI., *Cassellano*, d. IX. Iulii, A. MDCXLIX., mort. d. XVI. Iunii, A. MDCLXXXIII.

4. IOHAN.

4. IOHANNES SIGISMVNDVS, nat. d. XXV. Iulii, A. MDCXXIV., mort. d. XXX. Octobris, e. a.

GEORGIVS WILHELMVS	—	ELISABETHA CHARLOTTA

LOVISA CHARLOTTA	FRIDERICVS WILHELMVS	HEDWIG SOPHIA	IOHANNES SIGISMVNDVS.

FRIDERICVS WILHELMVS,

MARCHIO BRANDENBVRGENSIS,

S. R. I. ELECTOR.

RErum geſtarum amplitudo huic merito conciliauit cognomen *Magni*, orbisque, qua late patet, conſpiratio confirmauit.

natiuitas & educatio. Natus eſt die ſexto Februarii, A. MDCXX. Vt animus formaretur artibus, quæ principis perſonam decent, traditus eſt præſtantiſſimis morum magiſtris, IOHANNI *van der* BVRCH, & IOH. FRIDERICO LEVCHTMARO, dicto KALCKHVN. Conſecuto tempore *Lugdunum* conceſſit, perfecturus ſtudia, quæ ceperat, vſu virorum artium doctrinarumque ciuilium intelligentia celeberrimorum.

imperii initia, Poſtquam rempublicam a morte parentis, A. MDCXXXX., ingreſſus erat, exauctorabat ADAMVM, *comitem de* SCHWARZENBERG, ex cuius arbitrio fere olim imperium omne pependerat. Proteſtantium odio ductus ad imperatoris partes erat propenſior, omnique modo aduerſabatur FRIDERICO WILHELMO, inducias cum *Suecis* pacturo, quæ tandem *Holmiæ*, A. MDCXLI., in biennium inibantur, plurimas ciuitates, quas adhuc tenebant, *Suecis* reddentibus. *induciæ Holmienſes*

Pp Pruſ-

Prusſiam petit

Pruſſiæ confirmationem petiturus, ipſe *Varſauiam*, A. MDCXLI., demigrauit, inſigni ſtipatus pompa. Ea tamen Polonis concedere debebat, quæ imperio eius multum detrahebant. Sed vltimum hoc erat, quod præſens rogaret confirmationem: nam a IOHANNE CASIMIRO, mortuo VLADISLAO IV., A. MDCXLIX., per legatum deinceps eam petiit: neque ita multo ſupremum imperium obtinuit.

Osnabrugam legatos mittit,

Cum bello illi funeſto, quod per ſex luſtra Germaniam vaſtauerat vehementer, componendo animum principes, belli pertæſi, adiicerent, FRIDERICVS etiam WILHELMVS, A. MDCXLV., legatos miſit ſuos *Oſnabrugam*, in quibus erat præcipuus IOHANNES, *comes de Witgenſtein.* De *Pomerania* multum certabatur, Suecis, ob compenſandos ſumtus, tradenda: ſummo quidem elector refragabatur opere, ſed incaſſum, nullamque ab imperii principibus opem ſibi poterat promittere, ad quos id damnum minime pertinebat. Neceſſitati igitur vt obtemperaret, Suecis tradere debebat *Pomeraniam citeriorem*, cum inſula *Rugia:* præter hæc Suecus ſibi vindicabat reliquæ Pomeraniæ poſſeſſionem, ſi quando elector, maſculo herede deſtitutus, decederet. *Vlteriorem Pomeraniam* Noſter obtinebat. Amiſſæ vero partis iactura vt compenſaretur, cedebat ipſi archiepiſcopatus *Magdeburgenſis*, ducatus nomine, adminiſtratore AVGVSTO mortuo, occupandus, præter hunc epiſcopatus *Halberſtadienſis* & *Mindenſis*, quartaque pars redituum, qui canonicis ſunt proprii: *Caminenſis* vero epiſcopatus, canonicis ſublatis, vt plane ſibi redderet vectigalem, dabatur: quibus adiiciebatur *comitatus Hohenſteinenſis.* A. MDCLIII., die quarto Maii, de eodem negotio *Stetini* agebatur, finesque vtriusque Pomeraniæ diſpenſabantur, Suecis quoque facta expectatione poſſidendæ *nouæ Marchiæ*, quæ pars fuerat olim *Pomeraniæ*, ſi quando elector herede orbus ex hac vita migraret.

Suecus Pomeraniam citeriorem, elector ulteriorem accipit, cui vero aliqua compenſatio facta.

Iuliacenſes

In *Iuliacenſi* cauſa nouæ oriebantur diſſenſiones, *Palatino* euan-

euangelicos, qui regiones Iuliacenſes inhabitabant, infeſtante, quos defenſurus FRIDERICVS WILHELMVS, armatus eas terras intrabat. Spectabat res ad bellum, cum *Neoburgicus* a *Lotharingico* milite adiuuaretur, eiusque cum electore colloquium exiſteret irritum. Arbitro tamen per legatos imperatore res omnis eſt compoſita, interque eos conuenit, acquiescendum eſſe pacificationibus, ante hac factis. A. tandem MDCLXVI., die nono Septembris, pax inter vtrumque plene eſt conſtituta, perpetuo duratura. Lis de poſſidendis regionibus Iuliacenſibus plane dirimitur hoc modo: *vterque pleno titulo earum vti poteſt: elector ducatum Cliuenſem, cum comitatibus Marcano & Rauensbergenſi: Neoburgicus ducatum Iuliacenſem & Bergenſem obtinet cum dominiis Winnenthal & Breſkeſant: Rauenſtein A. MDCLXXI., tradebatur Neoburgico, qui de iure in comitatum Meurſenſem decedebat.* Ipſe imperator tandem, die quarto & decimo Decembris, ratam firmamque habuit iſtam transactionem.

diſſenſiones componuntur pacificatione.

Cum inter CAROLVM GVSTAVVM, *Sueciæ*, & IOHANNEM CASIMIRVM, *Poloniæ, reges*, bellum conflaretur, litigantibus quidem ſe interponebat Noſter, pacem conciliaturus: ſed inanis adhibebatur opera. Vt igitur tuendæ *Pruſſiæ* haberet rationem, fœdere coibat A. MDCLV. cum *Batauis*: opem tamen, quam petebat ab imperatore, non poterat accipere. Non autem tantum ab ea Pruſſiæ parte, quæ ipſi eſt ſubiecta, ſed & iſta, quæ *Polonis* paret, prohibere Suecos conabatur, quæ res adeo IOHANNI CASIMIRO placebat, vt ſupremum Pruſſiæ imperium ei offerret. Sed vis Suecorum ingraueſcens interuertebat hæc conſilia, quibus, omni ferme Polonia expugnata, elector erat impar, & cogebatur, A. MDCLVI., a rege Suecorum *Regiomonti* beneficii loco *Pruſſiam*, adiecto epiſcopatu *Warmiæ*, ducatus nomine, accipere. Quo facto, iram *Polonorum*, *imperatoris*, *Batauorumque* offenſionem ſibi elector contrahebat. Vt vero Germaniæ prouinciæ

In bello Polonico Suecis cogitur ſe adiungere.

foedus cum Gallis facit. ciæ essent expertes periculi, eodem anno foedus, A. MDCLVI., coniungebat elector cum *Gallorum* rege, qui securitatem præstaret illarum electori.

Quæuis malorum genera FRIDERICO WILHELMO *Poloni* minitabantur, implacabilem plane animum ostendentes: quæ omnia vt auerteret, simulque eo citius huic bello finis imponeretur, cum rege *Suecorum*, A. MDCLVI., die quinto & decimo Iunii, *Mariæburgi* foedere coniungebatur *post proelium Varsauiense* arctiori. Polonos igitur hoc facto persequebantur, qui *Warsauiam* recuperauerant, in cuius vicinia celeberrimum illud *prælium Warsauiense*, d. XVIII, XVIV, & XX. Julii, est commissum, quatuor millibus Polonorum, qui victoriam animo iam præceperant, interfectis, ex aduersa vero parte vix quadringentis desideratis. Sueci cum Nostri operam sibi tam vtilem necessariamque esse animaduerterent, supremum ipsi *ei supremum Prussiæ imperium traditur* imperium Prussiæ obtulerunt, rediturum tamen ad Suecos, haud superstite herede masculo, quod ratum habebatur die decimo Nouembris, A. MDCLVI., in *tractatu Labiauiensi.* Quoniam vero Suecos nouus hostis *Danus* infestabat, Polonique *quod a Polonis, quibus adiungebatur, etiam accepit.* in Marchiam fecerant excursionem, curandum erat electori, vt ab his liberaretur, neque a Sueco plane destitutus tandem solus Polonis esset iræ victima. Sequenti ergo anno, die vndeuicesimo Septembris, Poloni cum Nostro conciliabantur *pacificatione Velauiensi*, quae *Brombergæ*, siue *Bydgostæ*, est confirmata. *Varmiam* quidem restituebat Polonis, supremum tamen Prussiæ retinebat imperium: quod, limitatum tamen feudi nexu, peruenire etiam debebat ad Franconiæ marchiones ex stirpe Brandenburgica prognatos, post interitum stirpis electoralis. *Lauenburgum* & *Butouia*, clientelari tamen titulo, et *Elbinga*, (quæ acceptis quadringentis millibus thalerorum Polonis reddenda erat) ipsius accedebant imperio: promittebatur præterea, viribus coniunctis se Polonia Suecos esse electuros. Vt vero a Suecis eo tutior esse posset, fœdere sibi copu-

copulabat *Danos*, die trigesimo Octobris, A. MDCLVII., & LEOPOLDVM, *regem Vngariæ*, die vicesimo septimo Februarii, A. MDCLVIII. Omni ergo ope Danis auxilium præstiturus, *Pomeraniæ* partem expugnabat, oppugnabat Suecos in *Holsatia*, *Prussia* eiiciebat. *Oliuæ* tandem est bellum compositum, die vicesimo secundo Aprilis, A. MDCLX., ereptaque cuiuis sunt reddita. Sexennio post Suecorum rex societatem cum Nostro fecit, supremum ei Prussiæ imperium competere agnouit, securitatemque mutuam regionibus, pace Westphalica quæsitis, erat vterque mutuo præstiturus.

Pomeraniam inuadit, pax Oliuensis foedus cum Suecis factum,

Supremo imperio electori concesso, metuebant Prussi de priuilegiis suis, concitabatque HIERON. RHODIVS turbas *Regiomonti*, ita, vt *Suecorum* auxilia circumspiceret. Elector autem Prussiam petens, RHODIO carceri mancipato, sacramento in fidem suam ordines ciuesque, die duodeuicesimo Octobris, A. MDCLXIII., accepit, præsentibus Polonicis legatis.

turbæ Regiomontanæ,

Constituerat LVDOVICVS XIV., rex Galliæ, *Belgii fœderati* prouincias sui facere iuris, iisque bellum, A. MDCLXX., inferebat. Quod vt ab ipsis elector auerteret, impense quidem, sed frustra, studebat. Illarum ergo saluti consulturus, fœdus biennio post cum *Batauis* & imperatore coniunxit, pollicens, se viginti mille milites Batauis esse missuros auxilio, quod & deinceps præstitit. Quoniam vero felicitas consilia *Gallorum* excipiebat, nec Batauorum tantum, sed & electoris vrbes *Cliuenses* expugnabant, nec præterea satisfaciebant promissis *Batauo*, *Cæsarei* quoque discedere conabantur, *Vossemi*, die decimo Iunii, A. MDCLXXIII., cum *Gallis* faciebat pacem, in qua vrbes Cliuenses, quas tenuerant Batavi præsidio, Galli autem illis eripuerant, restituebantur electori, iure præsidii adempto Batauis. Cui paci vt suus constaret vigor, dabat quidem elector vnice operam: verum, cum rex Galliæ *Palatinatum Alsatiamque* armatus intraret, inuito illo, die vicesimo primo Iunii, A. MDCLXXIV., cum *imperatore*, *Hispanis*, *Bata-*

contra Gallos Batauis fert auxilia, pax Vossemensis, renouat bellum contra Gallos.

Batauisque inibat fœdus, adductis ab ipso electore viginti millibus lectissimorum militum in *Alsatiam* ad agmen sociorum.

Sueci Marchiam inuadunt,

Dum vero hæc gerebantur, *Sueci* quid molirentur contra electorem, protulerunt in apertum. Illi enim senescente A. MDCLXXIV. duce WRANGELIO, *Gallorum* persuasionibus allecti, e *Pomerania* in *Marchiam* militem deducebant, absenteque electore, suoque duce ægro, magna clade licentia sua militari attriuere Marchiam. Quibus cognitis, elector copias suas ex *Alsatia* mouit *Magdeburgum* versus, vbi die vndecimo Iunii, A. MDCLXXV., aduenit, qua clam egrediens, post tertium diem, *Suecos Rathenouiæ* grauiter concussit, prœlioque, die duodeuicesimo Iunii, prope *Fehrbellinum* commisso, Marchiæ finibus plane eiecit.

quos Marchia pellit,

Hostilem animum cum hac ratione *Suecus* ostendisset in Germaniam, imperii hostis publicus declarabatur, inferebaturque illi simul bellum. Isto igitur noster fœdere A. MDCLXXVI. cum Danis intrabat *Pomeraniam*, & præter alias vrbes expugnabat, A. MDCLXXVII., *Stetinum*, atque, A. MDCLXXVIII., *Stralsundam*, quæ, igne plurimo iniecto, sex & decem horarum spatio, subiicere se ei cogebatur.

Pomeraniam capit,

Sueci Prussiam inuadunt

Pulsi hunc ad modum *Sueci* Germania, *Prussiam* inuadebant, damnum illatum ita reconcinnaturi, multis occupatis vrbibus. Repressurus hostem elector, A. MDCLXXVIIII., sæuissima licet esset hiemis tempestas, citato agmine, eo venit. De cuius aduentu hostis cum cognouisset, auferebatur fuga: minutis tamen prœliis aliisque cladibus ita est attritus, vt ex sedecim millibus Suecorum vix mille integri in *Liuoniam* remigrarent.

quibus inde pulsis,

Persequi eam victoriam elector minime poterat, cum fœderati, discessione ab eo facta, cum *Gallis*, A. MDCLXXVIIII, pacem *Neomagi* inirent. Qua facta, *Galli*, vt salutem *Suecis* afferrent, inuadebant *Cliuenses* terras, imo, in *Westphaliam* vsque penetrabant. Sociis destitutus FRIDERICVS WILHELMVS, tanto hosti vnus sufficere haud poterat.

Galli Cliuenses terras inuadunt.

Ad

Ad concordiam igitur pacemque animum conuertere debebat, quæ &, variis colloquiis habitis, constituta tandem est in *fano S. Germani*, A. MDCLXXVIIII, die nono & vicesimo Iunii. *Suecis* in ea reddebantur, quæ ipsis nuper ademta, pace autem *Westphalica* in eorum venerant ditionem: *Galli* autem promittebant, se spatio nouem mensium ipsi trecenta millia thalerorum soluturos.

quo facto, elector pacem facere cogitur,

Quibus omnibus positis, arma nunc in *Hispanos* conuertebat elector. Illi enim certum pecuniæ pondus olim, subsidii præstandi causa, ipsi fuerant polliciti: neque vero steterant adhuc promissis, ita, vt soluenda pecunia in octingentorum millium thalerorum summam excreuisset. Persequi ius suum armis conabatur: ante autem cum *Gallis* fœdus faciebat, terris *Cliuensibus* hostem prohibituris. Octo ergo naues iubebat armari, quæ nauim Hispanicam, pretiosissimis rebus oneratam, e portu *Ostendano* eripiunt, duasque alias in *America*. Quod cum ægre ferret rex Hispaniæ, consilii sui rationes literis ipsi declarabat.

Hispanis naues eripit,

In medio bellorum strepitu haud tamen abiiciebat curam literarum amplificandarum. A. enim MDCLV., die quarto Octobris, condidit *academiam Duisburgensem*, cuius inaugurationi cum ob *Suecorum* exercitum *Prussiæ* fines constantem haud posset interesse, MAVRITIVS, *Nassouiæ princeps*, *Cliuensis* præfectus, eius nomine illam initiauit, locupletauitque vectigalibus, ex quibus doctoribus stipendium erat subministrandum.

Duisburgensis academia conditur,

Cum *Turci*, impetu in *Hungariam* facto, *Waradinum* expugnassent, non opem tantum Noster rogabatur a cæsare, sed et, vt copiis in Turcos mittendis præesset. Abesse autem cum regionibus suis elector non posset, bis mille milites in *Hungariam*, A. MDCLXIII., misit, quibus præfectus erat OTTO CHRISTOPHORVS *de* SPARE, eorumque opera eluxit in obsidione *Nitriæ & Leuenzæ* prœlioque cum Turcis conserto.

contra Turcos mittit militem,

Vrbs *Magdeburgensis* in comitiis Ratisbonensibus varia

Magdebur-

moli-

gensés in fidem accipit. molita erat inimica commodis electoris. Affectabat vrbis imperialis dignitatem; atque segregari ab archiepiscopatu cupiebat. Elector cum administratore archiepiscopatus AVGVSTO sociatis consiliis vrbem præsidio occupauit, adegitque A. MDCLXVI. ciues, vt, religione pietatis præstita, fidei eius se permitterent. AVGVSTO tandem, A. MDCLXXX., mortuo, plane suæ vrbem subiecit potestati cum vicino tractu, obtinuitque in comitiis votum & sessionem.

Tartarorum legatus ad eum venit. Penetrauerat fama Nostri ad principem vsque *Tartarorum* MVRAD KIERAI, qui testaturus suum in illum affectum, oratorem ASSEM AGA misit, A. MDCLXXIX., *Berolinum*, significaturus illi imperii, quod capessiuerat, exordium, atque de rebus tam prospere gestis simul gratulaturus. Leuia, quæ afferebat, dona pretiosis compensabantur muneribus.

Frisiam tegens A. MDCLXXXI. commendabantur FRIDERICO WILHELMO, *episcopo Monasteriensi*, *ducique Neoburgico*, *ordines Frisiæ*, vt immunitates eorum contra comites tueretur, nec aliena illi circumspicerent auxilia. Res ea occasionem dabat constituendae *societati Africanæ*, quæ commercium in *Guineam* vsque instituebat, sedemque habebat *Embdæ*. *Galli* quidem & *Bataui* ægre id ferebant: nihilo tamen minus OTTO FRIDERICVS de GROEBEN cum nauium parte eo mittebatur, vt mercatum confirmaret. Consentientibus iste incolis, regionis arcem *Grosfridrichsburg*, A. MDCLXXXIII., excitabat, atque cum vicinis faciebat amicam coniunctionem. *societatem Africanam Embdæ instituit.*

Posteaquam *Turci Hungariam* occupauerant, conuertebant etiam arma in *Germaniam*, cingebantque obsidione A. MDCLXXXIII. *Viennam* imperii sedem. Imperator igitur, qui cum optimatibus ea iam excesserat, discrimini se subtracturus, electorem poscebat auxilium. Qui, vti semper fuerat publicæ salutis conseruandæ percupidus, armabat duodecim millia militum, quibus præerat IOHANNES GEORGIVS, *Viennæ obsessæ vult opem ferre*

GIVS, *Dessauiensis.* Verum legatus Gallorum REBENACVS, qui *Monachii* morabatur, sparserat rumorem, has copias occupaturas Silesiæ ducatus, *Lignitiensem, Brigensem & Velauiensem*, quos elector sibi vindicabat. Imperator id credens, eorum operam non adhibuit ad Turcos ab obsidione repellendos. Tamen A. MDCLXXXVI., duce IOHANNE ADAMO de SCHOENING, octo mille milites manu promtissimos misit in *Vngariam*, qui in expugnanda *Buda* fortissime pugnauere, virtutemque eorum ipse imperator, literis ad electorem datis, extulit laudibus.

in Vngariam mittit milites

Cum A. MDCLXXXV., LVDOVICVS XIV., *Gallorum rex*, *reformatos* dirissime persequeretur, exulibus noster tutum in suas regiones receptum permittebat: VICTOREM quoque AMADEVM II., *Sabaudiæ ducem*, obsecrabat, vt Galliæ & vallium *Pedemontanorum* incolis contra Gallorum vexationes esset patrocinio, aut trasitum per suas concederet regiones.

exules Gallos excipit

A. MDCLXXXVI., cum imperatore & rege *Sueciæ* societatem iungebat, pertæsus superbiæ Gallicæ. Securitas atque pax Germaniæ erat illa conseruanda, contra omnes *Gallorum* violationes violentas iniustasque. In hoc tractatu electori loco ducatuum *Silesiæ* memoratorum *tractus Suibasiensis* concedebatur, tanquam *Bohemiæ* feudum: iure tamen haud concesso excitandi arces munitas, promissaque ab electore conseruatione intemerata priuilegiorum, quibus ordines gaudebant Suibusienses. Amicus ergo licet esset vehementer cæsari, *fœderi* tamen *Augustano* inter illum & superioris Germaniæ ordines icto nolebat aggregari, ne a Gallis plane segregaretur,

foedere cum imperatore facto, Suibusium obtinet.

CHRISTIANO V., *regi Daniæ*, cum CHRISTIANO ALBERTO, *duce Holsatiæ*, A. MDCLXXXV., & MDCLXXXVI., intercedebant quædam contentiones: quo autem perniciosum belli incendium deleretur, elector summam adhibebat operam.

Holsaticas turbas sopire conatur.

A. MDCLXXXVII., *Russorum princeps* PETRVS, legato ad eum misso, certiorem faciebat belli inter *Polonos Russosque* ex-

Russicus legatus ad eum venit.

Qq

extincti, simul ipsum sollicitans ad societatem secum contra *Turcos Tartarosque* coniungendam, quod autem recusabat.

cum VVeissenfelsensi facta pacificatio. Eodem anno, pacificationem fecit cum IOHANNE ADOLPHO, *duce Weissenfelsensi*, de *Querfurtensi* principatu. Hic feudum olim fuerat archiepiscopatus *Magdeburgici*, per pacem vero *Pragensem* & *Westphalicam* in *Saxonicam* peruenerat potestatem, tandem traditus testamento domui *Weissenfelsensi*. Postulabat elector dominium illius directum, de quo autem Weissenfelsensis nolebat discedere. Tandem inter eos hoc pacto conuenit: *electori cedebat vrbs Burgum, Querfurtum, Dama & Iutreboga, Weissenfelsensi, qui adhuc quatuor & triginta mille thaleros accipiebat, expectationemque nostro concedebat reliquarum trium vrbium aliquando obtinendarum.*

mors Articulari morbo per multos annos fuerat vexatus: demum aqua intercute laborare cœpit, qua etiam *Potstamii*, obiit die nono & vicesimo Aprilis, A. MDCLXXXVIII.

Hic fuit vitæ cursus exitusque herois factorum magnitudine imperiique diuturnitate incomparabilis, quem amici venerabantur, hostesque metuebant, cuius memoriam annorum consequentium ætas excipiet, ad posteritatemque propagabit.

coniuges Duas habuit coniuges,

I. LOVISAM HENRIETTAM, HENRICI FRIDERICI, *Arausionensis*, filiam natu maiorem, nat. d. XXVII. Nouembris, A. MDCXXVII., nupt. d. VII. Decembris, A. MDCXLVI., mort. d. VI. Iunii, A. MDCLXVII. Ea in lucem editi sunt

liberi 1) WILHELMVS HENRICVS, nat. d. XI. Maii, A. MDCXLVIII., mort. d. XX. Octobris, A. MDCXLVIIII.

2) CAROLVS AEMILIVS, nat. d. VI. Febr., A. MDCLV., princeps magnæ expectationis, mortuus in bello contra *Gallos* versans *Argentorati*, d. XXVII. Nouembris, A. MDCLXXIIII.

3)

3) FRIDERICVS, rex primus Prussiæ.
4) HENRICVS } gemelli, nat. d. VI. Nouembris, A.
5) AMALIA
MDCLXIV., moriuntur { d. X. Nouembris, e. a. / d. XII. Ian., A. MDCLXV.

6) LVDOVICVS, nat. d. XXVIII. Iunii, A. MDCLXVI., nupta ei erat, d. XXVIII. Decembris, A. MDCLXXX., *Regiomonti*, LOVISA CHARLOTTA, vnica filia BOGISLAI RADZIVILII, quæ LVDOVICO, d. XXVIII. Martii, A. MDCLXXXVII., mortuo, dein iungebatur CAROLO PHILIPPO, *Neoburgico*, d. XXIV. Iulii, A. MDCLXXXVIII, & a partu, d. XXVI. Martii, A. MDCXCV., obiit.

II. DOROTHEAM, filiam PHILIPPI, *ducis Holsato-Glucksburgensis*, & viduam CHRISTIANI LVDOVICI, *ducis Cellensis*, nat. d. XXVIII. Sept., A. MDCXXXVI., nuptam d. XIII. Iunii, A. MDCLXVIII., mortuam d. VI. Aug., A. MDCLXXXIX., in thermis *Carolinis*. Peperit illa

1. PHILIPPVM WILHELMVM, d. XIX. Maii, A. MDCLXIX., ducebat coniugem, d. III. Febr., A. MDCLXXXXVIIII., IOHANNAM CHARLOTTAM, IOHANNIS GEORGII, *Anhaltino-Dessauiensis*, filiam, mortuus *Sueti*, d. XVIIII. Decembris, A. MDCCXI. Liberos habuit.
   1. FRIDERICAM DOROTHEAM, n. d. XXIIII. Febr., A. MDCC., mort. d. VII. Febr. A. MDCCI.
   2. FRIDERICVM WILHELMVM, nat. d. XXVII. Decembris, A. MDCC.
   3. MARIAM HENRIETTAM, n. d. II. Martii, A. MDCCII., nuptam *principi* hereditario *Wurtenbergico*, FRIDERICO LVDOVICO, d. VI. Decembris, A. MDCCXVI.
   4. GEORGIVM WILHELMVM, n. d. X. Martii, A. MDCCIV., mort. d. XXVI. Martii, e. a.
   5. Filiam, iam partu mortuam, d. XI. Octobr. A. MDCCV.

6. FRIDERICVM HENRICVM, nat. d. XXI. Aug., A. MDCCIX.

2. MARIAM AEMILIAM, nat. d. XVIII. Nouemb., A. MDCLXX., nuptam CAROLO, *Gustrouiensi* duci, d. VIII. Aug., A. MDCLXXXVII., &, hoc mortuo, d. XXVI. Iunii, A. MDCLXXXVIIII., MAVRITIO WILHELMO, *duci Cizensi*, qui obiit, d. XIIII. Nouembris, A. MDCCXVIII.

3. ALBERTVM FRIDERICVM, nat. d. XIIII. Iunii, A. MDCLXXII., coniugem duxit MARIAM DOROTHEAM, filiam FRIDERICI CASIMIRI, *Curlandiae ducis*, nat. d. XXIII. Iulii, MDCLXXXIIII., nupt. d. XXX. Octobris, A. MDCCIII. Fruitur ex A. MDCXCVI., d. VII. Febr., dignitate *magistri supremi ordinis equitum S. Iohannis*. Liberi ei sunt nati.

1. FRIDERICVS, n. d. IX. Aug., A. MDCCIV., mort. d. XV. Iun., A. MDCCVII.
2. CAROLVS, n. d. III. Iun, A. MDCCV.
3. ANNA SOPHIA CHARLOTTA, n. d. XXII. Dec., A. MDCCVI., nupta WILHELMO HENRICO, *duci Isenacensi*, d. III. Iunii, A. MDCCXXIII.
4. LOVISA WILHELMINA, nat. d. XI. Maii, A. MDCCIX., mort. d. XIX., Febr., A. MDCCXXVI.
5. FRIDERICVS, n. d. XIII. Aug., A. MDCCX.
6. SOPHIA FRIDERICA ALBERTINA, n. d. XXII. Aprilis, A. MDCCXII.
7. FRIDERICVS WILHELMVS, n. d. XXVIII. Martii, A. MDCCXIV.

4. CAROLVM PHILIPPVM, n. d. XXVI. Dec., A. MDCLXXII., electus est, d. XXII. Febr., A. MDCLXXXXIII., *supremus magister ordinis Iohannitarum*, in *Italia* contra *Gallos* pugnans, in obsidione *Casalensi* obiit, d. III. Iul. st. v. A. MDCLXXXXV.

5. ELISABETHAM SOPHIAM, n. d. XXVI. Martii, A. MDCLXXIV., nuptam

(1) FRI-

(1) FRIDERICO CASIMIRO, *duci Curlandiæ*, die XIX. April., A. MDCLXXXXI., qui obiit, d. XII. Ian., A. MDCLXXXXVIII.

(2) CHRISTIANO ERNESTO, *marchioni Baruthino*, d. XXX. Mart., A. MDCCIII., mortuo, d. X. Maii, A. MDCCXII.

(3) ERNESTO LVDOVICO, *duci Meinungensi*, d. III. Iunii, A. MDCCXIV., mort. d. XXVII. Nou., A. MDCCXXIV.

6. DOROTHEAM, n. d. XXVII. Maii, A. MDCLXXV., mort. d. I. Sept., A. MDCLXXVI.

7. CHRISTIANVM LVDOVICVM, n. d. XXIV. Maii, A. MDCLXXVII., præpositus templi cathedralis Magdeburgensis & Halberstadiensis, huiusque principatus gubernator.

TABVLA GENEALOGICA.

Liberi vtriusque matrimonii.

I. FRIDERICVS WILHELMVS —— LOVISA HENRIETTA

WILHELMVS HENRICVS	CAROLVS AEMILIVS	FRIDE-RICVS	HEN-RICVS	AMALIA	LVDOVI-CVS.

II. FRIDERICVS WILHELMVS —— DOROTHEA

PHILIP-PVS WIL-HELMVS	MARIA AEMI-LIA	ALBERTVS FRIDERI-CVS *	CAROLVS PHILIP-PVS	ELISA-BETHA SOPHIA	DORO-THEA	CHRISTI-ANVS LVDO-VICVS.

(PHILIPPVS WILHELMVS:)

FRIDERI-CA DORO-THEA	FRIDERI-CVS WIL-HELMVS	MARIA HEN-RIETTA *	GEORGIVS WILHEL-MVS	FRIDERICVS HENRICVS

ALBERTVS FRIDERICVS

FRIDERI-CVS CA-ROLVS	ANNA SO-PHIA CHAR-LOTTA	LOVISA WILHEL-MINA	FRIDE-RICVS	SOPHIA FRI-DERICA AL-BERTINA	FRIDERI-CVS WIL-HELMVS.

FRI-

FRIDERICVS III,

MARCHIO BRANDENBVRGENSIS,

S. R. I. ELECTOR,

REX PRIMVS PRVSSIAE.

Defuncto FRIDERICO WILHELMO, summa rerum perueniebat ad FRIDERICVM III., vti paternæ virtutis, ita gloriæ possessionumque dignissimum heredem, sapientiæ laude omnem peruagatum orbem.

natiuitas Nascebatur d. XI. Iunii, stil. vet., A. MDCLVII. *Regiomonti Prussiæ*, qui locus non tantum vitæ dabat initia, sed & imperii auspicia præclara promittebat eo anno, quo pater imperium *Prussiæ* supremum obtinebat.

educatio Egregium istud cœli munus vt virtutibus principe dignis imbueretur, iniungebatur animi formandi cura OTTONI de SCHVLRIN & EBERHARDO de DANCKELMANN, quæ res adeo feliciter processit, vt virtus ingenerata in multam dein prodierit lucem. Neque rei militaris omnino studium intermisit: eius enim tirocinia deposuit sub patre, *Suecos* in *Pomerania* & *Rugia* persequente.

certamina singularia prohibet Rerum potitus publicam sibi tranquillitatem curæ esse statim ostendit. Edixit enim d. VI. Aug., A. MDCLXXXVIII, ne quis in posterum cum aliquo certamine congrederetur singulari, digladiantiumque effrenatam proteruiam hoc modo compressit.

VVilhelmo Angliam occupanti. *Angliæ* regnum tum intemperanti IACOBI imperio premebatur: cuius *Angli* pertæsi, aliam circumspiciebant regem. Ad WILHELMVM *Arausionensem*, ex æquo ius succedendi pertinebat: quod sibi vindicaturus sociebat ille cum FRIDERICO arctissimam societatem. Oratore WILHELMVS utebatur WIL-

HEL-

HELMO de BENTINCK, ad *comitis de* PORTLAND dignitatem dein promoto, atque sex mille milites auxilio illi a FRIDERICO promittebantur. Neque ita multo post ipsi principes mense Octobris A. MDCLXXXVIII., *Mindæ* colloquebantur. Quo facto, quos promiserat, milites misit in *Angliam*, in cuius defendenda salute eorum opera extitit egregia.

fert opem

Cum LVDOVICVS XIIII. bello oppugnaret *Germaniam*, ille FRIDERICVM speciosis per GRAVELLVM oblatis commodis sibi studebat adiungere: sed Germaniæ studiosior, iniit cum *Batauis* societatem, & cum *Saxone*, *Cassellano* & *Luneburgico Magdeburgi* de *Rhenanis* regionibus defendendis habuit colloquium, nec quicquid intermisit, quod ad commoda publica pertinebat. Vastabant deinceps *Galli* terras *Palatinas* atque *Colonienses*: quos vero IOHANNES ADAMVS *de* SCHOENING milite suo, quem FRIDERICVS eo miserat, fortiter exceptos profligauit prope *Rheinbergium* atque *Nouesium*. FRIDERICVS autem ipse eo abiit militatum, atque, A. MDCLXXXIX., *Rheinbergam*, *Cæsarisuerdam*, *Bonnamque* multo milite armatam fortissima expugnatione hosti eripuit, omni tamen periculo, cui nullus parcebat, Numinis exemtus benignitate. Verum, nec hic victoriæ finis erat: *Hispanicum* enim *Belgium*, cui Galli erant infesti, petens, hostium retardauit impetum, effecitque, quo minus vlterius progrederentur.

contra Gallos

militat

ipse Gallis vrbes fortiter eripit.

Superbia igitur Gallorum ad eum modum per ipsum repressa, patrias regiones, quæ eius præsentiam flagitabant, repetebat. A cura salutis publicæ tamen haud recessit, sed fortissimum semper aluit militem, qui in *Germania*, *Belgio* atque *Italia* inuicti roboris crebro dedit specimina, præcipue autem, A. MDCXCV., in expugnatione *Namurci* atque *Casalis*

militem contra Gallos alit.

Quam præstiterat *Germaniæ* pietatem, *Gallos* debellando, eam quoque ostendebat exorto *Turcico* bello. Rogatus enim a LEOPOLDO, qui probe nouerat virtutem militis Brandenburgici, A. MDCXCI., sex mille milites, duce IOHANNE

in Turcos mittit copias,

GEOR-

GEORGIO *de* BARFVS, eo mittebat, tam fortiter in prœlii concursu ad *Salankemum* die vndeuicesimo Septembris pugnantes, vt egregiam laudem a LVDOVICO, *marchione Badensi*, literis ad nostrum datis, promeruerint. Annis secutis perseuerauit in auxiliis, tam contra *Gallos*, quam *Turcos*, ferendis, ad eum finem, quoad *Rysmici* A. MDCXCVII., quo WOLFGANGVM L. B. de SCHMETTAW & NICOL. BARTHOL. de DANCKELMANN legauerat, & *Carlowizii*, biennio post, bellum componeretur.

Cum LEOPOLDVS de successore legendo cogitaret, suffragiis omnibus IOSEPHVS *rex Vngariæ* A. MDCXC. destinabatur, cui electioni per legatos SYLVESTRVM IACOBVM & NICOLAVM BARTHOL. L. B. *de* DANCKELMANN, FRIDERICVS intererat, atque coronationi, *Augustæ Vindelicorum* factæ. Quo anno etiam *Prussos* in fidem accipit, apparente LVBOMIRSKIO *Polonorum* nomine, Prussiamque ipsis vindicante, si stirps Brandenburgica aliquando herede masculo deficeretur, sacramento a Prussis simul illis dicto.

& legatos ad electionem Iosephi, ipse petit Prussiam.

Quos Gallorum furor non suis tantum, sed & *Palatinis* prouinciis exegerat, benigne excepit, collatis in ipsos multis immunitatibus: præter ea vero etiam *Russorum* principi causam eorum commendauit, qui inde motus, publice exules hos in suas terras aduocauit, commode istic habitandi eis facta potestate.

exules accipit

IOHANNI GEORGIO IV., *Saxoni*, nuptias conciliabat cum ELEONORA, IOHANNIS FRIDERICI, *Anspacensis*, vidua quibus *Torgauiæ* A. MDCXCII., aderat, atque ordo amicitiæ instituebatur, post *Berlini* confirmatus, quo Saxo venerat, ordinis signo in igne, qui arte erat præparatus, proposito.

amicitiam iungit cum Saxone.

Rex *Danorum* A. MDCXCII. *Razeburgum*, igne iniecto, sibi conabatur subiicere, *Luneburgicum* militem, eam obtinentem, inde expulsurus. Has autem turbas cum aliis imperii principibus

Razeburgenses turbas conatur comprimere,

pibus FRIDERICVS componebat, PAVLO FVCHSIO, legato, ad Danum misso.

condit academiam Halensem.

Studii, quo in literas rapiebatur, mirifici significationes, nunquam intermorituras, dedit A. MDCXCIV., condita *academia Halensi*, quae ad nostram vsque memoriam artium cultura virorumque doctorum incremento nobilitatur. Ipse, die primo Iulii, qui natalis eius erat, intererat publicae inaugurationi, multo grege aulicorum comitatus, dabatque illi rectorem FRIDERICVM WILHELMVM, tum iuuentutis principem, nunc Regem Serenissimum.

Schwibusio reddito caesari, accipit Limburgum.

Secuto anno *tractum Schwibusiensem* reddidit LEOPOLDO, acceptis centum millibus thalerorum, atque confirmato iure possidendi aliquando terras comitatus *Limpurgici*, in *Franconia Sueuiaque* sitas. Illud iam ante ei concesserat, ob egregiam in *Gallos* & *Turcos* praestitam operam, A. MDCXCIII., cum VOLRADVS, comes, cum fratre GEORGIO EBERHARDO adhuc viueret: confirmauit etiam A. MDCCVI. IOSEPHVS.

In Prussia in legatis eum salutat Petrus, Russorum princeps.

Cliuiam A. MDCXCVI. profectus est, salutante ibi illum *rege Angliae* atque *duce Cellensi*: secuto vero anno in *Prussiam* demigrabat, quo legati *Russorum* principis adueniebant, in quibus vero, dissimulato nomine, ipse PETRVS, monarcha, latebat, magnifico apparatu a FRIDERICO acceptus. Amicitiam iungebat cum Nostro, breui post *Berlini*, quo aduenerat, firmatam.

a Saxone terras quasdam emit.

Anno consecuto a FRIDERICO AVGVSTO, *Saxone*, pretio trecentorum & quadraginta millium thalerorum emebat *aduocatiam Quedlinburgensem*, *praeturamque Nordhusanam*, atque *praefecturam Petersbergensem*. Et, quamuis *abbatissa Quedlinburgensis* deminuta iura sua esse putaret, nihilque non moueret, quod hanc venditionem posset euertere, omni tamen opera confirmabat ius suum, militeque *Quedlinburgum* A. MDCXCVIII. occupabat.

Cum

Cum in eo esset, vt FRIDERICVS AVGVSTVS *Polonorum rex* crearetur, omnem mouebat lapidem, vt ex voto illius tam arduum componeretur negotium, misso ob id PAVLO FVCHSIO *Varsauiam*, licet *principis de* CONTY sectatores alia quæuis molirentur. Breui interposito, in *Prussiam* contendit rerum *Curlandicarum* causa, (obierat enim *dux Curlandiæ* FRIDERICVS CASIMIRVS, relicto filio impubere, cuius partes contra FERDINANDVM, patruum, tutabatur,) *Iohannisburgi* cum rege, multis magnatibus comitato, amice habuit colloquium.

in Prussiam abit.

Parum autem aberat, quin dissensiones inter amicos principes subito exardescerent. *Elbinga* erat pace *Velauiensi* FRIDERICO WILHELMO pro quadringentis millibus thaleris obligata, sed adhuc retenta. Mense ergo Octobri, anni MDCLXXXXVIII., duce WILHELMO de BRAND, copias ad vrbem admouit, postulans, vt sui faceret deditionem, quod & sequenti mense fecit. A. autem MDCC., amore quietis ductus, reddebat, remittens quartam debiti partem, pignori interea accepta corona Russica, aliisque, his tamen legibus, vt, nisi a primis comitiis pecunia solueretur, sibi potestas vrbis recuperandæ esset integra.

Elbingam occupat, breui post redditam.

Post pacem *Westphalicam* FRIDERICVS WILHELMVS IOHANNI *comiti de* WITGENSTEIN *comitatum Hohensteinensem* donauerat. Facti eum cum dein pœniteret, (ratio enim eius illi nondum erat perspecta,) vt viuus illo frueretur, permittebat: FRIDERICO nostro tamen haud adimi posse censebat eius repetendi facultatem. Ille comitibus tum viuis commoda obtulit haud spernenda, eo fine, vt comitatum ad se transferrent. Verum cum istis locum minus relinquerent, FRIDERICVS A. MDCXCVIII. comitatum occupauit, adiecitque principatui *Halberstadiensi*, in cuius clientela olim fuerat.

comitatum Hohensteinensem occupat.

Simultates inter CHRISTIANVM V., *Danum*, & FRI-

Turbas inter Danum Holsatumque studet componere. DERICVM IV., *Holsatum*, olim soporatæ recrudescebant, hoc *ius armandiæ* vsurpante, A. MDCXCV., *Tonningam* muniente, aliaque excitante propugnacula. *Imperator*, *Saxo* atque *Noster* sequenti anno *Hamburgi* & *Pinnebergæ* sedare eas volebant. Sed *Danus* armatus *Holsatiam* intrans, propugnacula euertebat. CHRISTIANO V. mortuo, instaurabantur propugnacula, breui post a Danis iterum destructa, oppidaque Holsatiæ occupabat successor. Properata vero pax *Trauendalensis* A. MDCC., cui FRIDERICVS per legatum *von dem* BVSCH intererat, diremit certamen, ducique supremum imperium cum iure armorum fœderumque est relictum.

regia dignitate se ornat Nascentis seculi annus primus nouum illustremque splendorem domui Brandenburgicæ adiiciebat, summis eum Europæ æquiparans principibus. Coronam nimirum regiam capiti suo imposuit FRIDERICVS, grauissimis permotus rationibus: quas cum LEOPOLDO, imperatori, proponeret, sufficere illas omnino arbitrabatur dignitati regiæ accipiendæ. Contendens ergo in *Prussiam*, solenni ritu rex inaugurabatur, d. XVIII. Ian., A. MDCCI., exquisita magnificentiæ pompa adhibita, in cuius augustæ rei memoriam instituebat *Aquilæ nigræ equitum ordinem*. *gratulantibus plurimis,* *Imperator*, *reges Poloniæ*, *Daniæ*, *Angliæ*, *Russorum princeps*, *elector Palatinus*, *Batavi*, *Heluetii*, *dux Vinariensis*, *episcopus Constantiensis* inter primos erant, faustis acclamationibus tantam dignitatem illi gratulantes, quos deinde alii sequebantur. *obnitentibus quibusdam* Solus *Pontifex Romanus*, atque *magister equitum Germanicorum Mergentheimensis* obnitebantur: illo, se inconsulto id factum esse, putante: hoc vsurpante antiquato in Prussiam iure: vtriusque autem rationes publicis infirmabantur literis.

comitatus Meursensis & Lingensis hereditate ad eum perueniunt. Postquam WILHELMVS III., *Angliæ rex*, A. MDCCII., decesserat, illa, quæ eius morte hereditate sibi obuenisse censebat, occupauit, comitatum *Meursensem* in principatum A. MDCCVI. euectum, & *Lingensem*: principatus autem *Arausio-*

nensis

nensis in *Gallorum* iam erat potestate. Nitebatur FRIDERICVS HENRICI FRIDERICI, *Arausionensis*, aui, testamento, in quo primum genita filia LOVISA, nostri mater, eiusque heredes WILHELMO substituuntur. IOHANNES autem WILHELMVS FRISO, *princeps Nassouio-Diezensis*, heres esse cupiens, prouocabat ad testamentum WILHELMI III., quo bona omnia WILHELMI ei erant legata. *Batavi* quidem, testamenti executores scripti, litigantes dirimere volebant, nec rex quicquam eo pertinens omittebat; quo fine A. MDCCXI., ad *Batauos* demigrabat, sed, FRISONE vndis infeliciter interemto, res componi haud poterat, nec dum controuersia est sopita, imperio licet regis prouinciae pareant.

contra Gallos militat.

Nouum seculum calamitosum maxime erat *Europae*, orto funesto *de Hispania* bello. LVDOVICVS enim XIV. *Hispaniam* sibi nepotique PHILIPPO vindicabat, quod cum negaret legitimus heres CAROLVS VI., infestis armis concurri est coeptum. FRIDERICVS igitur cum LEOPOLDO, *Anglis Batauisque* iungebat foedus, auctisque copiis magnam illarum partem militatum contra *Gallos* misit. Earum inuicti roboris experimenta sensit per omne illud bellum, inprimis pugna *Hochstadiensi*, hostis: atque obsessa *Augusta Taurinorum* FRIDERICI copiis, quibus LEOPOLDVS, *Dessauiensis* princeps, praeerat, suam salutem illis praecipue refert acceptam.

Nordhusae praesidium imponit.

A. MDCCIII. vrbi *Nordhusae*, cuius praeturam a *Saxone* emtione sibi quaesiuerat, praesidium imposuit, propterea, quod fidei aliorum se permittere volebat: aliquot vero annis interiectis, re composita, copiae excedebant. *Elbingam* quoque tractumque vicinum vi pacti occupabat.

Gallis adiungi recusat.

Quamuis *rex Galliae* FRIDERICVM A. MDCCIV. a foederatis seiungere & liberalissime pollicitando ad se allicere conaretur; tamen, quam dederat, fidem inuiolatam conseruare maluit, commodis cunctis repudiatis. Vt *Franconiam* quo-

que cognatosque marchiones ab impetu, quem *Bauarus* minabatur, tueretur, fœdere cum ipsis circuloque Franconico coiuit arctiori. Reliquit tamen electrici Bauariæ locum petenti, cum intercederet, ne maritus publice proscriberetur, cuius quoque literas ad imperatorem misit, quamuis proscriptionem haud posset impedire.

comitatum Gegerensem obtinet,

A. MDCCIV. comitatum *Gegerensem*, in *Franconia* situm, obtinuit ab vltimo eius *comite* HENRICO WOLFGANGO, in suamque fidem ciues accepit: comes tamen, quoad erat in viuis, imperio præerat, vectigaliaque percipiebat regionis.

legatum ad Suecum pacis causa mittit,

Cum *Sueci* A. MDCCVI. impressionem in *Saxones* fecissent, FRIDERICO atque GEORGIO LVDOVICO, *Hannouerano*, iniungebatur, vt regis Suecorum consilia alio deflecteret, quo nomine MARQVARDVM LVDOVICVM de PRINZEN eo mittebat, verum hæc conamina haud excipiebat secundus euentus, immorante Sueco suis consiliis. Cauebat tamen, ne quid detrimenti suis prouinciis ex Suecis accederet.

Neocomienses ei subiiciuntur

Ducatum *Neocomiensem* A. MDCCVII. obtinebat, non solum, quod pars erat hereditatis *Arausionensis*, sed &, quod A. MDCXCIV. a WILHELMO III. ipsi in antecessum erat tradita. In aduersariis erat *princeps de* CONTY, imo ipse *rex Galliæ*. *Angli* autem & *Bataui* apud *Heluetios* FRIDERICVM tuebantur, & ob paritatem sacrorum, & quod metu Gallicæ oppressionis id e re sua esse censebant: imo, ipse *rex Sueciæ* Nostrum commendabat. Cum vero conditiones, quibus *Neocomienses* suis immunitatibus prospiciebant, habuisset ratas, tandem tertio Nouembris die, reiectis reliquis æmulis, FRIDERICO se submisere, præsente auctoritate regia ERNESTO EBERHARDO *comite de* METTERNICHT.

Megelburgicum titulum

Inter *Brandenburgicos* & *Megelburgicos* principes iam A.

MCCCCXLII. *Witstochii* conuenerat, illos his sine herede masculo defunctis, aliquando successuros, atque vtrosque ciues, sacramento praestito, semper in fidem accepturos. Intermissum id erat per aliquod tempus: FRIDERICVS autem, A. MDCXCIII. & MDCCI., annuente FRIDERICO WILHELMO, *Megelburgico*, succedendi ius renouabat. Anno autem MDCCVIII., iura sua firmaturus, tam titulum, quam insignia ducatus Megelburgici, haud inuito CAROLO LEOPOLDO, coepit vsurpare. Dux *Strelizensis* ADOLPHVS FRIDERICVS aegre id ferebat, putans, ereptum sibi iri aliquando successionem, seque haud consulto id esse susceptum: vehementer vero rex confirmabat, quoad masculus superesset, nullam harum se regionum partem sibi vindicaturum, nec imperii aliquam societatem.

& insignia usurpat.

Anno MDCCIX., excipiebant, mense Iulio, *Berlinum* atque *Potsdamum* FRIDERICVM, *Daniae*, atque FRIDERICVM AVGVSTVM, *Poloniae, reges*, nullo non magnificentiae genere tractatos. Qui, cum ad suos reuertissent, FRIDERICVS petebat *Marienwerderam*, vbi cum PETRO, *Russorum* imperatore, colloquium habuit, quo sane belli flammam a Germania auertit: ille enim *Suecos*, ex *Polonia* in *Pomeraniam* digressos, eadem via constituerat persequi. Metuebat tamen FRIDERICVS, ne *Sueci* siue *Poloniam* repeterent, siue *Daniam* intrarent infestis armis. Bellum igitur nouum vt impediretur, *Hagae*, die primo & trigesimo Martii, A. MDCCX., *Imperator*, *Angli*, *Bataui*, *Palatinus*, *Brunsuicensis*, *Monasteriensis* cum FRIDERICO coiuerunt societate, curaturi, ne cui ab his copiis inferretur damnum. Quod cum aegre ferrent *Sueci*, petebant, vt hac ratione etiam prouinciis suis hostem prohiberent, cum sibi eum persequi non liceat; quod & illis promissum est de prouinciis Germanicis, quanquam *Sueci* tamen aliam viam ingredi viderentur.

Reges Berolini conueniunt,

Noster cum Russo colloquitur.

foedere cum principibus coit.

Va-

morbus & mors. Valetudine infirma adhuc FRIDERICVS fuerat vſus, qua vero, A. MDCCXIII., maiorem, atque antea, in modum vexabatur. Curationem quidem morbis afferebat, ſed, quod a primis annis fuerat teneriori corporis temperatura, malum haud poterat tolli, vitæque eius finis tandem appropinquabat d. XXV. Februar., A. MDCCXIII., poſteaquam vixerat quinquaginta & quinque annos, ſeptem menſes & quindecim dies, regno præfuerat duodecim annos, vnum menſem & ſeptem dies; electoratui autem viginti & quatuor annos, nouem menſes, viginti & ſeptem dies.

dotes animi & cura circa religionem Euangelicam, Diuinæ ſane dotes inerant eius animo, ad egregia quæuis ſuſcipienda animum impellentes, quod ex commemoratis liquido apparet. Quæ ad rem ſacram pertinent, ſumma prouidit opera, haud paſſus, vt euangelica religio violenter opprimeretur: ideo eorum, qui in terris *Palatinis*, *Sileſiacis*, *Naſſouio-Sigenſibus*, *Coloniæ*, *Campiduni* aliisque locis male ob religionem habiti, fortiter ſuſcepit cauſſam defendendam.

amor in literas. Literarum ipſe non ſolum erat peritiſſimus, ſed & amoris, quo in eas ducebatur, locupletes ſunt ſignificationes, condita *academia Halenſis*, *academia equeſtris pictorum*, *ſculptorum*, *ſocietas ſcientiarum*, aliaque *Berlini* inſtituta laudabiliter, quæ ad artes amplificandas pertinent.

Coniuges habuit

coniuges & liberi I. ELISABETHAM HENRIETTAM, WILHELMI VI., *Caſſellani*, filiam, nat. A. MDCLXI., nupt. d. XXIII. Aug., A. MDCLXXIX., mort. d, XXVII. Iun., A. MDCLXXXIII., quæ peperit LOVISAM DOROTHEAM SOPHIAM, d. XIV. Sept., A. MDCLXXX., nupt. d. XXXI. Mai., A. MDCC. FRIDERICO, *principi hereditario Caſſellano*, mort. A. MDCCV., d. XXIII. Decembr.

II. SO-

II. SOPHIAM CHARLOTTAM, ERNESTI AVGVSTI, *Hannoverani*, filiam, nat. d. XX. Octobr., A. MDCLXVIII., nupt. d. XXVIII. Septemb., A. MDCLXXXIV., mort. d. I. Febr., A. MDCCV. Nati ſunt illa

(1) FRIDERICVS AVGVSTVS, d. VI. Octobr., A. MDCLXXXV., mort. d. XXI. Februar., A. MDCLXXXVI.

(2) FRIDERICVS WILHELMVS, hodiernus Rex Sereniſſimus.

III. SOPHIAM LOVISAM, FRIDERICI, *ducis Mekelburgici*, filiam, nat. d. XVI. Mart., A. MDCLXXXVII., nupt. d. XXVIII. Nouemb., A. MDCCVIII.

TABVLA GENEALOGICA.

I. FRIDERICVS —— ELISABETHA HENRIETTA

LOVISA DOROTHEA SOPHIA

II. FRIDERICVS —— SOPHIA CHARLOTTA

FRIDERICVS AVGVSTVS FRIDERICVS WILHELMVS, rex hodiernus —— SOPHIA DOROTHEA

FRIDERICVS LVDOVICVS	FRIDERICA SOPHIA WILHELMINA	FRIDERICVS WILHELMVS	FRIDERICVS	CHARLOTTA ALBERTINA	FRIDERICA LOVISA
PHILIPPINA CHARLOTTA	LVDOVICVS CAROLVS WILHELMVS	SOPHIA DOROTHEA MARIA	VLRICA LOVISA	AVGVSTVS WILHELMVS	ANNA AMALIA	FRIDERICVS HENRICVS LVDOVICVS

III. FRIDERICVS —— SOPHIA LOVISA.

FRIDERICVS WILHELMVS,
MARCHIO BRANDENBVRGENSIS,
S. R. I. ELECTOR,
REX PRVSSORVM SECVNDVS.

Vitæ cepit primordia d. IV. Augusti, A. MDCLXXXVIII., *natiuitas* quo anno FRIDERICVS WILHELMVS, *Magnus*, auus, ex hac vita abierat, felicissimo quodam omine, quod præsagiebat, fore eum talem, qualem cognitum indicauerant auum serenissimum, ipsumque rerum gestarum amplitudine, gloriæque splendore, si non antegressurum, certe æquiparaturum, qua in re nec orbis fefellit adhuc expectationem.

Factis illius explicandis PVFENDORFIVS, si superaret, esset legendus, digno scribendi genere excellentiam eorum consecuturus: sed, cum & interdum audentes fortuna adiuuentur, sustinuimus dicendo, pinguiori licet Mineruа, res, ab eo fortiter atque amplissime gestas, adumbrare, quo & huic opellæ tanti herois maiestate accedat splendor aliquis: adæquare dignitatem si minus potuerimus, venerabunda certe voluntate proxime voluimus accedere.

Serenissimus Pater, tantam indolem vt rite formaret, nullam curarum intermisit partem, sed præstantissimis morum magistris, inprimis ALEXANDRO *comiti de* DOHNA, tradit imbuendum artibus, quæ principi conueniunt, terris amplissimis summa aliquando cum auctoritate præfuturo. Auitas autem maiorum virtutes præter hæc semper intuebatur, *educatio* tanquam in speculum, vt, quid vitandum faciendumue sit, eorum exemplis edoceretur. Quibus instincta mens, ad quoduis virtutum genus rapiebatur, atque non pacis tantum, sed & rei militaris artes apprime colebat. Virtutis igitur suæ in-

actiones bellicae, ingeneratae vt faceret experimenta, in *Belgium* ad castra ipsi, patre consentiente, placuit A. MDCCVI. & MDCCIX. excurrere. Aderat obsidioni *Menenensi*, *Tornacensi*, *Montiumque Hannoniae*, nec non proelio ad *Tanieram* habito. Luculento hic ostendit documento, quam scite quoque bellici ducis, vbi necessitas postulauerit, personam possit sustinere.

initium imperii, Posteaquam ad rempublicam, patre functo, A. MDCCXIII., (qui ex nomine augusto *frIDerICh VVILheLM* redit,) accesserat, incidebant auspicatissima illa tempora, quibus, conspirante principum belligerantium animo, feralis, quod Europam adhuc turbauerat, incendii flamma extinguebatur; vnde nemo non, praecipue, quibus parendi gloria est relicta, felici omine animo praecipiebant, tam pacatum imperii auspicium consecuturam esse pacem tranquillitatemque, nullo armorum *pax Vltraiectina* strepitu facile interpellandam. Ab armis tum fiebat discessio, atque cum *Vltraiecto* pax conciliaretur d. XIII. Apr., A. MDCCXIII., haud spernenda tum prouinciis Regis fiebat accessio. *Geldriam* enim *Hispanicam* in eo statu, quo CAROLVS II., *rex Hispanorum*, possederat, obtinuit, adiectis tractibus *Kessela*, *Strala*, *Krieckenbecka*, *Wachtendonck*, nec non principatum *Neocomiensem:* Rex Prussiae salutabatur a rege Galliae, cui, amore pacis ductus, *principatum Arausionensem*, vindicata sibi tamen facultate tituli illius vsurpandi, concedebat: *quae conditiones pacis* anno consecuto d. VI. Mart., *Rastadii*, & d. VII. Sept., A. MDCCXIV. *Badae* confirmabantur. Legauerat autem ad pacem *Vltraiectinam* OTTONEM MAGNVM *comitem de* DOENHOF, ERNESTVM *comitem de* METTERNICH, & IOHANNEM AVGVSTVM *marschallum de* BIBERSTEIN: *Rastadensi* autem intererat regia auctoritate ERNESTVS EBERHARDVS *de* METTERNICH.

ex comitatu Limpurgensi, occupato, A. MDCCXIII. viuere desierat vltimus *Limpurgensium comes* VOLRADVS. Occupabat rex comitatum, cuius obtinendi FRIDERICO iam A. MDCXCIII. a LEOPOLDO, impera-

peratore, facta fuerat expectatio, consentiente etiam, A. MDCXCIX., VOLRADI fratre, GEORGIO EBERHARDO. At enim vero, quæ supererant, comites, allodii nomine, sibi vindicabant comitatum. Agitabatur res in foro cæsareo, comitibus feminis successionem adiudicante: cuius etiam decreto Rex stabat, militeque abducto, tradebat heredibus: iustitiam tamen suæ caussæ publicis literis omnium oculis curauit exponi. *militem educit,*

Bellum illud funestum, cuius initia seculo nascente inter *Polonos Suecosque* exarserant, in *Pomeraniæ* fines nunc transferebatur, cladem huic regioni excitaturum perniciabilem, nisi FRIDERICI WILHELMI sapientia intercessisset. CAROLO, *Suecorum rege*, ad *Pultauam* superato, FRIDERICVS AVGVSTVS, *rex Poloniæ*, cum PETRO, *Russorum imperatore*, & FRIDERICO, *Daniæ rege*, quos fœdere sibi iunxerat, in *Pomeraniam*, quæ parebat *Suecis*, A. MDCCXI., faciebat impressionem, quæ autem adeo prospere haud successit. Biennio interposito, iterato impetu, *Stetinum* circumsidebant copiis, igneque plurimo iniecto, imminebat vrbi ruina haud euitanda. Res tamen ita peragebatur, vt hæc vrbs cum tractu, ad *Penam*, fluuium, vsque pertinente, FRIDERICO WILHELMO atque CHRISTIANO, *administratore Holsatiæ*, sequestris traderetur, posteaquam *Russis* quingenta millia thalerorum, expeditioni huic impensorum, restituta erant. Quo facto, *Pomerania* excedebant Russi: præstare tamen debebat FRIDERICVS WILHELMVS, quo minus ex *Pomerania* in *Poloniam* fierent excursiones hostium. Securitatem hac ratione vrbi memoratæ esse allatam vicinoque tractui, auersamque pestem haud dubie imminentem, neminem esse, arbitror, qui non videat. *bello in Pomerania orto, Stetinum ei traditur sequestro,*

Consecuto anno CAROLVS ex *Turcis* in *Pomeraniam* aduenerat, collapsas res redintegraturus. Reposcebat ille *Stetinum* vicinumque tractum, quem Noster reddere omnino volebat, sed iure poscebat, vt redderentur sumtus expensi, *rex Suecorum eam vrbem repetit frustra:*

Ss 3 quos

quos vero *Suecus* restituere negabat. Armis ergo amissa recuperaturus, militem *Prussicum Wolgasto* atque *Vsedoma* eiiciebat, belli inferendi hunc in modum facto initio. Quo facto, FRIDERICVS WILHELMVS, fœdere cum *Polonis*, *Danis*, *Russis*que icto, *Holsatoque* milite coacto, vt *Stetino* excederet, publice A. MDCCXV. *Suecis* denunciabat bellum. Quod vt commode gereretur, militem manu promtissimum in Pomeranos ducebat, *Wolgasto*, *Vsedoma*, propugnaculoque *Peenemundano* expugnato, muris *Stralsundæ* propius cum sociis admouebat copias. Vallo vero, quod inuictum videbatur, muniuerant se ante portas vrbis Sueci: quod vero, multis hostium captis, facile transscendebatur, neque ita multo post insula capiebatur *Rugia*, ab ipso Suecorum rege licet defensa. Debellanda nunc erat vrbs *Stralsunda*, ad quam Noster incomparabilem tormentorum copiam curauerat adduci.

ergo Prussicum militem inuadit, quo facto, captis reliquis vrbibus Stralsunda obsidetur,

Ipse CAROLVS, per aliquod temporis spatium, eam defendebat: sed, sociis illam egregie oppugnantibus, rege in Sueciam digresso, resistere diutius non poterat: quare d. XXIII. Decembris, A. MDCCXV., se sociorum potestati submittere cogebatur. Emicuerat in hac obsidione præcipue inuictus animus militis Prussici, excitati mirabiliter rege præsente per omne circumsessæ vrbis tempus cum FRIDERICO, *Danorum rege*. Huic ergo cum *Stralsunda* fuisset tradita, *Vismaria* quoque cingebatur operibus, quæ etiam, A. MDCCXVI., in *Danorum* peruenit potestatem, munimentis deinde omnibus euersis.

tandemque occupatur,

Iactura autem *Stralsundæ* maxime percusserat animum regis Suecorum: reconcinnaturus ergo damnum, A. MDCCXVI., *Norwegiam* inuadebat, irrito licet conatu: idemque euentus anno secuto consilia eius excipiebat. A. MDCCXVIII. denuo irruptione facta, *Friedrichshallam* oppugnabat, quæ vero res omnis non tantum infeliciter cessit, sed & præter hæc CAROLO vitæ afferebat finem, d.XI. Dec., globulorum ictu interemto. A morte illius magna rerum Suecicarum fiebat commu-

Rege Suecorum occiso

mutatio, Suecorumque tandem consilia ad pacem concordiamque conuertebantur. VLRICA enim ELEONORA, regno suo adflicto prouisura, mirabili desiderio pacis flagrabat. In Sueciam ergo mittebatur auctoritate regia FRIDERICVS ERNESTVS *L. B. de* KNIPHAVSEN, qui d. XXI. April., A. MDCCXX., his legibus componebat bellum: *Sedinum cum tractu sito inter fluuios Viadrum Peenamque, additis insulis Wollino & Vsedoma, vrbibusque Damo & Golnauia, Nostro tradebantur perpetuo possidenda, pro quibus vicies centena millia thalerorum persoluebantur Suecis.* Hoc tandem modo Pomerania, quae, BARNIMO XIV. mortuo, Brandenburgici iam iuris esse debuerat, Prussico imperio est subiecta, sequenti demum anno fide publice solenni iurisiurandi religione regi promissa. Ex quo tempore interrupta quiete est vsa, suamque incolumitatem integram acceptam merito refert FRIDERICO WILHELMO.

pax cum Suecis conciliatur, atque pars Pomeraniae regi traditur.

Quanto opere per imperii sui tempus serenissimus Rex ciuium conatus sit amplificare commoda, in omnium oculis est positum. Regni Prussici, quam maxime potest, prospicit rationibus, eoque curarum eius summa pertinet, vt regiones, in quibus humani cultus solitudo existebat, frequententur habitatoribus, adscita eo multis immunitatibus ex *Suecia, Franconia, Wetterauia, Saxoniaque inferiori* magna hominum multitudine. Reliquis suis regionibus ita prouidet, vt locupletes appareant paterni in ciues affectus significationes. Accessione auctas videmus eius cura varias vrbes; *Crosnam* A. MDCCVIII. flammae incendio vastatam, FRIDERICI studio renatam, & a FRIDERICO WILHELMO amplificatam. *Berlinum, Potsdamum, Charlottebyrgum*, aliaeque vrbes incrementa ceperunt haud inuidenda. Merces plurimae, quae peregre alias erant aduehendae, nunc in eius parantur prouinciis, vt non solum importatis mercibus non sit amplius opus, sed & illarum, quae in terris eius conficiuntur, magna copia suppetat, in alienas deuehenda prouincias.

Commoda regionum laborat amplificare.

Pacis

vrbes munit. Pacis igitur tempore cum ad hunc modum ciuium compendio prospiciat, non intermittit quoque bellicarum rerum cogitationem, vt, si quando belli tempestas ingruat, ab hoste tutos præstare possit ciues. Vnde egregio opere muniri curauit *Vasaliam*, *Magdeburgum*, *Memeliam*, *Stetinumque*, vt ingruentis retardare queant impetum. Lectissimi præter hæc militis numerum comparauit, qui armorum tractandorum, reique militaris vsu adeo excellit, vt hostibus sit terrori, amicisque admirationi.

rerum sacrarum studium Rerum sacrarum, ciuiumque, earum caussa pressorum, quanta eum tangat cura, ostendit non tantum, cum *Thoruniensis* clades affligeret eos, qui a sacris Romanis sunt alieni, sed etiam, cum in *Palatinis* terris templo vsuque religionis essent priuandi: illatæ enim iniuriæ vicem exsoluturus, vsu quoque templorum redituumque priuauit *Mindæ* atque in principatu *Halberstadiensi* catholicos, atque ipsius aliorumque cura est effectum, vt reformatis redderetur templum, illibatumque religionis exercitium, aliqua ratione tamen adhuc infractum, concederetur.

amicitiam colit cum principibus. Cum summis Europæ principibus arctissimo iunctus est amicitiæ nexu & cum illis in eum finem sociat consilia, vt ab *Germania*, imo *Europa*, omnis belli clades auertatur, atque nemo non tranquillum ducere spiritum queat atque otiosum.

coniux. Numinis benignitas thori sociam illi addidit serenissimam principem SOPHIAM DOROTHEAM, GEORGII LVDOVICI, *regis Angliæ & electoris Hannouerani*, filiam, principum feminarum facile principem, natam d. XVI. Mart., A. MDCLXXXVII., nuptam d. XXVIII. Nou., A. MDCCVI. Coniugium hocce Augustum Numen multa quoque prole fortunatum esse voluit: serenissimis enim his parentibus orti sunt

liberi. 1) FRIDERICVS LVDOVICVS, n. d. XXIII. Nou., A. MDCCVII., m. d. XIII. Maii, A. MDCCVIII.

2) FRI-

2) FRIDERICA SOPHIA WILHELMINA, n. d. III. Iul., A. MDCCIX.

3) FRIDERICVS WILHELMVS, n. d. XVI. Aug., m. d. XXXI. Iul., A. MDCCXI.

4) FRIDERICVS, n. d. XXIV. Ian., A. MDCCXII.

5) CHARLOTTA ALBERTINA, n. d. V. Mai., A. MDCCXIII., m. d. X. Iun., A. MDCCXIV.

6) FRIDERICA LOVISA, n. d. XXVIII. Sept., A. MDCCXIV., desponsata CAROLO WILHELMO FRIDERICO, *serenissimo principi Anspacensi*, nato d. XII. Mai., A. MDCCXII.

7) PHILIPPINA CHARLOTTA, n. d. XIII. Maii, A. MDCCXVI.

8) LVDOVICVS CAROLVS WILHELMVS, n. d. II. Maii, A. MDCCXVII., m. d. XXXI. Aug., A. MDCCXIX.

9) SOPHIA DOROTHEA MARIA, n. d. XXV. Febr., A. MDCCXIX.

10) VLRICA LOVISA, n. d. XXIV. Iul., A. MDCCXX.

11) AVGVSTVS WILHELMVS, n. d. IX. Aug., A. MDCCXXI.

12) ANNA AMALIA, n. d. IX. Nouembr., A. MDCCXXIII.

13) FRIDERICVS HENRICVS LVDOVICVS, n. d. XIIX. Ian., A. MDCCXXVI.

Quod superest, quis est, qui non tanto rege, praecipue, cui obsequendi illi est gloria relicta, laetari velit, perpetuitatemque felicitatis omni voto expetere? Seruet igitur Numen, cui reges sunt curae cordique, FRIDERICVM WILHELMVM, tueatur illum, quem dextera sua vnxit, regemque constituit! Sapientiae spiritus ita regat sapientissima eius consilia, vt omnia, quae bene cogitata, suscipit, prospere eueniant ecclesiae, regiae domui atque reipublicae! Seruet *Serenissimam Reginam*, SOPHIAM DOROTHEAM, diuinarum virtutum omni genere collustratam. Seruet *prolem Augustam*, in primis autem *Serenissimum Principem, Heredem Regium*, FRIDERICVM, vt illa incolumi, gloria maiori semper renouetur augeaturque Domus Augusta.

HISTORIA HERMANNI, MARCHIONIS.

Duo fuerunt huius nominis & familiæ marchiones Brandenburgenses, quorum alterum genealogiæ vulgares *episcopum Hauelbergensem*, filiis IOHANNIS I., alterum *electorem*, filiis OTTONIS, *longi*, adnumerant: quam annotationem veram esse, sequentia docent.

OTTO, *longus*, in matrimonio habuit IVDITHAM, *Hennebergiam*, filiam HERMANNI, *comitis*, & ex ea genuit HERMANNVM, *marchionem*, quem & *electorem* genealogiæ nominant. IVDITHÆ frater fuit BOPPO, *Hennebergius*, vir sitiens honores & diuitias. Hic HERMANNO, marchioni, ex sorore nepoti, delinitus blanditiis ipsius, exclusis agnatis suis, *Coburgici* tractus propria, partem *Hennebergicæ* ditionis, tunc temporis præcipuam, cum absque sobole decederet, testamento legauit A. C. MCCXCI. Hinc HERMANNVS insignia sibi vindicans auctoria, & sub aquila Brandenburgensium, gallinam ostentans, noua *comitis in Henneberg & domini Franconiæ* inscriptione vsus est, constituto regionis *Coburgicæ* administratore WALTHERO, *comite Barbiensi*, qui in ea ditione τοποτηρητὴς vicaria potestate factus insolentior, & HERMANNI, Brandenburgici, cuius vicem sustinebat, auctoritate fretus, cum BERTHOLDO, *Hennebergico*, patruele BOPPONIS, aperto marte, congressus est A. C. MCCCVI., circa festum Simonis & Iudæ etc.

BERTHOLDVS hic, cognomento *sapiens*, quo iniquius tulit hereditariæ & auitæ ditionis auulsionem, a BOPPONE factam; eo maiore optabat desiderio coniugium HENRICI, filii sui, & GVTTÆ, filiæ HERMANNI, electoris Brandenburgici; nam pro vindicanda ditione auulsa, nil, nisi placide & moderatis consiliis suscipere voluit. Neque fefellit spes sapientissimum prin-

principem: tentatum enim coniugium WOLDEMARI, electoris Brandenburgici, auctoritate & intercessione, fatis propitiis, feliciter impetratum est. Sanguinis autem coniunctio inter HENRICVM, *Hennebergium*, & GVTTAM, *Brandeburgicam*, tanta fuit, vt quarto gradu consanguinitatis inter illos nuptiæ contraherentur. Lætatus igitur auspicio noui coniugii BERTHOLDVS, & sibi gratulatus fuit, non ob affinitatem, quæ iam olim inter vtriusque familiæ maiores arctissima fuit, sed multo magis propter abalienatam regionem Coburgicam, eiusque iurisdictionem hac connubialis fœderis occasione, partim sub totali munere speratam oblatamque, partim intercessione contractus legitimæ emtionis, pristinis suis heredibus, A. C. MCCCXIV., sub Romano imperatore LVDOVICO BAVARO restitutam, ac nouis imperatorum priuilegiis ac diplomatibus BERTHOLDO eiusque heredibus confirmatam, cum fuisset sub imperio Brandenburgensium a morte BOPPONIS annis viginti tribus.

Qui HERMANNVM marchionem electorem filiis IOHANNIS I. potius, quam OTTONIS, *longi*, adnumerari volunt, hi duabus videntur moti rationibus: altera, vt sit in linea electorali, altera, vt constet ea traditio, WOLDEMARO nimirum opus fuisse dispensatione pontificia, vt duceret patrui filiam: sed hac permutatione opus non esse præcedentia declarant. Tum & hoc credibile est, quia plures fuerunt hoc tempore marchiones familiæ Anhaltinæ, & HERMANNVS, propter accessionem ditionis Coburgicæ, diues & potens factus erat, eum ex altera linea OTTONIS PII dignitatem septem-viralem facile consequi potuisse, cum tamen, quamdiu, & vtrum solus, vsurparit, ego non video. Quod enim A. MCCCVII. perscriptum est diploma, id OTTONIS nomen habet, & in eodem WOLDEMARVS hunc OTTONEM, qui *Sagittarius* fuit, suum patruum appellat. Sic A. MCCCVIII., OTTO & WOLDEMARVS, *marchi-*

ones Branden-Landsbergenses & Lusatiæ nominantur, hoc autem anno obiit HERMANNVS, ficut & OTTO, *Sagittarius*, neque vllum vidi HERMANNI diploma, nisi, quod vrbi mediæ Marchiæ *Eberswalde* sub inscriptione, vel titulo: *Herrmannus D. G. Brandenburgensis & Lusatiæ marchio & dominus in Henneberg*, A. MCCCVI., forense telonium perpetuo possidendum donauit, in quo diplomate etiam hæc verba leguntur: *vndique in nostris terris*, & mox: *per descensum & ascensum Vinow & Oderæ in nostra districtione*, quæ verba, quemadmodum & locus & nomina testium nobilium dati diplomatis, restrictionem quandam importare videntur, HERMANNVM scilicet ea tantum loca mediæ Marchiæ ex sua parte possedisse, post obitum fratrum suorum OTTONIS & ALBERTI, quos ei annumerant annales quidam manuscripti. Et concedatur sane, eum electoris dignitate vsum, sed cuinam successor subiungendus erit? cum OTTO, *Sagittarius*, adhuc vixerit, & simul cum eo vno eodemque anno obierit. Et quidem tantum ad priorem rationem. Nam ad posteriorem quod attinet, noti sunt veteres canones pontificum, qui etiam in vlteriori gradu coniugia prohibuerunt, vt WOLDEMARO, cuius parenti CONRADO, & fratri eius OTTONI, *Sagittario*, iam a WOLRADO, vicesimo quinto episcopo Brandenburgensi, apud P. R. BONIFACIVM VIII., in curia Romana lis mota, & marchiones fratres cum suis excommunicati erant, etiam absque consensu Papæ non libuerit ducere AGNETEM, abneptem ALBERTI II., qui ipsi abauus fuit.

Qui HERMANNVM in matrimonio habuisse scribunt ANNAM, filiam ALBERTI, Romani imperatoris, ii refutantur bifariam. Primo diploma filii IOHANNIS dicti A. MCCCXV. nomen genitricis suæ continet, ANNÆ nimirum, *ducissæ Vratislauiensis*. Deinde SIGFRIDVS, *Misnensis*, qui *libro II. epitomes* annotauit, HERMANNVM & OTTONEM, *Sagittarium*, A. MCCCIV., auxilia tulisse WENCESLAO, regi Bohemiæ,

contra

contra ALBERTVM, Rom. imperatorem. His igitur parentibus procreati fuerunt GVTTA & IOHANNES, cognomento, *illustris*. GVTTÆ coniugium ante descriptum, de IOHANNE mox dicam.

HERMANNVS autem, filius IOHANNIS I., in ordine decimus octauus *præsul Hauelbergensis* fuit, electus quidem & confirmatus, sed non consecratus, obiit A. C. MCCXCI. In choro templi Hauelbergensis lapis sepulchri nomen IOHANNIS, marchionis, habet, cuius tamen historiæ non meminerunt. M. ALBERTVS, *Argentinensis*, de filiabus RVDOLPHI, *Habsburgensis*, Rom. imp., sic scribit: *quartam habuit dux Vratislauiæ, quo defuncto, recepit marchionem in Brandeburg.* Et mox: *ex ducissa Vratislauiæ, postea marchionissa in Brandeburg Volmarus & quidam alii marchiones nati sunt.*

AD HISTORIAM LVDOVICI, MARCHIONIS.

Manumissio vrbis Beliz, facta a Ludouico, seniore, fratribus suis Ludouico, Romano, & Ottoni.

LVDOVVICVS, *senior, Dei gratia marchio Brandenburgensis & Lusatiæ, Sac. Rom. imp. Archi-camerarius, comes Palatinus Rheni, Bauariæ & Corinthiæ, dux Tyrol., & Goriciæ comes, nec non ecclesiarum Aquilegiensis, Tridentinensis & Brixinensis aduocatus*, discretis viris & honestis *consulibus & communitati ciuitatis Beliz*, fidelibus sincere dilectis, gratiam suam & omne bonum. Constare vobis certitudinaliter non ambigimus, quomodo cum illustribus LVDOVICO, *Romano*, & OTTONE, marchionibus Brandenburgensibus, *fratribus nostris* charissimis, *diuisionem terrarum nostrarum* & principatuum nostrorum, quibusdam lapsis annis

 concor-

concorditer *iniuimus*, ſic, quod principatus Marchiæ Brandenburgenſis & terræ Luſatiæ cum ſuis pertinentiis, prout in literis diuiſionis noſtræ de ſuper datis, lucide contineri videtur, ipſis pro ipſorum parte fuerit aſſignatus, quocirca veſtræ fidelitati mandamus, ſerioſius exhortantes, præſtetis *prædictis noſtris dulciſſimis fratribus*, LVDOVICO, Romano, & OTTONI, Marchionibus Brandenburgenſibus, & eorum heredibus, debitæ fidelitatis homagium, ſicut veris & hereditariis dominis noſtris ſtatim his præſentibus, prout id ipſum nobis huc vsque exhibuiſtis, de quo vobis regratiari non ſuffimus, ſine contradictione qualibet faciatis. Quo facto vos pariter & diuiſim de promiſſa fidelitate, eo, quod vos ad ipſos beneuole remiſimus, pro vt id ipſum occaſione diuiſionis, multis fide dignis adſtantibus, vna voce *fecimus præſentibus quietos, liberos & ſolutos*, tali tamen conditione, ſiue exceptione, adiecta: ſi prædicti noſtri fratres dulciſſimi, LVDOVICVS & OTTO, marchiones Brandenburgenſes, abſque heredibus, huiusmodi ſucceſſione capacibus, de fœmore ſuo legitime procreandis, deceſſerint, quod DEVS auertat, vt ex tunc vos prædictæ ciuitatis Beliz conſules & communitas præſentes & futuri ad nos & generoſum principem ducem, MANHARDVM, *natum noſtrum chariſſimum*, & alios, ſi plures diuina gubernatione generabimus, natos, & ad noſtros heredes tanta fidelitate, qua nobis ante manumiſſionem prædictam paruiſtis, ſine omni temporis interuallo, ſeu dilatione qualibet, deuolui & redire debeatis, vel, vt in literis deuolutionum inter prædictos fratres noſtros dilectiſſimos, & nos mutuo datis, ſufficientius continetur. In cuius manumiſſionis euidentiam ſigillum noſtrum præſentibus, de certa vobis ſcientia, duximus apponendum. Datum Ingelſtad, A. Domini MCCC. & quinquageſimo ſexto, die circumciſionis Domini.

AD

AD HISTORIAM FRIDERICI II. EXEMPLA HISTORICA.

FRIEDRICH von Gottes Gnaden &c. Marggraf zu Brandenburgk. Vnsern günstlichen Gruß zuuor, Lieben Getreuen, alsdan der Hochgebohrne Fürst, unser liebe Herr Vater, seeliger Gedächtnuß, leider mit Todt abgegangen und verstorben ist, und uns alle die unsern, von unsern Landen der Marck zu Brandenburgk, nach seinem Tode eine Erbtheilung zu thun pflichtig sind, darum wir dann alle unser Herrn Prælaten, Man und Stedt gemeiniglichen uerbote haben, das sie von heutte ober vierzehen Tagk, das ist nemblichen des nechsten Mitwochs nach S. Lucas Tagk, schierst kommende, uf den Abend her gein Berlin kommen sollen. Begehren wir an euch mit gantzen Fleiß, Ihr wollet die obbeschrieben Zeit, auch zween oder treffenlich aus euweren Rath mit vullermacht ohn Hintersprach zu uns her gein Berlin zu denselben Herrn-Tagk, von der Erbhuldigung wegen, senden, und daran nicht säumig sein, daran thut ihr uns besonder woll zu Danck. Geben zur Berlin an Mitwochen nach S. Franciscus Tag, Anno Dom. quadragesimo &c. Vnsern Lieben Getreuen Burgermeistern und Rathmannen, unser alten Stadt Brandenburgk.
Huic epistolæ subiungenda formula fidelitatis, quæ est in vita ALBERTI, *Achillis.*

Epistola pro coniuge FRIDERICI huius.

FRIEDRICH von Gottes Gnaden, Marggraf zue Brandenburgk, Vnsern Grut dovoor, Lieben Getreuwen, wy begehren von gue met gantzen Fliten, und bitten gue ok, gy willen guen nichts verhindern laten, sonder uns drey gute starcke Wagenperde, met guten Selen, up dessen negesten Sonnabendt tytlick up den Auendt her gein Trelen, up dessen negesten Sonnabendt tytlick up den Auendt her gein Trebin senden, de unser leue Gemahel von hinnen in dat Landt gein Meißen to örer leuen Frauwen und Mutter mogen met ören Gerede und Gesinde helpen führen, und wollet uns des up ditmahl uns des to zu verlaten, daran gy uns besonder woll bedanken, und willen dat in güde gegen

gen ju erkennen, Geben to Trebbin, am Donnerſtage na aſſumtionis, A. XXII. Vnſern liuen getreuwen Burgermeiſtern und Rathmannen unſer alden Stadt Brandenburgk.

Obitum FRIDERICI huius adſcribunt decimo die Febr., A. MCCCCLXX. & eum in Franconia mortuum eſſe: huic annotationi repugnant ſequentia reſcripta, quæ, eodem anno, Coloniæ ad Spream, perſcripta ſunt. Primum ſub dato pridie purificationis Mariæ, qui eſt ſecundus Februarii dies, quo ſenatui veteris vrbis commendantur lites pendentes inter nobiles *a* BORSTAL & *ab* HAGEN. Secundum ſub dato diei Scholaſticæ, qui eſt decimus Februarii, in quo petit marchio centum ſexagenas groſſorum marchicorum a ſenatu eodem. Tertium ſub dato diei cinerum, quo princeps eidem ſenatui mandat, vt caueat, ne in viis publicis vicinis inſidiæ & latrocinia ſtruantur iis; qui accedunt nundinas Francofurtenſes ad Viadrum circa ferias reminiſcere. Quartum ſub dato, *am guten Freytage*, in quo pollicetur, ſe daturum operam, vt ipſius auctoritate componantur controuerſiæ inter vtramque ciuitatem Brandenburg, & WERNERVM *de* SCHVLENBVRGK. Hæc quatuor reſcripta eiusmodi habuerunt inſcriptiones: *FRIEDRICH von Gottes Gnaden, Marggrafe zu Brandenburg Churfürſte &c. zu Stettin, Pommern &c. Hertzogk &c.*

AD HISTORIAM IOHANNIS, MARCHIONIS, DE LATRONE IAN KVCK.

Anno milleno, centeno quadruplicato,
Inſuper octauo quoque ac ſeptuageno,
Anno prædicto dux auſu motus iniquo,
Armatos quosdam Beliz tranſmiſit ad vrbem,
Quam ſimul intrabant, ciues propriis ſpoliabant.
Aedibus exire cunctum populum abſque redire,

Com-

Compulerant, oppidum firmantes protinus ipſum.
Sed noſtri proceres, vicini quoque ciues,
Circiter hanc vrbem fecerunt obſidionem,
Ignibus immiſſis, patuit noſtratibus vrbis
Introitus, ciues mactabant protinus hoſtes.

A. C. MCCCCLXXVIII., *am Montag Abend nach Marci, feria in vocem Iucunditatis. IAN KVCK, Hertzog IOHANNS von Sagen Heuptmann Belitz die Stadt mit II C und XI Perden, von Stund an berannten die von Brandenburgk mit Herr BVSSE von ALVENSLEBEN, des Mittwochs hernach, und theten meinem Herrn Marggrafen HANSEN zu Franckfurt Botten, und wonnen und brandten ſie aus am Donnerſtage vor Pfingſten, und worden darinne gefangen CXL. Man, ohne die darinnen verbranten &c.*

AD HISTORIAM WOLDEMARI.

Mirum eſt, de clariſſimi huius principis, vtroque parente vehementer ambigi. Patrem ii vulgo aſſignant CONRADVM, marchionem. Sed HENRICVM fuiſſe, magis nititur fide documentorum, præcipue IVTTÆ, abbatiſſæ Quedlinburgenſis, de A.MCCCXX., in quo IOHANNES & WOLDEMARVS expreſſe nominantur filii HENRICI, marchionis. De coniuge huius HENRICI hactenus nihil inueni, meretur locus ALBERTI, Argentinenſis conſiderari *p. 119. §. vlt.*, vbi loquitur de electione LVDOVICI BAVARI & FRIDERICI, *Auſtriaci*, ait autem: *dux quoque Saxoniæ & Woldemarus, marchio Brand., Friderico adhæſerunt. Hi enim Laici omnes & vxor Bohemi fuerunt quondam regis Rudolphi nepotes.* Igitur, ſi cui auctoritas ALBERTI tanti eſt, mater WOLDEMARI fuiſſet filia RVDOLPHI, imperatoris. Verum hic nota errorem. Nam HEDWIGIS, filia RVDOLPHI regis, nupſit OTTONI, *paruo*, quod probant genealogiæ Auſtriacæ & lapis ſepulchralis, qui adhuc *Lenini* cernitur, in quo OTTO nominatur gener RVDOLPHI, regis Romanorum. Et *Argentinenſis* ſine dubio minus accura-

to iudicio in distinguendis personis vsus est. Nam, qui tunc temporis inter marchiones Brandenburgenses regis Romani nepos dicebatur, non quidem WOLDEMARVS, sed IOHANNES, *illustris*, fuit, patre HERMANNO & ANNA, filia ALBERTI, regis, genitus. Sic, vt adhuc inquirendum restet, quaenam genuina WOLDEMARI mater fuerit, cum non meminerim, quicquam solidi de ea hactenus traditum fuisse. REVSNERVS eam nominat AGNETEM, *Sangerhusanam*.

LIBER TERTIVS
DE
BRANDEBVRGO,
METROPOLI MARCHIAE.

DE diuisione Marchiæ in Mediam, Veterem, Nouam, Vcaricam, Prignissam, & comitatum Ruppinensem, (aliæ enim partes postea accesserunt,) deque capitibus, seu primis ciuitatibus earum partium, nonnulla perscripta sunt primo libro: nunc in tertio libro memorabilia de *Brenni* & *Brandiburgo* addam. Est enim non tantum Mediæ, in qua situm est, sed etiam totius Marchiæ caput, & præ ceteris castris, vt habet diploma OTTONIS I., marchionis, filii ALBERTI VRSI, nomen eius gloriosum est & famosum regale castrum, camera imperialis & sedes episcopalis. Semper quoque fuit arx huius præfecturæ, a qua totum dominium traxit originem, tanquam a fonte riuuli deriuantur, secundum tenorem diplomatis IOHANNIS, *illustris*, marchionis, qui fuit sub tutela WOLDEMARI. Etsi vero crebris hostium incursionibus & deuastationibus subinde ita afflictum est hoc burgum, vt annorum & mutationum seriem difficulter quis reperiat & ordine pertexat; tamen ea, quæ de vtroque oppido vir clarissimus Dominus GEORGIVS SABINVS, ciuis Brandenburgensis piæ memoriæ ante annos viginti literis mandauit,

uit, hoc libro, ipsius verbis, repetam, & quæ videbuntur annotanda, subiiciam. Sic ergo conscripsit SABINVS.

Brandeburgi conditor

Brandeburgum e duabus constat vrbibus, quarum altera *a*) conditorem iactat BRENNVM, quo duce *Senones Galli* Romam diripuerunt, *b*) anno ante N. C. CCCCXVI., altera *c*) fertur exstructa a BRANDO, *Francorum duce*, MARCOMIRI filio, circiter annum salutis humanæ CCLXX. *d*) Et, quia cognata sunt amborum dominorum & conditorum nomina, hinc vtraque vrbs promiscue *Brenniburgum* & *Brandeburgum* appellatur. Verisimile est autem, BRENNVM ex hac regione a Senonibus in ducem ascitum fuisse. Erant enim Senones non quidem Galli, sed Germani a Senonibus Sueuis, qui ad

a) Vetus: Hinc IOACHIMVS CVRAEVS, *in annalibus Silesiæ* scribit: *Senas in Italia aiunt esse conditas a Senonibus, qui fuerunt vicini Elysiorum. Nominatur illorum dux Brennus, a cuius nomine Brandeburgum in Senonibus plerique deducunt, & incolæ nomen huius ciuitatis, Brendeburg, vt plurimum pronuntiant.* Vnde GEORG. SABINVS canit:

Hanc ego, quam Sueui tenuerunt Sennones vrbem
Ad ripas statui Brennus, Hauele, tuas,
Hancque meo peperi famam Tibi marte perennem
Capta dedit victas quod mihi Roma manus.

Ad Henetam etymologiam quod attinet, SPANGENBERGIVS, ex annotatione MARTINI CROMERI, repetit eam a Slauis *Sgoreleciam*, seu *Schorelitz*, appellatam fuisse.

b) Anno ab vrbe condita CCCLXV. LIVIVS, *l. V., decad. I.* Nam alter BRENNVS, cognomento *Prausus*, seu *Brauser*, qui Græciam inuasit, plus quam post centum annos hunc secutus est.

c) Noua ciuitas.

d) Ergo Vetus secundum hanc chronologiam nouam præcessit spatio sexcentorum octoginta sex annorum. Numerantur autem circa hæc tempora

ad amnem Sueuum *e*) habitabant, oriundi, tametſi in Italia, vbi conſederant, inter Ciſalpinæ Galliæ populos numerabantur. Ad hæc, non inuſitatum eſt, committi externis ducibus exercitus: nec raro accidit, vt Galli elegerint duces e Germania. Nam IVLIVS CÆSAR teſtis eſt, *f*) ARIOVISTVM, Sueuorum regem, mercede fuiſſe conductum a *Sequanis*, Galliæ populis, contra Romanos.

forma

Forma alterius *g*) vrbis ſemicircularis, alterius *h*) quadrangularis eſt, ambæ ex omni aditu, tanquam inſulæ, aquis circumfuſæ ſunt. Eas ab ortu ſolis *Hauelus* lato & profundo alueo interfluit; idem & a meridie & ab occaſu ambit: ab aquilone lacus *i*) allabitur, magnitudine inſignis, qui in longitudinem patet duo milliaria: a ſeptentrione aſſurgit mons, vite conſitus, qui olim Harlungus fuit dictus ab *Harlungis*,

pora ex Francis inter marchiones Brandenburgenſes RICHMEIER, SVNO I, CLODOVICVS, SVNO II, MARCOMIRVS & BRANDO, cuius ultimi hic fit mentio. Alterius eius nominis meminerunt hiſtoriæ in VALENTINIANO I., quo duce *Alemanni* Moguntiam ceperunt poſt annum Chriſti CCCLXVIII.

e) Oritur *Sueuus* in montibus *Sudetis*, duobus ſupra *Budiſſinam* milliaribus, & Luſatiam Marchiæque partem emenſus, curſu a ſeptentrione in occaſum reflexo, miſcetur *Hauelo* ad oppidum Marchiæ *Spondam*, ſeu *Spandow*. Hæc de *Sprea* ſic annotantur a PEVCERO, vbi notandum, *Oderam* etiam Sueuorum fluuium olim & *Sueuum* dictum fuiſſe.

f) *L. I. de bello Gallico.* Eſt autem ARIOVISTVS, ſiue AVEROESTVS, quem nunc dicimus *den Ehren-Veſten*, ideoque quod nomina principum apud Gallos ſeu Celtas, germanicæ originis ſint, non eſt dubium.

g) Veteris.

h) Nouæ.

i) Cuius dominus fuit NICOLAVS DE BOCK, tempore WOLDEMARI, marchionis, qui illum fame necauit, vt diximus in WOLDEMARO.

gis, *k*) qui in eo ſedem habuerunt, nunc vero *beatæ virginis mons* *l*) appellatur a templo, in honorem eius ibidem condito.

Ad orientem extra mœnia eſt locus, qui vulgo *burgum* dicitur, vbi collegium & templum eſt canonicorum. *m*) Eo in loco fuiſſe fertur *arx Brandi*, qui celebre ad poſteros nomen Brandenburgenſibus dedit: arcem enim Germani *burgum n*) vocant. Id templum eſt celebre multis monumentis, extant ibi plurima epiſcoporum & principum ſepulchra, quorum inſcriptiones magna ex parte vetuſtate deletæ ſunt. Inter hæc ante aram *o*) D. Auguſtini eſt ſepulchrum ALBERT. VRSI, *p*) prin-

templum cathedrale.

Alberti Vrſi ſepulchrum in templo

Vu 3

k) a CAROLO M. illuc ex *Alſatia* translatis, A. C. DCCLXXXVIIII.

l) vulgo *der Marienberg.*

m) Qui fundatorem agnoſcunt OTTONEM I., filium HENRICI AVCVPIS. DITMARVS, *epiſcopus Merſeb.*, *l. II. chron.* initium Magdeburgenſis eccleſiæ Metropolitanæ collocat in A. C. DCCXC., XV. cal. Nou., & teſtatur *l. III.* dictorum *Chronicorum*, epiſcopatum Brandeburgenſem, triginta annos ante Magdeburgenſem conſtitutum. Incidit igitur initium eius in A. C. DCCCCXL., OTTONIS I. vero circiter quartum. Sed de hoc & ſucceſſione epiſcoporum in appendice, quæ & alia fragmenta continet, plura annotabo, ſi Deus vitam longiorem & vires conceſſerit.

n) Et ſignificat propugnaculum ἀπὸ τοῦ πύργου, & BRENNVS idem eſt nomen apud Germanos, quod *Galeatius*; ſignificat igitur Brenneburgum *equitum*, ſeu *galeatorem vrbem.*

o) Eius inſcriptio hodie talis eſt: *A. C. MCCCXXXIII., ipſo die S. Dionyſii, epiſcopi, & ſociorum eius conſecratum eſt hoc altare in honorem S. Auguſtini, epiſcopi & confeſſoris per reuerendum in Chriſto patrem ac dominum, dominum LVDOVICVM, huius eccleſiæ epiſcopum, fundatum & dotatum per venerabilem dominum THEODORICVM ROTHEN, tunc veteris ciuitatis plebanum: poſtea factus epiſcopus & per TILONEM & GERHARDVM, patruos ſuos, & Magiſtrum PETRVM de TANGERMVNDE ipſorum auunculum, nec non per BARTHOLOMAEVM LAVRENTII huius eccleſiæ canonicum.*

p) principis rebus geſtis clariſſimi, in quo ſepulchro iam ne litera quidem amplius apparet. Ac in medio fere templo eſt lapis, in quo leguntur adhuc verba hæc: *Guditha, q) marchioniſſa, gemma Polonorum.* In eodem templo conſeruatur tabula, cruore conſperſa, r) qui effluxiſſe fertur ex conſecrata altaris hoſtia, quam Iudæi gladiolis confixerunt in contumeliam corporis dominici.

& Iuditha marchioniſſæ

Intra mœnia in foro nouæ ciuitatis collocata eſt immenſæ magnitudinis ſtatua lapidea & inargentata, cui nomen eſt ROLANDO,

p) BROTVFIVS annotat, eum ſepultum eſſe in coenobio *Ballenſtedt*, ſub turri in capella S. Nicolai. Hoc tempore ante memoratam aram D. Auguſtini nullum veſtigium apparet.

q) Diploma A. MCLXX. teſtatur, OTTONEM I., marchionem Brandenb., filium ALBERTI VRSI, habuiſſe coniugem IVDITHAM: etſi alii eam AGNETEM, filiam ALBERTI, ducis Saxoniæ, fuiſſe ſcribant. Scripſit hæc dominus SABINVS, A. MDLII. Ego autem A. C. MDLXXXI., die viceſimo quinto Aprilis, poſt accuratam & diuturnam inquiſitionem, tandem ad caput ſepulchri THEODORICI DE SCHVLENBVRG, *epiſcopi Brandeb.*, reperi hunc lapidem quadrangularem, & præter ea verba, quæ SABINVS adſcripſit, in eo ſic legi: *VII. Idus Iulii, obiit Iuditha, marchioniſſa, Gemma Polonorum, & D. Palmes.* Principium huius epitaphii, annus ſcilicet Chriſti, ſicut & finis, legi non poſſunt. Præter inſcriptionem hanc marginalem lapis in medio inciſam habet figuram crucis longæ, cuius ſuprema pars circulo incluſa eſt, alter continuus lapis repræſentat adhuc effigiem antiquam armati principis, ſed veſtigia literarum marginalium vix apparent, verba omnino legi non poſſunt.

r) Huic adiunctæ ſunt quatuor picturæ, quæ hodie etiam monſtrantur, ſub huiusmodi inſcriptionibus:

1. *Wu Iacob Iude mit ſeinen Sohn die conſecrirte Hoſtien martert auff den Tiſch.*

2. *Wu*

2. *Wu der Dieb auf den Stein stehet, und die grosse Hostien vermitzet, darnach die kleine dem Salomon Iuden zu Spandow für neun Marckſche Groſchen verkaufet.*

3. *Wu Salomon Iude die Hostien auf einen Tisch bauet und ſticht darnach in Waſſer und ferner will verbringen und in Sorgen ſtehet, weiſs nicht wo er mit der dritten partikell bin ſoll, und in dem Hau hat ſich die Hoſtie getheilet in drey Theil.*

4. *Wu Salomon Iude die dritte partikell in einen Kuchen verwirket, und in einen Backoffen ſchendet, und ſiehet über den Kuchen ein kleines Kindlein ſchweben.*

Memini huius facti in IOACHIMO I., ex annotatione SEBASTIANI FRANKEN. IACOBVS autem quidam, cognomine WINTER, in cantilena ſua germanica plenius id deſcribit, in hoc ferme tenore: *quidam*, canit, *male Chriſtianus*, *A. C. M D X.*, *die Mercurii*, *poſt purificationem Mariæ*, *noctu e templo pagi KNOBLOCH, ſiti in regione Hauelæ*, *abſtulit pyxidem e cupro fabrefactam*, *quam vulgo MONSTRANTIAM vocarunt*, *cum duabus hoſtiis conſecratis*, *altera maiori*, *altera minori*, *& cum ruri in lapide conſediſſet*, *maiorem deglutiuit*, *minorem vero vendidit Salomoni*, *Iudæo in Spandow*, *pro nouem groſſis Marchicis. Is Salomon hoſtiam menſæ impoſuit*, *&*, *cum aliis Iudæis contumelioſe irridentes*, *blasphemias in Deum euomuerunt. Hoſtia vero in tres partes ſponte ſua diſſiliit*; *quarum vnam Salomon maſſæ inuoluit*, *vt combureretur*, *ſed in fornace candenti ſuper placenta effigies infantis conſpecta eſt*; *alteram particulam miſit Iudæis in Oſterburg*, *qui nuptias celebrantes per ludibrium ſponſæ in paropſide duplici eam appoſuerunt*, *inde Stendaliam*, *hinc Francofurtum ad Moenum miſerunt*, *ubique inſultantes Chriſto crucifixo*; *tertiam particulam miſit Brandeburgum Iacobo Iudæo*, *qui illam ſimiliter menſæ imponens gladiolis confixit*, *ut ſanguis copioſe efflueret. Ille autem male Chriſtianus*, *quem SEBAST. FRANKE PAVLVM FROMER appellat*, *peruenit in ciuitatem Bernow & pyxidem ablatam ad Sambuci vmbras abiecit*, *quod cum vidiſſet alius ciuis*, *rem iudici denuntiat*, *fur capitur*, *Berlinum abducitur*, *ſacrilegium ſponte fatetur. Salomonem*, *emtorem*, *prodit*, *capiuntur omnes Iudæi in Marchia triginta octo igni mandantur*: *ſacrilegus*, *prius candentibus forcipibus laceratus*, *in cineres redigitur*: *duo Iudæi*, *ad Chriſtum*

conuerſi,

Rolandi statua

LANDO, *s*) hæc tota armata eſt, præter caput, ac dextra manu enſem tenet erectum, eſtque ſignum immunitatis, qua nobiliores vrbes Saxoniæ gaudent a CAROLO MAGNO & OTTONIBVS donatæ. Ciues enim Brandenburgenſes præ ceteris immunes ſunt vectigalibus propter antiquitatem & dignitatem *t*) vrbis, de cuius nomine tota Marchia nomen habet.

iudicium ſcabinorum

Eſt & apud Brandeburgenſes celebre iudicium, ad quod, tanquam ad *Areopagitarum* tribunal, e longinquis regionibus defe-

---

conuerſi, baptiſati ſunt. Hactenus ille, quæ ex germanica cantilena transſcripſi; & his ſimilia ſunt, quæ de ſacro buſto & Wilſenaco Prigniſſæ, nec non de Sternbeck, libro ſecundo paucis annotaui.

s) Columnæ inſcriptus eſt numerus A. D. MCCCCLXXIIII. ROLANDVS autem, filius MILONIS ANGLERII, & ſororis CAROLI M., ſiti extinctus eſt, cum eo die MASVRIVM, *ducem Saracenicum*, ſua manu iugulaſſet, circiter A. C. DCCLXXVIII. CAROLVS M. fecit ei hos verſus:

> *Tu patriam repetis, triſti nos orbe relinquis:*
> *Te tenet aula nitens, nos lacbrymoſa dies:*
> *Sed, qui luſtra geris octo & binos ſuper annos,*
> *Ereptus terris, iuſtus ad aſtra redis.*

t) Hinc eſt in diplomate *Ludouici Palatini Rheni*, ducis Bauariæ, March. Brand: *A ciuitate noſtra veteri Brandenborg, noſter principatus traxit originem, in qua etiam officium archicamerariæ ſacri imperii, qua elector imperii dicimur & ſumus, principaliter radicatur, quæ quoque epiſcopali ſede digne & laudabiliter decoratur,* perſcripto A. MCCCXXIIII. Sed & ante LVDOVICVM IOHANNES, e familia Anhaltina, marchio Brand., A. MCCCXV., donationes & libertates progenitorum ſuorum marchionum Brandenb., vrbi Brandenburg conceſſas, confirmauit: *tum, quia ipſa ciuitas præ omnibus fulget Banno Regio, qui vulgo dicitur Königs-Bahn, tum, quia principatus titulum ab eadem recipiunt mar-*

deferuntur causæ diiudicandæ. *u*) Qui ius ibi dicunt, vulgo *Scabini* vocantur, idque ipsum ius nominatur *Brandeburgense*. *x*) Quælibet vrbs habet duo templa ampla & augusta, videlicet *parochiam y*) & *templa vrbis*

Xx

marchiones, tunc, quia totum dominium ab eodem traxit originem, tanquam a fonte riuuli deriuantur. Ita enim sonant verba diplomatis, & memorabiles sunt versus antiqui:

> *Brandeburga caput tibi, Marchia, nobilis, in qua*
> *Ante fidem Triclaf*
> *Mons Harlungorum latex & pascua multa.*

Hi versus in æde B. Virginis asseri inscripti fuerunt; alterius defectum complere non potui, interiit enim tabula, sicut & multa alia.

u) Vnde in dicto diplomate IOHANNIS, marchionis, hæc verba sequuntur: *damus igitur prædictæ ciuitati nostræ Brandeburg hanc prærogatiuam specialem, vt omnes nostræ ciuitates & oppida per totum nostri dominii circuitum sitæ, in suis iuribus requirendis & seruandis ad ipsam ciuitatem Brandeburg confluant, & iura sua tam consulum, quam scabinorum, ab eadem recipiant, habeant, postulent & requirant. Mandamus igitur finaliter, statuentes & volentes, vt iura, quæ scabini & consules, seu iurati prædictæ ciuitatis prouido & maturo definiuerint consilio & dederint, nullus omnino reclamare valeat, aut præsumat.* Et post eum, LVDOVICVS, marchio: *vetus ciuitas Brandenborg, tanquam caput, ceteris ciuitatibus, tanquam membris, iura atque normam iuste viuendi, ex diutina & approbata atque præscripta consuetudine distribuit.*

x) Congruens nimirum iuri ciuili & constitutionibus marchionum electorum, præsertim IOACHIMI I. receptis, A. C. MDXXVII. Vide *rescriptum* IOACHIMI II., A. MCCCCXL., *Dominica Palmarum, publicatum.*

y) Vetus S. Gothardi. Noua S. Catharinæ, cuius structura consummata est ab HENRICO BRVNSBERG, *Stetinensi*, A. MCCCCI., in die assumtionis Mariæ. Longitudo eius est nonaginta quatuor vlnarum, latitudo quadraginta quatuor, altitudo quinquaginta septem, interior, nimirum vsque

& *monasterium*; z) sed nihil perinde vtramque ornat ciui-

---

vsque ad testudinem, viginti quinque, & ab ea, ad summitatem vsque, triginta duarum vlnarum. Hoc templum a prædicto HENRICO adstructum fuit turri antiquæ, cuius altitudo octoginta vlnarum, & forma quadrangularis æqualiter sine diminutione quantitatis, vt in aliis turribus videre licet, in altum ita ædificata fuit, vt vicem duarum turrium repræsentaret & a superius impositis cacuminibus bifariam discerneretur: harum igitur turrium rudis & vetustate consumta moles cum trigesimo die Octobris, A. MDLXXX., terræ motu nocturno, nonnihil conquassata & lacerata fuisset, A. MDLXXXII., illucescente die trigesimo Martii, hora tertia matutina, vno velut momento collapsa, partem occidentalem templi, in qua organa maiora, baptisterium & epitaphia plurima, fuerunt, dissipauit, & contriuit. Continuit hæc moles quatuor campanas, quarum maximæ, quæ habuit in pondere quinquaginta lapides centenarios (centum & decem libras in lapidem computando) præter numerum anni, qui fuit A. MCCLXXXVII., inscripta fuerunt hæc verba: *Sanctæ Catharinæ laus sit sine fine.* Incidit hæc chronologia in tempora OTTONIS, *longi, marchionis Brandeburgici*, de quo mox annotabo. Altera ponderis triginta quinque lapidum centenariorum fuit, & hæc verba habuit: *O Rex gloriæ, Christe! veni cum pace.* Tertia quatuordecim, & quarta quinque lapides centenarios repræsentarunt, omnes propter scissuras & fragmenta elisa ad vsus destinatos inutiles redditæ. Tres adolescentes tibicines, superius excubantes, ruina secum traxit: Dei autem prouidentia & custodia eos omnes protexit, ita, vt ad similitudinem trium virorum ex camino ardenti, Dan. III., salui e ruderibus horrendis descenderent.

z) In Veteri *S. Iohannis*, de cuius fundatione in choro ad sinistram hæc adscripta leguntur: *A. D. MCCXXXVII., obiit Magister Helias, plebanus in Ziesar, qui domum fratrum ibidem fundauit & consummauit, propter alia innumera beneficia, quæ fratribus præstitit, videlicet totam bibliam glossatam & aliam non glossatam, scholasticam historiam, sententias, & summam Remundi, hic habitu fratrum indutus fuit, prout desiderauit, & in ecclesia fratrum ante altare S. Iohannis, Baptistæ, est sepultus, & tandem ossa ipsius in recessu fratrum in Brandenborg vetus*

ciuitatem, vt illud templum *aa*) beatæ virginis, quod

Xx 2 HEN-

vetus sunt deducta & honeste sepulta. Ordo autem Minorum a B. FRANCISCO inchoatus est, post A. C. MCCVI., sub INNOCENTIO III., P. R. Ex quibus tempus fundationis colligere licet. In testudine templi, seu potius tabulato picto, eius vicem repræsentante versus orientem supra altari summo depicta est imago Christi crucifixi, & ab vno latere addita effigies FRIDERICI I., Zolleriani, marchionis Brand. electoris, cum insignibus Marchiæ, aquila scilicet rubra, & hac petitione: *Iesu, Fili Dauid, miserere mei.* Huic in altero latere opposita est imago coniugis ELISABETHAE, Bauaricæ, cum insignibus Bauaricis & hisce verbis: *Aue Maria, ora pro Nobis, Amen.* Ad partem vero occidentalem asseribus inscripta est hæc annotatio chronologica: *istud ædificium huius ecclesiæ testudinis sub tempore Iohannis Guardiani completum est, A. D. MCCCCXX., in die S. Aegidii, abbatis &c.* Ambitus quadrangularis interioris consecratio hæc est: *A. MCCCCXL., reuerendus pater ac dominus, dominus Stephanus, episcopus Brandeburgensis, hunc ambitum consecrauit, & dedit omnibus fratribus, vere poenitentibus, ipsum circumeuntibus cum VII. Psalmis vel vigiliis, quotiens totiens, XL. dies indulgentiarum in noua S. Pauli*, cuius fundatio tribuitur *Ottoni, longo*, marchioni Brandeburgensi, e familia Anhaltina, quod Germanico idiomate in choro eiusdem templi Paulini sic legitur:

D*er durchlauchtige und hochgebohrne Fürst OTTO, der* grosse, *oder* lange *genannt, Marggraff zu Brandenb., OTTONIS,* des gütigen, *Sohn, auß den Stamm und Geschlecht der Graffen von Ascanien und Fürsten zu Anhalt, hatt im Iahr nach Christi Geburth, MCCLXXXVI., am Tage Matt. Apostoli, seinen Hoff in der Neuen Stadt Brandenburg gebauet. Denen München, Dominicaner-Ordens, zu einen Closter geschencket, ihnen auch viel Geldes zum Gebäu verordnet. Im selben MCCLXXXVI. Iahre ist die erste Päbstische Messe und Einweihung dieser Kirchen durch Bischoff GEBHARTEN zu Brandenburg gehalten, und ANDREAS, Apostolus, und MARIA MAGDALENA zu Patronen erwehlet worden.* Hoc cœnobium annos trecentos quadraginta quinque, vsque ad tempora *Lutheri*, floruit. Ordo Prædicatorum a B. Dominico inchoatur in partibus Tholosanis, A. C. MCCIII., sub Innocentio III.

aa) Artificiosum sane ingeniosi architecti opus.

HENRICVS AVCEPS, imperator, ad testificandum suam de Vandalis victoriam in *monte bb) Harlungorum* exstruxit. Id ædificatum est ad similitudinem Græcorum templorum, est enim quasi rotundum, & quatuor inclusum turribus *cc*) quadrangulis, ita, vt hemicyclia *dd*) inter singulas turres instar crucis emineant. Singulis turribus impositi sunt globi inaurati magnitudine insignes. Eo in fano stabat triceps idolum,

ee) Trigla

bb) Qui veteri vrbi imminet & vineas præbet.

cc) Quarum latera, quæ occidentem spectant, hinc meridiem, hinc septentrionem respiciunt; sicut & earum latera, quæ versus orientem sunt exstructæ.

dd) Quorum illud, quod occasum respicit, sacellum subterraneum habet, S. LEONHARDO sacrum, in quo *nobiles a* WALDENFELS sepulchra habuerunt: ex hoc per angustos gradus lapideos turribus occidentalibus inclusos, non modo in templum ipsum B. Virginis, sed etiam altius in medium templi, vtrinque scanditur, vbi sunt ab vtraque latere stratæ semitæ mediocres, modo latæ, vbi altaria sunt, modo angustæ, per quas recta itur ad turres orientales in hemicyclum orientis, & rursus per similes gradus lapideos, quos turres orientales æquales prioribus, interius continent, descenditur in templum B. Virginis. Vltimus præpositus huius templi fuit D. PETRVS REINIKE, patria *Kyricensis*, artifex in construendis horologicis instrumentis. Hic de monte se contulit in monasterium fratrum minorum in veteri vrbe Brandenburg, & obiit in eo A. MDXLVII., die decimo septimo Decembris. In medio enim templi dicti monasterii sunt lapides cocti in monumento dispositi, in quibus leguntur hæc verba: *A. D. MDXLVII., XVII. die mensis Decemb., obiit venerabilis D. Petrus Reinike, præpositus in monte beatæ Mariæ virginis Brandeb., cuius anima req. in pace, Amen. O Iesu, fili Dauid, miserere mei. Deus propitius esto mihi peccatori.* Duo postremi monachi in monasterio fratrum minorum, alter frater BORCHARDVS, ordini insertus ante festum Michaelis, A. MDLXXVI., alter frater MICHAEL LACIVS, peste, anno sequenti, obierunt.

ee) *Trigla* dictum, quod olim Vandali summa veneratione coluerunt. Id DIANÆ fuit simulacrum, nam ex EVSTATHIO, græco scriptore, constat, *Dianam* olim *Triglam* dictam fuisse, idque idolum paucis abhinc annis ablatum est á CHRISTIERNO, *ff*) rege Danorum, cum is exul in Marchia *gg*) ageret. Est præterea hoc templum insigne marchionum *hh*) sepulturis, quorum in vita THEODORICI mentionem fecimus, estque plenum tabulis, *ii*) in quibus depicta sunt gentilitia insignia principum, comitum, baronum & equitum Germaniæ: omnes enim illustres & nobiles familiæ in Francia, Saxonia, Marchia, Pomerania solitæ sunt memoriam nominis sui conseruare eiusmodi tabulis, illic affixis. Fuit idem templum celebre

idolum Trigla

ee) Eorum, qui viderunt alii rudem & informem truncum, alii picturam superius instar trium capitum fuisse dicunt.

ff) Filio IOHANNIS, fratre ELISABETHAE, matris IOACHIMI II., marchionis Brandenburgensis.

gg) Et alibi ab anno scilicet Christi MDXXIII., vsque ad annum MDXXXII., quo in mari captus est.

hh) BRVMITONIS nimirum & filiorum eius, sicut superiori libro in THEODORICO & BRVMITONE annotauimus.

ii) Quarum hodie nullæ supersunt. Vt autem melius intelligantur ea, quæ de monte B. Virginis hactenus retuli, e quodam diplomate & literis fide dignis sequentia adscribam:

W*ir Friedrich, des heyl. Römischen Reichs Ertz-Cämmerer und Friedrich, Gebrüdere &c. Marggraffen zu Brandenb. und Burggraffen zu Nürnberg, bekennen öffentlich mit diesen Briefe vor Vns, vnsere Erben und Nachkommen, Marggraffen zu Brandenb. So alsse die Würdige, Vnser andächtigen und lieben getreuen, Er Peter Probst, Prior und gantzes Capittel der Kirchen zu Brandenburg, mit des Hochgebohrnen Fürsten, unsers lieben Herrn und Vaters sel. und unsern Wissen Vollbort und Hülffe die lobwürdige Kirche, auf Vnser lieben Frauen Berge, vor unser*

lebre miraculis, nescio quibus, quorum causa magnus hominum concursus, ex omnibus Germaniæ partibus fiebat. *kk*) At vix vlla ciuitas pluribus bellorum calamitatibus afflicta est. *ll*) A. C. CXLV. expugnata est, & capta a RICHIMERO, Francorum, & HERMENFRIDO, Doringorum, regibus, qui coniunctis viribus VITISLAVM, regem Vandalorum, inde eiecerunt. *mm*) Deinde CXCVI. anno post, rediit in Vandalorum potestatem, extincto BRANDO, vltimo Francorum duce, qui nouam vrbem condidit. Eo enim mortuo, Vandali, qui multos iam annos quieuerant, opportunum tempus nacti, bellum aduersus Francos instaurarunt, rebusque prospere succe-

expugnata est hæc vrbs a 1) Richimero 2) Hermenfrido 3) Vandalis

unser alten Stadt Brandenburg, zu einen Closter gemacht, und einen Probst, Prior und andere Herrn Præmonstranten, gemacht und inne bestetiget, und wir Friedrich der ältere, Unsere Gesellschafften, auch mit Messen und ander Seelgeräthe, was dazu gehöret, besondern darhin gelegt und gemacht haben, Also sehen und mercken wir, daß solch neues Stifft, an zeitlichen und weltlichen Güthern und Nahrung, als zum Gottesdienst und zu solchen Sachen, als zu unser Gesellschafft gebühren nicht versorget & mox: *Dem Probst, Prior und gantzen Capitell des genannten neuen Closters auf unsern Frauen Berge &c. geben zu Tangermünde, A. C. MCCCCXXXXIII, Dinstags nach Vocem iucunditatis.* Post hæc tempora, Capitulares tali vsi sunt subscriptione: *Probst, Prior, Senior und ganz Capittel auf dem Berge, über der alten Stadt Brandenburg.*

kk) Sequitur catalogus & annotatio bellorum & mutationum, quibus vehementer afflictum est Brandeburgum.

ll) Quo scilicet Romæ imperium tenuit M. ANTONIVS, *Philosophus*, qui bellum gessit contra *Marcomannos* & *Quados*, *Hermonduros* & *Variscos*, etsi de hac chronologia dubito, & hanc expugnationem Brandeburgi vetustiorem esse existimem.

mm) A. C. CCCXLI., quo in vivis esse desiit CONSTANTINVS M., imperator.

succedentibus, eos deuicerunt atque expulerunt. *nn*) Postea CAROLVS MAGNVS deuictis *Vandalis*, eam subegit A. DCCLXXXIX., & *Harlungis* dedit: quorum familia videtur oriunda ex Brisgoia, *oo*) regione finitima Alsatiæ, & apud Francos honorata fuisse. Est enim *Brisacum pp*) vetus oppidum in confinibus Alsatiæ, quod fertur olim fuisse *Harlungorum*, teste *Abbate Vrspergensi*, & BEATO RHENANO, *qq*) ARNOLPHI *rr*) quoque temporibus Brandeburgum a Vandalis captum legitur. *ss*) Anno deinde DCCCCXXVII., ab HENRICO AVCVPE expugnatum est, asperrima hieme, castris supra glaciem positis. *tt*) Similiter OTTO, *primus*, eandem vrbem

4) *Carolo M.*

5) *Vandalis*

6) *Henrico Aucupe*

7) *Ottone*

nn) Vndecimo anno, antequam a pontifice LEONE imperator Romanus renunciatus est Romæ IIX. cal. Ianuar.

oo) Quam *Greichgoiam*, quasi γεραιῶν γαῖαν, DAVID CHYTRAEVS appellat, vt sit colonia Græcorum militantium sub imperatoribus.

pp) Nomen *Brisaci* refert adhuc oppidulum *Frisac*, situm ad *Rhenum* Marchiæ, tribus milliaribus distans a Brandeburgo. Quin & ipsi Nobiles, qui oppidulo & pagis circumiacentibus imperant, *Bredown* appellantur, quæ vox vicina est dictioni *Brisgow*: vnde de vetustate familiæ dubium esse non potest.

qq) lib. III. verba eius sunt: *olim Montem Brisiacum Harlungi possidebant.* Post hunc ALBERT. CRANZIVS l. III. cap. XVIII. *Saxoniæ* testatur, Brisacum oppidum Alsatiæ aliquando fuisse nobilium, qui *Harelungi* dicti sunt.

rr) Qui obiit A. C. DCCCC. De hoc I. CVRAEVS in *annalibus Silesiæ* ita scribit: *Arnolphus cæsar circa annum Christi DCCCLXXXVIII. Morauos domuit, & Slauos in limitibus coegit ad seruandam pacem.*

ss) De quo in priori libro in SIGFRIDO, marchione, & plura de eo in annalibus WITTEKINDI, DITMARI & HELMOLDI chronicis leguntur.

tt) Is imperium adiit A. DCCCCXXXVII.

vrbem, ab HENRICO, fratre ſuo, *uu*) occupatam, bello recuperauit. *xx*) OTTO item tertius A. DCCCCXCII., eam obſedit, atque ad deditionem coegit. *yy*) Redacta eſt paulo poſt in *Vandalorum* poteſtatem, THEODORICO, marchione, eiecto, a quibus deinde recuperata eſt per VDONEM, marchionem, imperante HENRICO IV. Mox capta eſt iterum poſt quinquennium a PRIMISLAO, *zz*) Obotritorum regulo, qui cum viginti tres annos ibi regnaſſet, tandem communi bello Saxoniæ fuit inde expulſus. *aaa*) Sed haud ita multo poſt iterum

7) *Vandalis*

8) *Vdone*

9) *Primislao*

uu) Cui cognomen fuit *Rixoſo*. Auus HENRICI, Sancti Romani imperatoris. Huc an referendum ſit bellum Dankmaricum, cuius in GERONE mentionem fecimus, haud ſcio. IOH. FVNCCIVS ſcribit, A. C. circiter DCCCCLXXXII. *Brandeburgum* & *Hauelbergum* a Vandalis, duce Muſcauo, euerſa eſſe, & quidem *Hauelbergum*, die viceſimo nono Iunii, & Brandeburgum, die ſecundo Iulii, vt SPANGENBERGIVS narrat. Huius defectionis Slauorum meminit etiam CRANZIVS l. III. cap. XXV. Metrop., & ſcribit, eam accidiſſe eo tempore, quo OTTO, *ſecundus*, bellum in Italia geſſit. Is autem obiit A. DCCCCLXXXIII. DITMARVS lib. III. ſimilem deuaſtationem refert harum eccleſiarum ad tempora THEODORICI, marchionis quæ priorem ſecuta eſt: tempora enim inæqualia ſunt.

xx) Huc ſpectant ea, quæ a DITMARO lib. IV. chronicorum de expeditione ad Brandeburg, in qua vltimo militans SIGFRIDVS, comes, pater DITMARI, ab equo cecidit, & paulo poſt obiit, & de ſubiectione Slauorum, reuocatione caſtellorum iuxta Albim & militis *Kiza* deditione, annotata ſunt.

yy) Temporibus HENRICI II., qui adiit imperium A. MII.

zz) Inſtigatus ab HENRICO IV. contra VDONEM II., eo, quod is fuerat inter coniuratos aduerſus imperatorem.

aaa) Vixit adhuc PRIMISLAVS circiter annum MCXXXVII. *Chronica Saxoniæ*

iterum potitus eſt vrbe, eamque retinuit vsque ad exitum vitæ. Mortuo PRIMISLAO IAZO, *Luſatiæ* princeps fraude eandem occupauit; a quo ALBERTVS VRSVS, marchio, illam recuperauit, auxilio WICHMANNI, *archiepiſcopi Magdeburgenſis*, aliorumque principum Germaniæ. Tot igitur belli calamitatibus *bbb*) afflicta, tamen, propter opportunitatem loci, nunquam ab incolis deſerta eſt, quamuis ſæpe numero direpta atque exuſta ſit, quemadmodum ſuo loco *ccc*) narrabitur. Hactenus SABINVS.

10) *Iazo*
11) *Alberto Vrſo*

Saxonica ſic referunt: A. M. CLVI. *Wuuom Biſchoff Wichmann tho Meideborg Brandeborg.* Periit in hoc bello WERNERVS, *comes Oſterburgenſis*, filius ſororis ALBERTI VRSI.

bbb) Ad has belli calamitates referenda ſunt prœlia archiepiſcopi Magdeburgenſis ALBERTI DE QVERFVRT, qui, circiter A. C. MCCCC., ter in anno fugauit copias vtriuſque vrbis Brandenburg, ſicut annotauit SPANGENBERGIVS.

ccc) Hæc verba indicant, D. SABINVM de origine, ſucceſſu & crebris mutationibus Brandeburgi, & fortaſſis totius Marchiæ certiora collegiſſe.

APPENDIX.

PORro, ſi fas eſt, operæque pretium ſit, attendere doctorum virorum annotationibus, non inconuenienti, vt opinor, loco aſſumuntur obſeruationes clariſſimi viri, domini VALENTINI TRVTIGERI, piæ memoriæ, *Medicinæ doctoris & quondam phyſici Brandenburgenſis:* ex quibus in præfatione libelli, cui A. C. MDLXIII., titulum fecit: *regimen contra peſtem*, *talem aphoriſmum extruere videtur: Eclipſis ſolis & lunæ vel hoſtiles aſpectus ♄ & ♂ in ♃, vel eius oppoſito ſigno ♋, quoties fiunt, toties peſtem & contagioſos morbos Brandenburgo minantur. Harum obſeruationum talem inſtituit πεῖραν:*

A. C. MDXVI., in medio cœli ſub finem ♃ obſcurata eſt luna: ſecuta eſt peſtis a die Margarethæ, vsque ad diem Galli.

A. MDXXV. & XXVI., menſe Octobri, vtraque vice eclipſis lunæ in ♋ viſa eſt, & graſſata peſtis ſequenti anno, vſque ad feſtum Nicolai mirum in modum.

A. MDXXXVI., menſe Iulio, ſolis lumen obſcuratum eſt in ♋, ſecutæ ſunt ecclipſes lunæ proxime ſequentibus annis duobus: acceſſit ☌ ♄ & ♂ in Iulio, A. MDXXXVIII., itaque vis morbi a feſto Pentecoſtes, vſque ad diem Martini, copioſam hominum multitudinem abſumſit.

A. MDXLVII. duæ fuerunt ecclipſes, altera lunæ, viſa eſt IV. die Maii, & habuit adiunctam ☌ ♄ & ♂ in horoſcopo & ♃ fuit ♄nus ♂ vero in VII. domo & ♋, itaque a tempore obſcurationis ſæuiit peſtis vsque ad natiuitatem Chriſti.

A. MDXLVIII., menſe Februario, ☌nam ♄ & ♂ in ♃ ſecuta eſt eclipſis lunæ in Aprili: vnde iterum ſerpſit contagium vsque ad natalem Domini.

A. MDXLIX.

A. MDXLIX. eclipſin luna paſſa eſt, menſe Aprili, & iterum ♄ & ♂ in dictis ſignis ♃ & ♋ oppoſiti fuerunt; ideoque a feſto Iohannis, ad natiuitatem Chriſti vsque, multi homines peſte interierunt.

A. MDLVI., menſe Nouembri, ſol obſcuratus eſt in ♏ in ortu, & inſignis ſecuta eſt mutatio gubernatorum vtriuſque oppidi.

Denique, vt ſuas obſeruationes vaticinio futuræ peſtis confirmaret, ex ſequentibus ſignis, lunæ ſcilicet, A. MDLXII., menſe Iulio, in ♋ & A. MDLXIII., die quinto Iulii, in ♃ obſcuratæ: itemque ♂tis per □ locum eclipſeos aſpicientis & ♄ ex oppoſitio in ♋ ſoli coniuncti & ♃is combuſti: nec non ſolis, menſe Iunio, obſcurati; & magnæ ☌ ♄ & ♃ in ♋. Ex his igitur ſignis auctor tum hæc ſcribens prædixit, peſtis ſæuitiam maiorem fore, & duraturam vſque ad feſtum Iacobi A. MDLXVI., id quod ita vſu euenit, & ipſe vna cum aliis innumeris hominibus peſte interiit.

Superiori alterum aphoriſmum addit: ♃ nimirum eſſe ſignum aſcendens huius ciuitatis, & ♏ cor ſeu medium cœli: itaque domum regiam magiſtratuum & dignitatum vehementer in ea affligi. Reſpicit auctor ad A. MDLVI., nec deeſſent exempla, quibus hic canon confirmari poſſet, niſi ea quotidiana & nota eſſent.

Quibus duobus, ſi licet augere ſtudium, tertius addi poteſt: quolibet nimirum decennio elapſo, peſtem aliamue inſignem mutationem in Brandenburgum, quaſi ex interuallo, plerumque redire. Hunc aphoriſmum, cum præcedentes obſeruationes, tum. A.MDLXXVII. peſtilentia confirmat. In veteri enim vrbe octingentos triginta ſeptem homines, in noua vero mille trecentos ſeptuaginta nouem, breui temporis ſpatio, abripuit. Atque, vt de decennii meta plura addam, certum eſt,

non tantum, velut præſcriptis ac definitis periodis, verti & conſiſtere reſpublicas imperiorum ac regnorum, ſicut libro ſecundo ſcripſi: ſed etiam in rebus priuatis & publicis gubernationibus illuſtrium familiarum, ſi caſuum, qui accidunt, momenta expendantur, variationes periodicas & quaſi τεταγμένας reperiri. Sicut enim decennium, Brandenburgenſi rei publicæ fatale eſſe, ex præcedentibus quis coniectari poteſt: ita Saxonicæ familiæ ſeptenos ſingulos annos fatales fuiſſe mutationes oſtendunt, quas propter cognitionem hiſtoriarum & memoriam eorum, quæ acciderunt, paulo altius repetendo ſubiungam.

A. C. MCCCCXLIII., natus eſt ALBERTVS, dux Saxoniæ, auus AVGVSTI, electoris.

A. MCCCCLV., idem puer quatuordecim annorum raptus eſt cum fratre ERNESTO ex arce *Altenburgenſi.*

A. MCCCCLXII. elapſo, natus eſt FRIDERICVS, fundator academiæ Wittenbergenſis.

A. MCCCCLXIX., natus eſt IOHANNES, dux Saxoniæ & elector.

A. MCCCCLXXXIII., natus eſt MARTINVS LVTHERVS, A. decimo quarto poſt IOHANNEM, electorem.

A. MCCCCXCVII., natus eſt PHILIPPVS MELANCHTHON, decimo quarto poſt LVTHERVM.

A. MDIV., completus eſt primus annus ætatis IOHANNIS FRIDERICI, ducis Saxoniæ, & LVTHERVS primum Wittebergam venit, ſeu, vt alii malunt, collegio monachorum adſcriptus eſt.

A. MDXI. Roma Wittebergam LVTHERVS reuerſus eſt. A. MDXVIII., mota eſt cauſa Lutherana & PHILIPPVS MELANCHTHON, decimo quarto poſt LVTHERVM, Wittebergam venit.

A. MDXXV.,

A. MDXXV., obiit IOHANNES, elector Saxoniæ; & PAVLVS EBERVS decimo quarto anno post PHILIPPVM Wittebergam venit.

A. MDXLVI., obiit GEORGIVS, dux Saxoniæ.

A. MDXLVI., D. MARTINVS LVTHERVS obiit, &, proximo anno, motum est in Germania triste & calamitosum bellum, in quo captus est IOHANNES FRIDERICVS.

A. MDLIII., obiit MAVRITIVS, dux Saxoniæ & elector; &, proximo anno, id est septimo, postquam captus erat, mortuus IOH. FRIDERICVS, dux Saxoniæ & elector.

A. MDLX., obiit Wittenbergæ PHILIPPVS MELANCHTHON, decimo quarto anno post MARTINVM LVTHERVM.

A. MDLXVII., arx *Grimmenstein* vna cum IOH. FRIDERICO, filio, tradita est per deditionem commissariis Romani imperii & AVGVSTO, electori, duci Saxoniæ.

A. MDLXXIV., Lipsiæ obiit IOACHIMVS CAMERARIVS, decimo quarto anno post PHILIPPVM: & quantam mutationem perpessæ sint scholæ Wittenbergensis & Lipsiensis, nemo nescit.

Huc quoque referri potest prognosticum καθολικὸν de inundatione *Pegnesi* Noribergæ, quam, singulis quinquaginta annis elapsis, bellum secutum est. A. MCCCCXLIX., inter ALBERTVM, *Achillem* & *Norinbergenses*: A. MCCCCXCIX., inter CASIMIRVM MAGNVM & Noribergenses. A. MDXCIV., inter ALBERTVM, CASIMIRI filium, & Noribergenses: Tribus hisce vicibus Pegnesus sese effudit.

Ita quoque centesimus annus familiæ marchionum Misenensium post TIMONEM & CVNRADVM plerumque singulare incrementum attulit. A. enim C. MCXXVII., ad dignitatem Marggrauiatus Misniæ, A. MCCXXVII., ad Landgrauiatum Thuringiæ euecta est. Post centum annos partem

Franconiæ & Voitlandiæ possedit. A. MCCCCXXVII., dignitatem septem-viralem in Saxonia consecuta est, & post centum annos euangelii lux vera & incorrupta, singulari Dei beneficio, in ea refulsit & instaurata est.

Talia multa in historiarum annotatis sese offerunt mutationum momenta, in certos quasi temporum articulos distributa, quæ cum sint euidentia prouidentiæ diuinæ ac sapientiæ argumenta & testimonia, statuamus certo & assentiamur, non casu consistere, vel ruere imperia, respublicas, familias, vrbes, sed, quod diuinitus conseruentur & eneruentur rursus. Verum sit obseruationibus & modus & locus, & quæ a posteriori intelligimus, iis assentiamur, nec de futuris contingentibus, Deo liberrime agente, veritatem determinemus. Proinde, vt eo, vnde digressa est oratio, reuertatur, si quis considerabit has calamitates cum bellorum, tum morborum, quibus affligitur vtrumque Burgum, facile intelliget causas earum: bella enim & morbi pœnæ sunt peccatorum nostrorum & diuinitus immittuntur: eas igitur seria ementatione vitæ & ardenti imploratione infinitæ misericordiæ diuinæ propulsare & auertere, & mitigationem paternam petere studeamus.

INDEX

INDEX PRIOR IN LEVTHINGERVM.

OBSERVATIO

a num. 1. vsque ad num. 128. lit. T. Topographiam, lit. C. vero Commentarios denotat.

aaa *Adu-*

in

Amu-

eius

Beli-

Bu-

Ca-

per

E.

Qui-

Prussia

I.

ste

Ludo-

M.

Ni-

pugnam

Q.

R.

Ra-

Sol-

Suan-

Vistula,

Otto-

INDEX POSTERIOR IN GARCAEVM.

A.

Ca-

Deütsche,

H.

I.

cta

 Linden-

M.

Magde-

P.

in

V.

W.

Wil-

S. D. G.